POSTHVMVS

IO. VARANDÆI

MONSPELIENSIS MEDICI

PRIMARII; CONSILIARII

ATQVE ADEO PROFESSORIS REGII

in Vniuerſitate, ex Bibliotheca
ipſius depromptus, atque
in lucem editus

De morbis & affectibus Mulierum.

Opera PETRI MYLÆI Doctoris Medici.

HVIC ACCESSIT BREVIS, FACILIS.
& particularis Epilepſiæ, Podagræ, Hydrop.
& Lepræ Curatio.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI,

Sumptibus Bartholomæi Vincentij.

M. DC. XIX.

Cum Priuilegiis.

LECTORI
BENEVOLO

CVM ab Imperitis obiiceretur Virgilio, quod aliquos Ennij verſus ſuo operi inſeruiſſet, reſpondit Magnorum eſſe virorum Clauam extorquere de manu Herculis: Quibus verbis ſatis oſtendit nobis interdum licere, vti alienis ſcriptis ad vſum noſtrum. Quæ cauſa fuit, vt hunc librum eo libentiùs curarim in lucem edi, quo clariùs animaduerterim quantum progreſſum illos facturos in hac arte medica, ſi huius Authoris ſcripta ſibi commendata habuerint, præſertim iſtud de Curatione Morborum muliebrium, ex quo prompta remedia patent, quibus faciliùs infirmiori mulierum ſexui ſuccurreretur: ſublatis quarumdam vetularum deliramentis, quæ graui cenſura ſunt coërcenda. Etſi enim illæ aliquam vim ha-

bere videntur, tamen hoc fit Dæmonum fallaciis, qui ita infirmos fide illaqueare conantur, ſicut Tertullianus teſtatur aſſerens ſe vidiſſe mulieres, quæ, poſtquam ſederint, emiſerunt ex ſuis pudendis aliquam voculam, ex quibus Dæmonum præſtigia ſatis agnoſcerentur. Alia huiuſmodi monſtra ex variis authoribus poteris videre, quia non eſt noſtri inſtituti plura de iſtis agere, ſed tantùm vt ſcias Morbos minimè ita eſſe curandos, contra quorum vim *non eſt medicamen in hortis*, ideo recurrendum erit potiùs ad Deum qui nunquam percutit, niſi vt ſanet, & qui nos caſtigat, vt nos meliores reddat. Si verò media legitima reperiantur in aliis caſibus, hiſce vtere, præſertim quæ noſter hic Varandæus diligenter dictauit, ac eleganti ordine diſpoſuit, à quo paſſim ſimplicia compoſitis adduntur medicamentis. Via etiam ab eo monſtratur quæ progrediendum fuerit in Morbis contumacioribus. Atque ita Theoriam cum praxi coniungit, vt alter Auicenna eſſe videatur, ſi eius ſpeculationem cum exercitatione diligenter perpenderis, nec non phraſes, quibus vtitur cum decore in rebus turpibus, de quibus ipſa ſcriptura, ſecundùm linguam Hebraicam, honeſté agere ſolet. De tanto

viro

viro alij ſentiant quicquid voluerint, modò tibi, Optime Lector, ſatisfiat ex iſta inſtitutione de curatione iſtorum particularium Morborum in Mulieribus ſæpiſſime exiſtentium. Et hoc modo vir Medicus multis aliis æquabitur vnus, ſi ſtatim accerſatur antequam de morbo deſperatum ſit, quia tunc ſerò Medicina parabitur, cùm vitalis reſpiratio intercluditur, & oculi iam langueſcunt, extremitates pedum frigore conficiuntur & malæ cadunt, & ſic de cæteris *lethalibus* ſignis, quia non vt Medicus tunc *ad* ægrotum huiuſmodi accedes, ſed tantùm vt teſtis oculatus videns illum morientem, aut mulierem potiùs iam omnibus ſuis domeſticis ac amicis valedicentem. Vt igitur bona fide agere poſſint cum ſuis ægrotis, occaſio bene agendi non eſt omittenda per negligentiam, aut auaritiam, ſicut hodie multi faciunt, aurum & argentum ſuum præponentes vxoribus atque aliis domeſticis, conſanguineis, affinibus aut amicis, quos Deus illis ſupra omnia nobis commendatos eſſe voluit, præſertim verò hunc infirmiorem ſexum, pluribus morbis obnoxium, quia earum corpus natura eſt debilius, præſertim illarum quæ crebrius pariunt, aut ad ſuas voluptates magis ſunt procliues, &

aliis rebus abutuntur. Ad quorum morborum atque aliorum huiuſmodi remedia prompta, te quaſi manu ducit hic noſter Varandæus, dum tibi in primis inquirendam eſſe cauſam Morbi prædu&ricem, demonſtrat, ac pręurgatricem declarat cum quibuſdam effectis iam apparentibus, ex quibus facilè quid operæ pretium tibi faciendum erit, iudicare poſſis. Ne te ergo moretur hoc Poſthumi nomen, cùm videas Galenum veniſſe quidem poſt Hippocratē, quia plus effecit quàm ſuus anteceſſor. Vltima etiam voluntas efficacior ſolet eſſe prima. Accipe igitur hanc Poſthumi Varandæi vltimam, quæ nobis cum quaſi rediuiuum delineat optimis ſuis coloribus; atq; ita feliciter vtere, non curans verba iſtorum ſciolorum, qui tantùm eſſe videntur nati, vt alienos carpant labores ad tanti viri imitationem, macte virtute eſto, ac (dum alij ægrotant) bene vale.

In Liuidum Cenſorem.

Quisquis es, ô Cenſor, tua prædia rite recenſe,
Si cenſere libet prædia tanta tibi.
Crede mihi, facile eſt aliud metirier æquor,
Non æquor proprium vel procul aſpicere.

V. Vuollenſchleger Thuringus.

INDEX CAPITVM HISCE TRIBVS LIBRIS

contentorum iuxta paginarum ſeriem.

LIBRI PRIMI CAPITA.

DE Mulierum morbis, & affectibus, ac primum de Cloroſi, & ei annexis. pag. 4
De ſuppreſſione fluxus menſtrui. 29
De immodico menſium fluxu, & ſtillicidio. 85
De Muliebri fluore, ſeu gonorrhœa. 78
De Melancholia & furore vterino. 98
De vteri ſuffocatione. 110
De inflammatione vteri. 113
De hydrope vteri. 150
De Scirrho *&* Cancro *vteri.* 165
De vteri procidentia. 179
De *vteri clauſura, cohalitu & diſtortione.* 191
De *abſceſſu & vlcere vteri.* 200
De Condylomatis*, Verrucis, Rhagadibus, &* Cleſſuris *vteri, &c.* 220

LIBRI SECVNDI.

DE ſterilitate muliebri. pag. 3
De conditione pregnantium, & earum regimine 53

TRACTATVS DE MORBIS MVLIERVM.

PRÆFATIO.

MORBI muliebres, ſeu mulierum affectus dupliciter apud Hippocratem ſumuntur. Primò quidem vera quadam ſignificatione pro omnibus iis affectibus, qui fœminis ſpeciei humanæ quocunque modo accidere poſſunt, qui tamen ratione ſexus peculiarem quandam conſiderationem, & curandi modum obtinent: Sic Epilepſis, Apoplexia, Syncope, Carniaria, & ſimiles licèt vtrique ſexui ſint communes, quia tamen in mulierculis coniunctam aliquando habent cum vtero ſympathiam, vel occultam accipimus ab excrementis illis muliebribus labem, ideo de illis fuit generaliter ab Hipp. pronunciatum lib. 1. γυναικῶν, multùm, ait, differt muliebrium morborum curatio, & virilium.

vide 57.ſe.5.Aph. Secundò, propriè ſumpti muliebres affectus, illos deſignant, qui ſolis fœminis ſunt peculiares,ratione proprij temperamenti,aut certarum partium, quarum deſcriptionem ex Anatomia repetere oportet.Cùm.n.perfectior animantium propagatio, non vnius tantùm indiuidui opera, quod Plato in ſua Androgyne ſomniarat,ſed duorum inter ſe temperamento,& certis partibus diſcrepantium, ac ſimul venerearum opera præſtari poteſt, ideo medicus,cùi cura incumbit humanæ ſpeciei non tantùm hominem in genere à morbis vindicandum ſuſcipit, ſed etiam ſpeciem diuidens in marem & fœminam eos affectus conſiderat, qui peculiares vtrique contingere poſſunt, & vtriuſque naturam indiuiduam corrumpere, & ſpeciei productionem impedire.

Nos igitur muliebrium affectuum prouinciam grauiſſimam ſuſcipientes explicandam, hac methodo, & ordine progrediemur vt ſcilicet muliebrem naturam primùm conſideremus ſimpliciter, quatenus ſunt indiuidua humanam ſpeciem conſtituentia, à maribus diſtincta, & ſuis morbis peculiaribus obnoxia. Secundò, quatenus ad ſpeciei propagationem ſunt neceſſariæ fœminæ, & huic actioni ſuccumbentes varia ſubeunt ſymptomata, quæ tum illis, cùm ſuſceptæ proli moleſtiam inferre ſolent.

Totum ergo in tres libros, ſeu partes diuidemus; quarum prima perſequemur affectus mulierum, qui illis contingunt ratione proprij temperamenti, & excrementorum, quæ in mulie

lierum corporibus peculiariter generantur, vnde reſpectu proprij temperamenti, quod debilius eſt, & frigidius, contingunt καχεξίαι, pallidi colores, quibus pleraſque hodie deturpari videmus: ratione excrementorum propriorum, vt ſeminis & ſanguinis menſtrui contingit illorum ſuppreſſio, vel excretio immodica, & deprauata, ex quibus ferè omnes muliebres affectus dependent, tam proprij, quàm communes. Vnde etiam ſanguinis menſtrui retentio præter naturam explicanda, & eiuſdem vacuatio immoderata, & ſtillicidium, fluxus item muliebris varij generis, & Gonorrhea. Ratione verò retenti ſeminis & inflammati accidit præcipuè furor ille, qui vterinus dicitur, ſicut ab vtroque, vel alterutro ſuppreſſo, vel corrupto, ſtrangulationes, vel ſuffocationes matricis: Item cancri, hydropes, & varij tumores præter naturam vlcerationes, procidentiæ, & ſimilia erunt explicanda, quæ particularem illius conſtitutionem reſpiciunt. Quibus peractis ad ſecundum librum veniemus, in quo iam contemplabimur muliebrem naturam reſpectu habito ad opus generationis, cui vel ineptæ ſunt: vnde ſterilitatis querelæ oriuntur: vel idoneæ, ſed tamen in conceptu ipſo, geſtatione & partu multa ſubeuntes incommoda, quæ arte noſtra, & methodo tollere, vel mitigare docebimus, vt deinde totus tertius liber reſpiciat ipſius polis ſeu fœtus iam editi educationem, propoſito conuenienti nutricum, & infantis regimine: nec non perſequendo ea omnia, quæ ad lactis &

mammarum huic rei dicatarum conſtitutionem faciunt. Atque hæc eſt ſumma dicendorum à nobis in hac morborum, & affectuum muliebrium tractatione.

LIBER PRIMVS.

De Mulierum morbis, & affectibus, ac primum de Clorosi, & ei annexis.

Capvt Primvm.

DIximvs temperamentum quoddam eſſe peculiare fœminis quo à maribus, vt à partibus humanæ generationi dicatis, diſtinguantur, propter quod etiam paratiores ſunt ad hunc vel illum affectum præter naturam ſuſcipiendum, iuuantibus causis, quæ natiuam illam diatheſim præcipitent in lapſum naturali temperiei conſentaneum, vt loquitur Hipp. aph. 34. ſect. 2. Si quis autem ſit affectus temperamento fœminarum proprio, humiliori ſcilicet, & frigidiori, vt ex Phyſiologia patet, familiaris & congener, is eſt profectò, quem hodie graſſari in hiſce prouinciis conſpicimus, præcipuè apud nobiliores, & formoſiores puellas, viduas & alias à congreſſu muliebri abſtinentes, vt penè endymios videatur eſſe factus, quem vulgus pallidos colores, ſeu fœdos, icterum album, febrem amatoriam, & morbum virgineum appellat, nos ex Hipp. Cloroſim, quia eſt ſpecies

ca

cachexiæ comitata prauo quodã colore ex albo plus minus vireſcenti,prout peſſimi illi humores variè permiſti extremam illam cutis,præcipuè in facie,ſuperficiem inficiunt. licet autem morbus iſte cenſeatur apud nos vt plurimùm ex mala doctrina, ſeu opinione proficiſci: Vnde illud:

Palleat omnis amans, color hic eſt aptus amori.

Quia imbutæ mulierculæ, ſeu Virgines, vt formoſiores compareant, hunc ſibi pallorem quacunque arte & induſtria conciliant, tamen mihi credibile eſt, quendam etiam eſſe ipſius aëris, alimentorum, & aliarum cauſarum externarum concurſum, ex quibus hic affectus noſtro tempore potiùs, quàm ſuperioribus ſæculis inualuit, vt de ſtrumis obſeruare licet, quæ ante aliquot annos in Gallia rariſſimæ, aut penitus ignotæ, iam vbique & maximæ κακοήθην plurimas inuaſerunt familias.

Nunc ergo ad rem ipſam veniamus dicentes Cloroſim iſtam eſſe cachexiæ ſpeciem, ſeu ſymptoma qualitatum tam viſilium, quàm tactilium in toto corpore, præcipuè in vultu, præter naturam mutatarum ob deprauatam nutritionem ex vario affectu iecoris,ventriculi,lienis,& aliarum eiuſmodi partium primariò profectam,quã virium languor,cibi faſtidium, capitis dolores, reſpirandi difficultas,cordis & arteriarũ palpitatio comitantur.Hæc definitio formalem cauſam effectus ſcilicet naturam,& ſpeciem, partem affectã ſiue ſubiectũ,propinquas cauſas, & propria effecta complectitur, vt mox in cauſarum & ſignorum peculiari enumeratione clarùm fiet.

Cauſæ enim tam primariæ & externæ, quàm internæ multiplices huic affectui originem præſtare poſſunt. externæ quidem ſolitariæ, & ſine internarum concurſu fugacem aliquando, & decolorem cachexiam pariunt, vt in iis, qui ad Lunæ radios dormierunt, ſeu in locis paluſtribus, & vliginoſis, aut nimium concluſis, vt carceribus, diutius deguerunt, aut in aqua frigidiori natarunt, vt licet aſpicere, quibus ſi internæ acceſſerint, ex vitio partium potiſſimùm coctionibus dicatarum, ſtabilem & contumacem efficiunt, quam autumnus concipit, hyems alit, ver auget, niſi illi tunc conuenienter proſpectum fuerit. Potiſſimùm verò mala alimentorum ratio eſt tantarum in hoc affectu producendo virium, vt in annonæ penuria, cùm plebs quibuſque permiſcuis cibis veſci cogitur, ferè omnes decolorati ſint, quod annotauit Hipp. de diuturno leguminum vſu in inſula Eron: & vt neceſſitas publica tunc miſeros illos homines cogit; ſic etiam deprauati quorundam appetitus. v. g. intemperantia in mulierculis iſtis tanta eſt, vt abſonis cibis veſci malint, quàm conuenienti, & conſueta aliorum materia ſeſe reficere: vnde morbus iſte citò ſuſcitatur, quidam enim, vt diximus, cibi auidiores, vt faciei colorem immutent, largo aquæ frigidæ potu circa horam ſomni, aut ſummo manè vtuntur, acetum, olera, pruna, & ſimilia cruda, nec non ipſam niuem & glaciem auidiſſimè deuorant, vnde partium color natiuus obruitur, & obſtructiones multiplicantur: aliæ verò mala-

chia

chia obeſæ terram deglutiunt, calcem ipſam, aromata, ſalis magnam copiam, carbones, ſtupas, & ſimilia. quod non ſolùm in adultis virginibus, ſed in multis lactantibus puellis apud nos conſpicitur, illis præcipuè, quæ ex parentibus eodem morbo laborantibus, vel olim affectis progenitæ fuerint. Non ignorauit hoc ſummus Hipp. quibus ait, colores, dum iuuenes ſunt praui exiſtunt ad multum tempus, neque icteri modo. his ſiue mares, ſiue fœminæ caput dolet, lapides ac terram comedunt; aut hæmorrhoidas habent, quibus verbis oſtendit Cachexiam iſtam non ſolùm ab vſu rerum abſurdarum, ſed etiam ob vacuationes immoderatè factas, aut omnino ſuppreſſas contingere, vt menſtrua, & hæmorrhoides inaſſuetæ, quod viciſſim in iſtis mulierculis experimur, quotiescunque immodico menſium profluuio torquentur, clangueſcit vis caloris natiui in partibus coctioni dicatis, & reliquæ ſuo proprio alimento defraudatæ non poſſunt deinceps ſucco illo crudo & aquoſo conuenienter refici. Ex ſuppreſſione verò eorundem ob nimiam quantitatem humorum in prædicta viſcera refluentium ſuffocatur quaſi innata temperies, & materia iſta recrudeſcens impellitur à partibus ſolidioribus in cutem, vbi pro conditione humoris varias excitat colorum differentias, & habitus ipſe intumeſcit, potiſſimùm in illis, quibus partes externæ molliores & laxiores ſunt; vt in mulierculis delicatioribus, quæ longiori ſomno indulgent & puluinaribus affixæ ſuendi cauſa

maximo ſæpe torquentur frigore: alias verò intempeſtiuis vigiliis, & exercitationibus vtuntur, quas in longam noctem cum ſuis amatoriis producunt, non ſine grauiſſimis animi pathematis. ex quibus facilè euertuntur concoctiones illæ interiores, & cacochymia ſuſcitatur, quæ eſt cachexias cauſa interior. eleganter enim dictum eſt à Galeno cachexiam & cacochymiam mutuas ſibi tradere operas in totius perniciem; vt enim cacochymia vetus εὐεξίαν euertit ſic firmiter fixa cachexia corrumpit εὐχυμίαν, & ſimiles ſibi humores apponit.

Quæcumque igitur Cacochymia intus aceruata ob intemperiem, tumores, vel obſtructiones interiorum viſcerum tandem refluit in habitum, aut præcipuas eius partes; coniuncta euadit. Et proxima iſtius affectus cauſa eſt vt plurimùm pituitoſa, tum ob imminutionem caloris natiui, quæ hîc frequenter contingit, tum etiam quòd humores iſti nimia quantitate collecti, quaſi recrudeſcunt deſtituti regimine caloris innati, & phlegmatis naturam induunt, prout tamen maior vel minor fuerit alterius humoris permiſtio: ſic & ex albo vireſcens, flaueſcens, vel tenuiter nigreſcens color apparet in vultu, qui in hoc potiſſimùm diſtinguitur ab ictero, quòd icterus vterque ſimplicem habet quaſi coloris mutationem ex prauitate humoris per cutim expanſi. Cachexia verò, & cloroſis præter decolorationem coniunctam habet inflammationem ex pituitoſorum ſuccorum redundantia, quæ partibus iſtis non poſſunt per-

fectè

fectè vniri: Vnde via eſt ad Leucophlegmatiam: vel affectus quidam mixtus ex icterorum Leucophlegmatia dici poteſt. Antecedentes autem cauſæ pendent à cacofragia, & à vitiatis functionibus partium internarum, præcipuè nutritioni dicatarum, vt iecoris, lienis, ventriculi totius q; meſenterij, quibus in fœminis maioribus natu potiſſimum vterus occaſionem ſuppeditat morbificæ diſpoſitionis. Magnæ. n. intèpedies potiſſimùm frigidæ humidæque per ſe, caliries verò ex accidente, tumores præter naturam, obſtructionum diuturnior copia non ſolùm naturalem pipſin eueitunt, ſed & iuſtam humorum ἀνάδοσις, & ſolitam ἔγκρισιν impediũt, quibus ſæpe cõiunguntur febres lentæ, pituitoſæ, & nocturnæ, quando humor iam putreſcere leuiter incipit, Diarrhœæ etiam aliquando & lienteriæ ſuccedunt, quibus naturales facultates omnino labefactantur: Vnde Hipp. in Choacis ſcripſit, ſanguinis corruptionem, & excluſionem contingere, quando ſcilicet fons ſanguificationis, id eſt, Iecur, valde affectus fuerit; quod denique totum ſanguineam maſſam excrementis illis inficit. Atque hæc de cauſis.

Signa verò in hoc affectu non tam medico negotium faceſſunt, vt cognoſcat eius naturam, & cauſæ continentis, ſeu humoris peccantis ſpeciem, quoniam vtraq; viſui & tactui ſunt expoſita, quàm vt interiora illa vitia, & partium primariò & ſecundariò affectarum notas aſſequatur. Cachexiam enim adeſſe teſtatur turgidula faciei conſtitutio cum quadam inflam-

matione, quæ in palpebris potiſſimùm manè poſt ſomnum conſpicitur; quia per natem concluſus calor plures eleuauit vapores, quàm diſſipare potuit laxitas, & mollities externarum partium, apparet ex abundanti humorum copia, quæ ſegnitiem, torporemque tum animi, cùm corporis infert eneruato communi actionum inſtrumento, nempe calore natiuo; crurum, pedumque laſſitudo, & pondus cum incipiente oedemate, quod maximè circa veſperam, & longam deambulationem apparet, deuolutis ſua prauitate humoribus in illa loca decliuia. Reſpirandi difficultas vrget, cùm pulſu minutulo & frequenti in iugularibus colli arteriis, & temporum conſpicuo valde, deficit enim iſtas ægras ſpiritus, dum progrediuntur breui & confecto ſpatio, præcipuè ſi ſcandendum ſit, non tam neceſſitate inſpirandi, quàm expirandi, quoniam ex nimia humidi & craſſi humoris copia, quæ lentam aliquando febrem, & inſignem capitis dolorem fouet, plus eſt opus expiratione ad fumos illos excludendos, quàm inſpiratione ad aëris refrigerium. Idem dicas de pulſu. Et præterea, quia facultas infirma non poteſt ſatis commodè arterias dilatare, defectum illum frequentia nititur compenſare. procedente morbo infeſtantur palpitationes cordis ex crudo & flatulento ſpiritu, quæ tandem hypothymias inducunt: ingentia rerum omnium potiſſimum cibi enchymi, faſtidia ob ſynatiſmum excrementitiorum ſuccorum in ventriculo, & vicinis partibus, cui tandem ſu-

per

peruenit malachia, & ſiquidem malum vires acquiſiuerit maiores, neque ſudor, neque vrina ritè procedere poſſunt, auctis obſtructionibus, quæ omnem vacuationem impediunt, tuncque venter ſubhumidus euadit inchoato hydrope, pedumque œdemata, quæ primùm vaga erant, & diſſipabilia confirmantur.

Quis verò ſit humor tantorum affectuum, rimandum erit ex iis, quæ præcedunt, & ſequuntur, vt docet Galenus, vniuſcuiuſque Cacochimiæ generationem ſola caloris idea, quæ in vultu effloreſcit, oſtendit humoris dominatum. vt enim eleganter docuit Hippocrates, color ſimilis eſt humori, niſi vbi adeſt illius refluxus: cùm igitur humores iſti non habeant refluxum, ſed iam affixi ſint partibus inſtar alimenti, ideo certam ſui ſignificationem, & cauſæ humoralis naturam detegunt medico.

Vtra verò pars huic originem dederit, heparne Idiopathia laborans, vel ex ſympathia ab alterius cuiuſque vitio accuratè eſt diſtinguendum, inde ſiquidem potiſſima curandi ratio proficiſcitur. Intemperierum igitur, tumorum præter naturam, præcipuè ſcyrrhoſorum, obſtructionum diuturniorum, in Iecore, ventriculo, liene, vtero, & ſimilibus notæ diligenter ſunt perquirendæ ex ſignis, conſultis & propoſitis in Diagnoſtice vniuerſali, vbi enim priùs illa apparuerint, inde etiam morbi fomitem proceſſiſſe credibile eſt: quemadmodum etiam ſi ſcateat fluxionibus cerebrum, aut pulmones corrupti, tabefacti, vel prauis humoribus

bus infecti; contagium ſuum partibus nutritio-ni dicatis communicarunt: ex quacunque enim parte hydrops particularis ſuſcitatur, inde etiam vniuerſalis leucophlegmatia, vel Cachexia tandem exoriri poſſunt. In iuuenculis crudior ventriculus propria intemperie vel obiecti vitio affectus craſſos humores multiplicans, & venas obſtruens. Frequētiſſima eſt iſtius affectus cauſſa, vt patet in vomitu frequente, diorrhæa, dolore ſeu cartilagine, & ipſoide, deprauato appetitu, rugitu ac barboriſmis, quæ in iſtis ægrotantibus frequenter obſeruantur: in virginibus autem nubilibus & viduis caſtitatem ſeruantibus vterus propter defectum rei naturaliter appetitæ variè torquetur, & contractæ, tandem intemperie frigidiore ob retenta ibi excrementa ſæpius huic affectui originem præbet. Cuius rei certiſſimum ſignum eſt, quòd reliquis partibus bene valentibus in conſenſum trahitur totum corpus, & cachexiæ iſtæ oriuntur nulla alia morbi cauſa prægreſſa.

Nos igitur de Prognoſi aliquid proponamus, quia hic affectus ex chronicorum genere diutius vexat miſeras iſtas ægrotantes, ſine vitæ tamen diſcrimine, ſi maturè illi proſpectum fuerit: quod ſi nimis negligatur, ita vt nutritionis magna deprauatio contingat, corrupta partium illi dicatarum ſubſtantia exoritur hydrops incurabilis, vt in pluribus conſpeximus, in quarum cadaueribus diſſectis iecur ſchyrroſum & putrefactum apparet. minus malum eſt, quando ab vtero ſimpliciter fœdi iſti colores oriuntur, quo-

niam

niam ſolutis obſtructionibus illius facilè ſanitati reſtituuntur, niſi alicui alteri parti ſympathia iſta grauis fuerit communicata. Iuuenes itaque puellæ, & virgines faciliùs curantur, quàm grandiores natu, ſi cauſarum adſit æqualitas, quia habent illam caloris ἐγ[illegible], vt loquitur Hippocrates, per quam euicta præſente cacochymia facilè exſuſcitatur, & reuiuiſcit natiuū temperamentum. Certæ mulieres, quæ diutius hac fœditate laborarunt, vel ſterileſcunt omnino, aut infirmam prolem, & parum vitalem ſuſcipiunt, potiſſimùm primis partibus, donec tota illa illuuies rite fuerit expurgata. Calamitoſa etiam eſt iſta affectio, neque tam longas præſtat inducias, quando cor frequenter impetit, quia collabante vitali facultate, & radiis ſpirituum influentium citò collabitur totum corpus, & derepentè vt plurimùm moriuntur. Mala etiam illa habitudo, quæ firmiter radices in ventriculo fixit cum ingente faſtidio, vel abſurdo rerum alienarum appetitu, quia impoſſibile eſt illam intemperiem emendare, quæ perpetuo aſſumptorum vitio fouetur. In virginibus iam adultis & mulieribus maxima ſanationis nota, & victoriæ ſpes affulget, quando menſes certas ſuas periodos repetunt, iuſtaque quantitate, & natiuis qualitatibus præditi effluunt. Iam igitur ad Therapiam.

Summa Curationis hæc eſt. Cauſas omnes externas, quæcunque huic affectui originem dederunt remouere, vel in conuenientem ſtatum mutare; internam verò cacochymiam, vbi

vbicunque latitauerit, conuenienter educere, & ſi quidem hæc ſuppreſſa aliqua vacuatione inſigni, & ſolenni incæperit, eam denuo euocare; ſin ex eadem immoderata proficiſcitur eam ad idoneum naturę ſcopum deducere, viſcerum interiorum potiſsimum, iecoris,& ventriculi intemperiem, obſtructiones, & ſimiles affectus curare, eorundem robur tueri, aut ſi alterius primariò affectæ ſuſpicio fuerit, eius diligentem habere rationem; materiam deniq; in habitu corporis contentam digerere, illiusq; diſcrabias frigidiorē humidiorēmq; corrigere, vtque ſymptomatis alicuius erit maior vehementia,illius mitigationi imprimis cōſulere,non neglectis reliquis.Incipiamus igitur à recta cauſarum externarum inſtitutione,quæ quidem Dięta nuncupatur. Poſito igitur quòd hic affectus pendeat potiſſimùm à collectione crudioris & pituitoſi ſucci, obſtructionibúſque diuturnis, ita comparandę erunt res illę nonnaturales dictæ, vt ad caliditatem quandam, ſiccitatemque inclinent, & præſenti Cacochymiæ aduerſentur. Ideo aëris ſtatus ad tenuitatem cum puritate vergere debet, ſicque ſolito calidior ſi fieri poſsit. Hoc enim certiſsima experientia compertum habemus in iſtiuſmodi cachexia curanda plus profici æſtatis tempore, per vnam aut alteram ſeptimanam, quàm aliis temporibus per plures menſes, multáſque earum aduentante æſtate ſatis commodè degere, quæ aliis tempeſtatibus grauiter conflictantur; imò etiam fœminas,quæ loca frigidiora, & humentia incolunt, v.x perſanari poſſe, niſi priùs in

alienum ſolum commodius ſeſe transferant. Ideo etiam labor, & exercitatio mediocris illis confert in principio, nam ex vehementiori incidunt in magnas cordis palpitationes, & reſpirandi difficultatem; progreſſu tamen temporis, vbi iã inclinat affectus, diu & fortiter ſe agitare prodeſt ad effundendos influẽtis caloris radios per totum corpus, quibus humorũ reliquiæ omnino diſsipentur; huic etiam rei auxiliantur totius corporis frixiones aſperiores manè in lecto celebratæ deorſum verſus. Eſt etiam exercitationis genus, quod nobilibus puellis & viduis hac fœditate detentis valde conducit, dum iam conualeſcunt, puta virilis congreſſus, ex eo enim commodè inualeſcunt, iucunditate perfunduntur, & ſuccedente partu ab impurioribus iſtis ſuccis per lochia purgantur, obſtructionibúſque liberantur. non tamen iungenda eſt viro, quando valde conflictatur hoc morbo, nam multas ex importuno iſto coitu, aut certè impregnationis moleſtia, & inſueto labore vitam cum morte commutaſſe vidimus. præſcribatur etiam modus vigiliis & ſomno, cui valde addictæ ſunt ob vaporum copiam primi ſenſorij ductum occupantium: nec permittantur matutinis horis diutius dormire, niſi inſomnem fortè noctem duxerint. Summa rerum omnium tranquillitate, vt animi pathematum, curarumque vacatione, quantum fieri poteſt, fruantur, quia illis infirma corpora debilitantur facilè; iracundia tamen illis aliquando prod[illegible] ſolet propter calefactionem ſanguinis, [illegible] vacuationes ordinariæ alui, & v[illegible]

procurentur, tum accommodato alimentorum genere, tum etiam remediis poſtea proponendis. Præcipua verò cura diætæ circa alimenta poſita eſſe debet, vt ſcilicet omnia vitent diſpecta, ne faceſſant operam ventriculo, & hepati debilitatis, quemadmodum cacochyma omnia, ea maximè, quæ ſymbolum habent cum genere dominantis excrementi; vnde frigida & humida noxia eſſe ſolent. abſtineant itaque ab oleribus crudis, fructibus immaturis, lacticiniis omnibus, piſcibus & carnibus craſſioris ſucci; ab aquæ potu, & liquidorum copia caueant, præcipuè aceti, quod eiuſmodi ægræ ſummopere appetunt, eſt enim illis valdè noxium & inutile, tum quòd infirmiori nocet calori viſcerum & vteri. Vnde ab Hipp. icteralgis; tum etiam aquoſitates iſtas, & prauos humores in habitum corporis penetrare facit: vtãtur pane recenti, benè fermentato, & lato, cui ſemen fœniculi, & aniſi ſit additum, vinum tenue & generoſum bibant; ſi ſint abſtemiæ decocto Cynamomi, Coriandri, aut bocheto ex ſalſa parilla comparato, fructibus ſiccis, carnibus delicatioribus aſſis potiſſimùm, aliquando elixis cum mentha, hyſſopo, ſaluia, ſerpillo, ſummitatibus vel radicibus petroſelini, fœniculi, apij, cappari, oliuarum, fœniculi marini; conditorum frequens ſit vſus ad aperiendum, niſi ſumma ventriculi obſtet infirmitas.

Sit autem moderata cibi, potúſque quantitas ſuo tempore & ordinè coniuncti, ne multitudine nimia prauorum eiuſmodi ſuccorum co-

piam

piam augeant, vel defectu vires deſcitæ debilitentur. Imprimis autem fugiant abſona illa, quorum deſiderio tantopere tenebantur. Vbi enim primùm huic inordinato appetitui dominari incipiunt, ſignum eſt naturam victricem eſſe cacochymiæ, & omnis augendi iſtius effectus occaſio præciditur & aufertur. Ad maiora ergo remedia veniamus, quoniam ſola diæta ſæpius non ſufficit ad malum iſtud oppugnandum.

Quotieſcunque igitur cachexia iſta recens eſt, pendétque à cacochymia quadam plethorica, vel vacuationibus ſanguinis per nares, vterum & hæmorrhagias ſuppreſſis: toties tundi poterit in *principio* vena illa, quæ minuendis hiſce humoribus, vel renouandis vacuationibus iſtis erit accommodatior, habita imprimis ratione virium.

In virginibus itaque, quæ decimumquartum annum exceſſerunt, confidentiùs agendum, quoniam florens earum ætas, regurgitantis ſanguinis copia, ex quo frequentiſſimè hæmiopteræ, & vomitus ſanguinolenti excitantur, nó tantùm phlebotomiam ſemel, ſed & ſæpius repetitam tolerare poteſt ex vena cubiti, ſi tollenda ſit plethora, ex venis autem malleoli circa nouilunia, vt promoueantur fluxus illi muliebres. Quin etiam affixis hirudinibus, cucurbitulis, ſcarificationibus variis corporis partibus, licebit idem ſecundùm varias ægrarum conſtitutiones præſtare: certè in affectu inueteratæ etiam grandioris ætatis mulieribus adiuncta cruribus cauteria non leue auxilium attulerunt ad vacuãdum ſenſim, & deriuandum mali iſtius cauſam. Sin verò capitis, pulmo-

num, vel aliarum partium vitia primaria huic ortum dediſſe videantur, licebit eodem modo opem iſtam Chirurgicam locis accommodatis adhibere. Quod ad pharmaceutica verò ſpectat, quia omnis cachexia (vt ſæpe diximus) eſt ſoboles cacochymiæ, ſimplicis vel mixtæ adhibenda erunt imprimis purgantia valentiora & benigniora frequenter repetita cum debitis præparantibus pro malo & natura illius. Cachexia igitur ſimpliciter pituitoſa, cum via ſit ad hydropē anaſaricam eadem ratione qua & ille curabitur adhibita diligente animaduerſione, ex cuius partis vitio primùm profecta fuerit. Sed quoniam iſta cloroſis viduarum & virginum plurimùm pendet ab obſtructionibus viarum ad vterum pertinentium, ſuppreſſione vacuationis hyſtericæ, & redundantia crudorum ſuccorum & craſſorum pauco bilioſo varij generis permixtorum.

Ideo ſubiiciemus typum curationis integræ, quam in eiuſmodi mulierculis moliri ſolemus, vigente potiſſimùm verè, aut circa æſtatis initium; aliquando autumno, ſi ita res ferat, quando ſolemnes purgationes in aliis etiam inſtitui ſolent, ducto exordio à ſequenti euemate, quia his vt plurimùm eſt aſtricta aluus.

℞.Fol.betæ,Mercur.malu.agrim.& matricariæ aā.m.j.ſemin.aniſi & fœnugr.aā.ʒiij.furfuris macri,florum Camæmeli, ſtœchados & anthos aā. p.j. fiat omnium decoctio ad lib.1. in qua diſſolue hieræ picræ,& benedictæ laxatiuæ aā ʒ vj. olei liliorum & mellis mercurialis aā ℥ij. fiat Clyſter, qui iniiciatur ante omnia, & frequenter

repeta

repetatur, emollit enim, detergit, aperit & laxat ductus illos inteſtinis proximos. Vnde magnum emergit ægrotantibus iſtis commodum. Sequenti die capiant talem bolum.

℞. Benedictæ laxatiuæ ʒ.vj. pulueris hieræ picræ ℈ j. cum ſaccharo fiet bolus; capiant manè; vel ſi forma ſolida diſpliceat, paretur potio talis.

℞. Electuar. diacarth. ʒ.vj. ſyrup. de Artemiſ. ℥.j. decocti abſinthij, Mercurialis & Agrimoniæ ℥. iij. detur in aurora; hæc minorante purgatione ventriculi, & aliorum viſcerum impuritate ſublata, licebit deinde totius cubiti venam ſecare, ſiquidem id ex vſu videatur, vt dictum eſt. Poſtea paretur ſequens apozema, quod aperiendi, detergendi, molliendi & purgandi facultate præditum omnes ferè propoſitas intentiones complectitur.

℞. quinque rad. appetitiuar. in vino albo per noctem infuſarum añ. ℥ j. rad. eryngij, rubiæ maioris, ireos noſtratis, enulæ campanæ, & cortic. rad. Cappatis. añ. ℥. ß. Cort. citri ſicci, & paſſular. purgatar. añ. ʒ. iij. fol. Meliſſæ, artemiſiæ, matricariæ, Nepetæ, Valerianæ, Chamædreos, & Chamæpiteos añ. m. j. ſummitatū abſinthij pōtici, fœnic. & ſabinæ añ. p. j. polypod. querni, & medullæ ſeminis Carthami añ. ℥. j. fol. ſennæ mundatorum, & vino albo irroratorum ℥. ij. hermod. ſem in. dauci & apij añ. ʒ. ij. ſpicæ nardi, florum ſtœchados, anthos, ſambuci, geniſtæ & tamariſci, añ. p. ß. cicerum rubeorum. p. ij. fiat omnium decoctio in hydromelite ad ℔. ß. in qua diſſolue ſyrup. biſantini, & de artem. añ. ℥. j. ſyrup. roſ. pallid. ℥. iij. fiat apozema clarificatum, & aromatiſatum ʒ. iij.

Digitized by Google

Cinnamomi electi pro quinque doſibus matutinis:in quarum vltima diſſolui poterit electuarij de citro ſolutiui.℥.ß. vel ʒ.vj.plus vel minus pro ægrotantis conditione varia.Deinde per aliquot dies ad recreandum ventriculi robur capiat manè cochlearia duo vini, aut ſyrupi de abſinthio, vel ʒ. iij. electuarij, aromatis, roſati ſuprabibendo parum vini generoſi, aut ℥. ij. aquæ meliſſæ. Ex deſcriptione illius apozematis aucta doſi purgantium fiat ſyrupus Magiſtralis, de quo capiat ℥ ij.vel iiij.cum additione cicerum rubeorum,fol.petroſ.croci & cinnamomi ſemel aut bis in menſe,vel illius loco paretur opiata ſequẽs. ℞. Electuarij de citro ſolutiui,& diacarthami añ.ʒ x. conf. hieræ picræ. Cathol. & diapr. ſolutiui. añ. ℥. j.foliorum ſennæ pulueriſatorum : & hermodactylorum an.℥. ß. agarici recens trochiſcati ʒ. vj.rhabarbari & pulueris tartari albi. añ.ʒ. j. ſpicæ nardi,& ſem.apij añ.ʒ.ß. cum ſyrupo de artemiſ. fiat opiata, de qua capiat dimidium in formam boli concinnatam cum ſaccharo, vel puluere(Ducis dicto) aut prædicto decocto diſſolutum bis in menſe. Quidam vomitus autem cibum conciliant ex infuſo, vel rad. raphani in oximelite, quod non eſt improbandum in aſſuetis maximè,& eis, quæ nauſeas frequenter patiuntur. In aliis verò pilulæ,quas vſuales vocant,ante cibum præſcribi poterunt, vt ſenſim illa illuuies educatur,& viæ aperiantur.℞.puluer. hieræ picræ.ʒ.vj. agarici trochiſcati.ʒ.ij.tartari vini albi & rhabarbari puluer.añ.ʒ.j.gũmi ammoniaci aceto ſtyllitico diſſoluti(vt incidat) ℥.j.& ß. Cinamomi electi,

cti, ſatis gemmæ maſtich. & ſpicæ nardi añ. ℈. j. vel ß. croci grana.v.conficiantur cum ſyrupo de abſinth.fiat maſſa, de cuius ʒ i.fiant pilulæ vj. deauratæ capiat duabus, aut tribus horis ante cœnam alternis diebus. His enim pilulis diutius vſurpatis pleraſque iſtarum ægrarum conualuiſſe obſeruauimus: neque audiendi ſunt illi, qui in hiſce fædis coloribus exhibendas cenſent tabellas auctiomoniatas ex deſcriptione Vecheri aut iij.vel v. grana ſtibii per ſe aut in vino infuſi, quoniam infirmior iſtarum calor, & pertinaces obſtructiones nullo modo perferre poſſunt catarſin ex malignis iſtis & vehementioribus purgantibus, a quibus vt plurimùm in ſyncopen, & grauiſſima ventris tormina concidunt. Seruata ſolemni illá, vel ſæpius iterata purgatione ſolemus ad laxandas omnino vias, molliendam, fundendamque materiam, & digerendos humores in habitu contentos præſcribere ſequens balneum circa Maium, aut iunium menſem. ℞. rad. brionię, iridis hortenſis, cucumeris agreſtis, & enulæ campanæ añ. ℔.ii.rad. althææ, liliorum, & fæniculi añ ℔.i. folior.meliſſ.praſſii.abſinth. tanaceti, matricariæ, artemiſ. parietar. mercur. cum toto; ſummit. lauri, & hederæ añ.m.iii.ſem.lini, & fænugr.leuiter contuſorum añ.℥.ii. decoquantur in aqua fontis, vel fluminis pro balneo, quod ingrediatur tepidè per biduum ſine ſudore, aut ſaltem modico, vt aliquid reſoluatur, ne vires nimium deiiciantur. Sequenti die, ſi virgo ſit, ſaut vidua menſtruis purgationibus aſſueta, quæ ſuppreſſæ fuerint poſt multam deambulationem,

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

aperiatur vena vtriuſque malleoli circa meridiem, quod poterit bis aut ter repeti eadem ſcilicet periodo, qua dicti menſes fluere ſolebant; quemadmodum purgantia, præparantia & roborantia, tam interna, quàm externa tandiu vſurpanda certis interuallis, quandiu pertinaciſſima iſta cachexia poſtulabit. Inter alia autem, quæ valde commendantur poſt purgationem conuenientem, eſt chalybis limatura, quæ variè præparata, aut cum aliis mixta iam habetur præcipua antidotus in hoc affectu curando.

Chalybs igitur nihil aliud eſt quàm ferrum frequenter ignitum, in aqua extinctum, & depuratum. Idem quid ſtomoma apud Ariſt. vt eſt lib. 4. Meteor. ex illo, dum ita paratur, & malleis percutitur, decidit ſquamma, quemadmodum ex ęre & ferro, cuius vſum voluit eſſe Dioſcorides, vt tergeat, & aluum ſoluat. Gal. autem q. de ſimpl. med. facult. ſcribit omnes iſtas ſquammas eſſe acres, & liquare carnem, ita tamen vt æris ſquamma illud præſtet ſiccando magis; ferri autem adſtringendo, ſed præpter iſtas qualitates vulgares incidendi, & detergendi; imo ratione ponderis aperiendi non eſt rationi aduerſum, & experientiæ quotidianæ in chalybe proprietatem quandam eſſe purgandi, quemadmodum in rhabarbaro, aut roſis, quæ manifeſtis qualitatibus adſtringunt. Hinc Aëtius lib. 10. ſquammam ferri, vel chalybis exhibet per os ruſticis, & durioribus ad ſcirrhos lienis com-

minuen

minuendos, quia pondere ſuo obuios humores craſſos & viſcidos deturbat, acrimonia autem ſua incidit & detergit: adſtrictione verò lienem condenſat & roborat: mollioribus verò & delicatis exhibebat vinum vel mulſum, in quo chalybs fuerat ipſe ſæpe extinctus, ex quo, inquit, ille aluus ſubducebatur, & tumor lienis ſubſidebat. Illud confirmat Paulus, Auicenna, & noſtri practici, qui non ſolùm ad hoc vtuntur ſquamma chalybis, vel ferri, ſed etiam ſcoria ipſa; & aqua illa, quæ excurrit per lapides molares; dùm enſes acuuntur. Vnde iam apud nos inualuit vſus huius medicamenti ad rebelles obſtructiones & tumores partium ventris inferioris, vt in quartanariis, & mulieribus iſtis defœdatis. Quia autem ſquammæ illæ veteribus vſitatæ non ſunt nobis ita familiares; apud nos etiam metallorum fodinæ, vbi illæ parari ſolent, minimè habentur, & quia paulo acriores ſunt habita ratione mulicrcularum iſtarum, ideo ſolemus ex limatura chalybis idem præſtare; quam variis modis hodie parant, infundunt in variis liquoribus, aut miſcent cùm aliis medicamentis tenuantibus, detergentibus, roborantibus necnon aliquando purgantibus. Mulierculæ noſtrates recentis limaturę (aliàs rubiginem quandam noxiam contrahit) ℥. j. diuidunt in ſeptem partes, & poſt purgationem aliquam totidem diebus manè cum melle pauco mixtum exhibent. Iſtiſque puellis defœdatis diu ambulare

iubent. Medici verò,vt medicamentum hoc meliùs penetret, nec tantum ventriculo negotium faceſſat, præſcribunt in hunc modum vel ſimilem: ℞. Cort.median.rad.Cappar.℥ß.ſem. dauci,acetoſæ, & apij añ.ʒij.puluer.elect. diarrhod. abbatis, & cinnamomi electi añ. ʒ j.ſpic.nardi, & croci añ,℈ß.limaturæ chalybis cum aceto præparatæ ʒ ij.ſacchari candi ad pondus omnium. fiat puluis,de quo capiat cochlear. i.vel ij. pro corporis, & morbi conſtitutione ſuprabibendo parum vini albi, vel aquæ meliſſæ. continuent per nouem, aut ſeptem dies, & poſtea fortiter deambulent.

Vinum autem Chalybeatum, cuius elegantem deſcriptionem ſcribit Fallopius, præſcribunt per totos quadraginta dies,vt obſtructiones iſtæ omnino abſumantur. Poſſunt etiam ex prędicti pulueris portione, ſi magis gratum ſit, concinnari tabellæ pondere ʒ ii.cum ſaccharo aqua fœniculi diſſoluto.Capiantur ſingulis diebus, deinde bibant parum decocti Cinamomi, quod per aliquot dies in doliolo ex tamariſci ligno confecto manſerit.

Variæ ſunt præparationes præterea,& mixtiones huius limaturæ chalybis, prout lien, hepar, ventriculus, meſenterium, vel aliæ partes magis affectæ apparuerint. Empyrici ſuum crocum martis celebrant in hoc affectu: alij verò in pertinaciſſimis obſtructionibus borrach. naturalis. ʒ. j. miſcent cum dimidia ʒ. j. Cinnamomi, & pauco ſaccharo, diuidunt in quatuor partes, & per quatriduum exhibent manè cum pauca aqua

matri

matricariæ. Sequentes pilulæ pro ſecreto à multis habentur. ℞. ſucci Mercur. & mellis deſpumati añ. ℥ j. decoque ſimul ad ſufficientem conſiſtentiam, addendo ſeminis nigellæ romanæ pulueriſati ℥ iij. fiat maſſa de cuius ʒ j. formentur pilulæ ſex deauratæ, capiat duas in ingreſſu lecti per tres dies continuos, quando inſtabit menſtruorum periodus. Quidam propinant pulverem rhabarb. ad ʒ j. ex decocto rub. maioris: vel ipſius radices decoquunt in aqua agrimoniæ, & exhibent ad ℥ ij. vel iij. manè per aliquot dies. Immutandæ enim in diuturniori affectu remediorum formulæ, ne faſtidium ægrotantibus pariant. *Vnde* parare ſolemus ad hanc rem decoctum aliquod, vel iuſculum in plures dies vſurpandum, verbi gratia, eligantur teneriores apij, fœniculi radices, folia agrimoniæ, pimpinellæ, fœniculi, maluarum, capill. vener. & hyſſopi, cum pugillo aliquo cicerum rubeorum, capparum recentium, cinnamomi & croci, decoquantur cum pullo gallinæ, vel columbino addendo modicum ſalis, iuſculi colati mediam partem ſumat hora ſexta matutina, & aliam hora tertia pomeridiana in plures dies. Quidam ante hoc iuſculum exhibent parum conſeruæ ex floribus calendulæ paratæ, cuius magnam efficaciam ſe expertos eſſe atteſtantur. Quædam verò mulierculæ præbent fruſtulum vnum panis torrefacti, & veteri omphacio macerati; non ſatis prudenter, in illis potiſſimùm, quæ iam valde refrigeratum habent ventriculum. Non ſunt etiam omittendi potus ex deſcriptione præcedentis apo-

zematis; aut balnei ſupra totum ventrem infe-riorem frequenter repetendi ad molliendam, incidendamque materiam iſtam obſtruentem, ductuſque laxandos, & aperiendos, & inuſtiones ex oleo de Cappar. aliorum, & nardino ſimul mixtis. Quoties verò diuturnior cachexia iſta redundantes in corpore ſuccos excitauerit, qui purgantibus & roborantibus non facilè cedant; ſed firmiter in habitu corporis permaneant; toties licebit rectè præparato corpore Cacochymiam iſtam per ſudorifica euocare. Licet enim aliqui exiſtiment in iſto affectu mulierculatum non eſſe prouocandos ſudores, quia eripiunt materiam ſeroſam, quæ debet eſſe vehiculum fluxus ſingulis menſibus ſanguinis, non eſt tamen exiſtimandum, quin eductis humoribus hiſce craſſis & attenuatis; quibus natura velut immenſo pondere grauabatur, & obſtructiones augebantur, liberior ſit deinceps futura ad vacuationes ſolitas promouendas; Adde, quòd humor iſte in ſuperficie corporis hærens non poteſt commodiùs, quàm per ſudorifica vacuari. Nos itaque conſulere ſolemus illis vſum thermarum noſtrarum Ballerucanarum, tam potu, quàm lotione: potu enim aquæ iſtius, expeditis priùs, & liberatis viis per prædicta remedia detergitur; & excluditur humor in prima & ſecunda corporis regione per alui fluxum, & vrinæ maximum fluorem: tertia verò regio excitatis copioſis ſudoribus depletur. Harum defectu poterunt ſtuphæ ſiccæ, ſiue laconica præſcribi, aut humidæ ex decocto herbarum nerualium, & hyſtericarum, vt

arte

artemiſiæ,nepetæ, ebuli, ſaluiæ,hyſſopi,lauri, lauendulæ,roſmarini,& ſimilium, quibus ſudores commouentur benignè, & ſine vlla virium diſſipatione. Vel ſi mauis,inſtituatur decoctum ſudoriferum in plures dies ex rad.chinæ, (quam ἄγευστον id eſt,ſine guſtu)vocant,aut ſalſæ parillæ in temperamento ſicciore,& calidiore:in aliis verò ex ligno gaiacino,quod potenter calfacit,exiccat,mollit,& extenuat.Redeundum deinde ad ea,quæ peculiariter ductus vteri aperire poſſũt,& viſceribus temperiem reſtituere:vnde multi theriacam veterem,mithridatium,auream alexãdrinã plurimùm commendant in hoc affectu,quibus hyemis tempore potiſſimùm vtẽdum erit ſolis, vel permixtis: proſtant etiam in officinis confectiones dialacca, diaricurma,pliris,arconticõ,& ſimiles obſtructionibus ſoluendis dicatæ,quæ omnia contrario modo erunt vſurpanda,quoties mulierculæ ex nimio mẽſium,aut hæmorrhoidarum fluxu,& profluuio in tales cachexias incidunt:tunc enim illius ſuppreſſioni ſtudendum,vt ſuo loco dicetur.Idem dicas de febre vehemẽti:quoties enim illi ſuperuenit,tunc tẽperanda remediorum iſtorum qualitas, & febrilis ardor primùm compeſcendus.

Quod ad reliqua verò ſymptomata ſpectat,vnicuique proſpiciendum eſt, prout vrgentioris rationem obtinent, verbi gratia,quando valde vrget lipothymia,& cordis palpitatio ex melancholico vapore vtantur frequenter confectione alth. cum vino, tabellis diamargarit. aqua, cæleſti, dicta,vel imperiali,quæ hodie habentur præcipuè ad flatus diſſipandos,& reparandam ſubſtantiam

ſpirituo

ſpirituoſam. vel diſſoluatur puluis garyophyllorum, & macis cum granis aliquot moſchi in pauco vino albo odorifero, & aqua meliſſæ. capiat cochlear vnum inſtante paroxiſmo. geſtet ſupra regionem cordis ſacculum ſericeum hiſce pulueribus refertum, & aqua bugloſſi frequenter irroratum. ſi magis infeſtet ſymptoma ex copia vaporum, ſoluatur ſtatim venter clyſtere, vel ſuppoſitorio quodam acri. ligentur, & confricentur crura & coxæ, ipſiſque hypocondr. aut ſub illis affigantur cucurbitulæ cum multa flamma. Generoſiſſimum remedium ad hoc propulſandum hodie habetur apud medicos, lapis ille, qui Bezoar vocatur; cuius grana tria, vel quatuor diſſoluuntur cum aqua quodam cordiali, vel vino illo chalybeato, & tempore acceſſionis, vel etiam extra, ſi talem ſumptum ferre poſſint, frequenter exhibentur.

Germani in hoc caſu laudant rad. angelicæ. Hiſpani radicem ſcorcioneræ, quam in vino per totam noctem macerant, & ſummo manè illius colaturam exhibent, aut incoquunt inſcitis, vel faciunt illius cõſeruam cum ſaccharo; ſicque mulierculis iſtis ſub varia forma exhibent. Ad deprauatum verò, vel imminutum appetitum nihil eſt præſtantius, quàm ſi vtantur frequenter hora vna ante paſtum pilulis & aloë, agarico, nuce moſchata, & maſtiche cum aqua menthæ confectis, manè autem ſyrupo, vel vino de abſinthio. Extra verò inungatur ventriculus oleo nucis moſch. vel garyophyll. Dolorem autem capitis ſic valde importunum mitigabis præter purgatio

gationem ex pilulis, & clyſteribus dictis, lotionibus pedum ex vino, & herbis nerualibus, erubrocha capitis ſuper ſuturas ex aqua thermali ſulphurea, aut lixiuio ex cineribus ſarmentorum, in quo decoctę fuerint herbæ neruales cum foliis ſennæ, & agarico, quod æſtatis tempore potiſſimùm eſt vſurpandum deraſis priùs capillis. Deinde admotione emplaſtici de betonica dicti, vel ex gummi illo, quod hodie tecamaacha vocatur: nec non additis quibuſdam narcoticis, ſi doloris atrocitas id expoſtulet, & tandem ad cauteria, ſiue apertiones cutis deueniendum. Atque hæc de cloriſeos curatione ſufficiant.

De ſuppreßione fluxus menſtrui

CAPVT II.

MVLIERES particularia quædam excrementa gignere, quæ natiuam earum temperiem imitentur in phyſiologia docuimus, inter quæ principatum obtinent ſemen muliebre, & ſanguis ille menſtruus, quia non tam verè ſunt excrementa qualitate peccantia, quàm vtiles & benignę ſuperfluitates ad generationis opus neceſſariæ, vnde fluxus iſte muliebris purgationes κατ' ἐξοχὴν, à vulgo dicuntur, & flores, quia vt arborum alacritas & vigor ex florum ſuo tempore erumpentium vbertate cognoſcitur: ſic etiam muliercularum fœcunditas ex ſanguinis iſtius legiti.

gitima effuſione, qui nihil aliud eſt quàm excrementum benignum ſecundæ concoctionis menſtrua periodo in fœminis ætate vigentibus neque grauidis, neque lactantibus per vteri venas vtiliter fluens. Diximus eſſe excrementum benignũ nẽpe quantitate tantùm exuperans, cùm enim ex eo fœtus partes nutriri, augeri, & perfici debeant, cùm ex illo mammæ lac conficiant, ad educationem illius, vt ſuis locis probatum fuit, cùm ab eodem calore natiuo generetur cum reliquo ſanguine, eadem partium præcipuè iecoris idioſyncratia, ab eadem materia alimentari eaſdem habeat qualitates, quæ in ſanguine per venas effuſo conſpiciuntur, quis dixerit alterius eſſe naturæ, malignæ nimirum & infeſtæ, cùm & in ephæbis, & æſtatis tempore, & in mulierculis, quibus menſtrua ſuppreſſa ſunt ſæpiſſime per nares effundatur ſanguis florens & rubicundus, nullis malignis qualitatibus præditus? ita vt Plinij, Fernelij, & aliorum illa maleficia, vel ſint commentitia, vel audienda ſint de ſanguine iſto extra corpus corrupto, vel de fœminis cacochymis, in quibus ſanguis iſte ob permixtionem aliorum excrementorum vitioſas contrahit qualitates. Diximus eſſe excrementum ſecundæ coctionis, nempe ſanguificationis, quæ in iecore perficitur, quia & colore & tota ſubſtantia repræſentat naturam maſſæ ſanguinariæ. quamuis enim aliqui exiſtiment illum proficiſci ex partibus tertiæ concoctioni dicatis, non videtur tamen admittendum, tum quia magis eſſet alteratus, & illarum partium qualitatibus

litatibus affectus, tum etiam quòd maiorem virium reſolutionem, & infirmitatem inferret, dum vacuatur, iam quodammodo materiæ ſeminalis naturam redolens. Diximus etiam fluere in fœminis ætate florentibus, nec grauidis, nec lactantibus, quia ſanguis hic generationi dicatus non debuit erumpere, niſi eo tempore, quo mulieres ad illud opus ſunt idoneæ: dum verò ſunt iuuenculæ, verbi gratia, ad duodecimum, vel decimum quartum annum venas habent anguſtiores, & natura de corporis incremento ſollicita totum illud alimentum abſumit facilè ad partium accretionem, ita vt, ſi quæ ante illud tempus flores iſtos patiuntur, ſæpe præcocioris & breuioris vitæ exiſtũt: vbi verò vigor ætatis præterit circa quinquageſimum, aut quinquageſimum quintum annum, deſinit hic fluxus, quia calor infirmior iam ſatis eſt occupatus circa corporis nutritionem, & indiuidui conſeruationem neglecta prolis ſuſceptione. Totos igitur quadraginta annos, aut circiter, fæmina debet hunc fluxum pati, ſi proli generandæ ſit apta, quod in alterius ſpeciei fœminis non contingit, quia vehementi nimium exercitatione, parco & minùs laudabili victu, prolis multitudine, partium aliarum generatione, vt cornuum & pilorum, ſquammarum, pennarum, & ſimilium omne illud ſuperfluum facilè abſumunt. quod idem narrant de Indicis fœminis, de ſaltatricibus, & Amazonibus quæ parum aut nihil fluxum iſtum patiuntur, & experiuntur. ſic etiam dum grauidæ ſunt, aut lactantes non debent illum pati,

quamuis

quamuis aliquando ſecus contingat, præcipuè in luxurioſis fœminis, quia debet tunc transferri ad nutritionem embrionis, aut lactis generationem. Diximus præterea hunc ſanguinem effluere naturaliter ſingulis menſibus, non autem ſæpius vel rariùs circa varias ſeptimanas, vnde illud:

Luna vetus veteres, iuuenes noua luna repurgat.

Cuius rei multipliciter ratio redditur. Quòd enim menſtruatim effluant, non autem ſingulis diebus (intercedit enim vt plurimùm interuallum viginti duorum dierum) id tum ratione Iecoris factum eſſe videtur, cuius admodum ſollicita eſt natura, quia valde fœdum & turpe fœminam cum mare coituram perpetuò hac illuuie ſcatere; tum etiam, quòd cùm ſanguis non qualitate ſit infeſtus, ſed tantùm quantitate, oportuit illius certam copiam colligi, quæ ſuo pondere grauans ſollicitaret naturam ad expellendum circa certam periodum, quam illa bene regulata in ſuis omnibus motibus ſolet obſeruare, vt patet de criſibus, quas in morbis promouere ſolent. Adde quòd cùm Luna menſium, vt Sol annorum, gubernatrix humoribus præeſſe credatur, fit vt peracto illius curſu expulſio humoris iſtius contingat. Cur autem luna creſcente plereque, aliæ verò decreſcente, vel omnino deficiente purgentur, hanc ſtatuunt eſſe rationem, quia iuuenes, quibus ſanguis cumulatiſſimus, & feruidior, viæque corporis patentiores, facilè ad iſtum fluxum commouentur prima Orientis & creſcentis Lunæ quadra: vetularum autem humores frigidiores & parciores, vaſiſque denſioribus & ſiccioribus

con

contenti non tam facilè fluunt, niſi adiuti radiis lunaribus pleno orbe effuſis, aut certè luna iam decreſcente, quia collectus & turgens plenilunio humor irrumpit deinde in vaſa vteri, & ſibi viam facit circa finem menſis, quando iam grauior factus eſt. Diximus etiam per vteri venas, vt diſtingueremus ab omni alio fluxu ſanguinis, naris, oris, veſicæ, hæmorrhoidum & ſimilium, qui quamuis aliquando vtilis eſſe poſſit ratione indiuidui, impedit tamen, aut imminuit curſum harum purgationum, & prolis generationem. Debet igitur ſanguis iſte copia turgens in hepate ex vena caua deriuari per ramum iliacum in hypogaſtricas illas venas, quæ per corpus & collum diſperſæ circa hanc periodum apertis oſculis ſanguinem excludunt in vteri cauitatem, aut in meatum ceruicis, vt videre eſt in multis prægnantibus, & virginibus: in lactantibus verò non tam per venas illas epigaſtricas & mammarum, quàm per ipſam venam axillarem recurrit in mammas, vt lacti materiam ſuppeditet. Diximus denique, ſanguinem hunc vtiliter fluere, tum ratione indiuidui, tum prolis ſuſcipiendæ cauſa, ſi debitis qualitatibus præditus, iuſta menſura, & certo temporis ſpatio vacuetur, ſine dolore, aut aliis accidentibus. Conditiones iſtas complexus eſt Hippocrates. 2, Prorrhetic. dum vult ſanguinem iſtum trium dierum, aut ad ſummam quatuor ſpatio fieri debet eflorentem, & qualis in recenti victima mactata conſpicitur duarum cotylarum, ſeu heminarum atticarum menſura, quæ libram cum dimidia efficiunt, plus minùs tamen pro va-

Digitized by Google

ria corporum conſtitutione, & viuendi modo.

Hæc eſt naturalis œconomia huius menſtruæ purgationis in mulieribus, quæ ſanæ exiſtunt, & ad prolem ſuſcipiendam idoneæ, ex cuius cognitione facilius erit nunc ea, quæ præter naturam accidunt, perſcrutari. Imprimis autem agendum eſt de ſuppreſſione, vel imminutione illius fluxus, tum quia frequentior eſt inter reliqua mulierum ſymptomata, tum etiam, quòd affinitate quadam coniunctus eſt cum ſuperiori affectu, quem dicebamus frequenter ex ſuppreſſis menſtruis pendere. Vt igitur rem ipſam definitione complectamur, dicimus, Suppreſſionem iſtam eſſe ſymptoma retenti præter naturam ſanguinis propter materiæ ipſius vitium, viarum, vel vteri impedimenta, ex quo varij affectus oriuntur morboſi. Hac definitione deſignamus primò naturam ipſius affectus, quæ eſt poſita in ſecundo ſymptomatum genere, dum aliquid quod excerni debet naturaliter à corpore cohibetur intus à cauſa morbifica ex toto, vel ex parte, vnde abolitæ, vel imminutæ functionis effectus dicitur, ita vt aliquando retentrix, aliàs expultrix laboret, aut otietur per ſympathiam, vel idiopathiam læſa, vt deinde clariùs apparebit. Separamus etiam à ſuppreſſione, quæ aliquando naturaliter contingit, vt poſt partus, & ſimiles caſus. Dum dicimus ex iſta varios oriri affectus morboſos complectimur etiam ſubiectum & partes affectas, quæ naturalem cauſam repræſentant. Dum dicimus, eſſe ſymptomata menſtruæ purgationis, quæ peculiariter per vterum fieri ſolet; complectimur denique

que

que efficientes propinquas, ſeu coniunctas cauſas,eaſque ſub tria capita reuocamus,materiæ ſcilicet ipſius, venarum,& vteri vitia.

Sanguis igitur iſte, vt ſit cauſa iſtius retentionis, vel quantitate exuperat, ita vt nimium oppleat venas, ſibique ipſi aditum & exitum præpediat, quemadmodum videre eſt in veſica nimio humore plena, qui ob diſtenſionem illius excerni nequit in multitudine humorum, qui dum per oſtium aliquod ſimul exire contendunt, ipſimet ſibi impedimento ſunt, & viam occludunt: vel quantitate deficit, paucus enim, & valde diminutus ſanguis non poteſt naturam ſollicitare ad excretionem, quæ priùs de indiuidui conſeruatione ſollicita, quàm ſpeciei propagatione exiguum iſtum ſanguinem ad partium alimoniam ſeruat neglecta purgatione vterina; vel peccat proprio motu, qui debet eſſe Catarrhopus, verſus vteri vias, deflectit aliquando curſum ſuum ad ſuperiora variis de cauſis, vt patet in hæmorrhagia narium, vomitu, vel ſputo ſanguinolento, quæ frequenter mulieribus contingere ſolent: aut deriuatur in veſicam, matiſcas, & ſimiles ductus, per quos copioſiùs vacuata materia non fertur deinde commodè ad vterum, vt conſueta periodo excludatur. Vel denique ſanguis iſte peccat qualitate: craſſitie ſcilicet, aut lentore ex proprio ſuo vitio, vt quando tota maſſa ſanguinea nimium refrigeratur, aut exiccatur, vel permixtione alterius humoris excrementitij, pituitoſi nimirum, aut melancholici, qui ſimul cum illo amandatur iſtos in ductus vterinos, vnde vaſorum

etiam obſtructiones emergunt; ſecundum enim caput cauſarum efficientium proximarum ſuppreſſionis, & imminutionis menſtruorum refertur ad ipſas venas, ſiue ſint ipſi vtero propriæ, ſiue propagines hepatis, lienis, meſenterij, & aliarum partium, ex quibus materia iſta aliquando proficiſcitur: hiſce vaſis contingens ſtegnoſis vel emphraxis intercipit fluxum menſtruæ purgationis; à ſtegnôſi enim anguſtiores factæ, vel natura ipſa, vel frigiditate nimia, ſiccitate, aut compreſſione vicinorum corporum non præbent iuſtum canalem humori fluxuro: per emphraxin verò oppletæ ſucco aliquo craſſo & lento, qui interioribus earum parietibus adhæret, fieri non poteſt, vt ſanguis ille menſtruatim effluens penetrare poſſit ad vteri vſque cauitatem. & hæc eſt frequentiſſima ſuppreſſæ iſtius vacuationis cauſa in corpore mulierculatum frigidiore, & cacochymia. Tertium denique caput cauſarum refertur ad ipſius vteri diſpoſitiones morbificas, nam & intemperies illius inſigniores illud præſtare poſſunt. Cum materia & ſine materia inſignis videtur frigiditas & ſiccitas conſtringendo & exiccando corpus vteri, caliditas vehementior, vel quia ſiccat, vel quia reſoluit potenter; vel, quia facit penetrare humores in ſubſtantiam iſtius partis, vnde tumores præter naturã exoriuntur. Idem dicas de nimia mole & pinguedine, vel ſtructura vteri ipſius, illius malo ſitu, procidentia, euerſione, diſtortione oſculi interioris, cicatricibus grandioribus poſt aborſum, partum laborioſum, aut quæcunque vlcera relictis, pellicula ductum

obtu

obturante, coalitu parietum ceruicis, propter ſolutiones continui, & ſic de reliquis propriæ matrici, vel eius collo inhærentibus. Sunt enim ſympathici etiam affectus, qui idem præſtare poſſunt, vt inteſtini recti, vel veſicæ tumores, & grandiores calculi, omentum pinguius, muſculorum, abdominis præſertim rectorum inflammationes, & ſic de reliquis. Iam igitur videamus, quomodo externæ cauſæ, ſeu procatharticæ iſtas intemperies, tam antecedentes, quàm coniunctas promouere valeant.

Primùm igitur aër frigidior ſicciórque, vt aquilonia tempeſtas conſtringendo vehementer poros, ductúsque corporis, & humores condenſando, poteſt aliquando cohibere & retardare iſtam purgationem præcipuè in eis quæ non ſunt aſſuetæ illi tempeſtati. Ingreſſus etiam, aut caſus præceps in aquam frigidam, nimia mora in flumine, vt balneatricibus & pauperculis contingit, quæ lixiuia lauant, idem præſtare poteſt, potiſſimùm ſi tunc fluxerint menſtruæ purgationes, quia eas intro repellit, & ſanguinem congelat. Aliquando ſed rariùs aër feruidus, qualis ſub canicula, multùm diſſipando, & reſoluendo facit parciorem, vel tardiorem iſtam catharſin, quod eodē modo dici poteſt de æſtuario, ſeu balneo calidiore, cui ſe imprudēter immerſerint, quia euocant motum humorũm ad exteriora, ſudoreſque copioſos prouocando, rapiunt & abſumunt ſeroſam partem, propter quam maximè fluxilis exiſtit. Alimenta etiam in hoc affectu producendo maximam vim obtinent. nam pauciora ali-

menta, quàm pat ſit, non reficiunt conuenienter corpus, nec iſtam ſanguinis redundantiam efficere poſſunt, quæ menſtruatim expurgetur. nimia autem & intempeſtiuè ſumpta, potiſſimùm dulcia, dupliciter nocent, copioſiorem ſcilicet efficiendo ſanguinem, ex cuius multitudine diſtenduntur aliquando vaſa, & non aperiuntur; vel certè, quia effuſus circa ſpatia & membranas partium concreſcit in adipem copioſum, & præ mole ſua ductus corporis reddit anguſtiores: vnde videmus pingues illas mulierculas laborare ſtegnocoria, & parum purgari. Quodſi alimentis craſſis, & viſcidis, potu frigidiore, oleribus, & ſimilibus crudioribus frequenter veſcantur, non eſt dubium, quin ſanguinem reddant pituitoſiorem, ductus & orificia venarum humore lento oppleant, propter cuius infartum obortis obſtructionibus vix deinceps purgari poſſunt, niſi mutata victus ratione. Eſt etiam aliquando ex alimentis calidioribus, ſiccioribuſque magna copia ſumptis, vt ſale, aromatibus, pipere, & reliquis, quæ hanc purgationem ſiſtit, tum quia exiccant valde partium ſubſtantiam potiſſimùm hepatis, tum etiam ſanguinis ipſius liquorem abſumunt. adſtringentia denique alimenta, acerba, auſtera, & ſimilia, manifeſtiſſimis illud qualitatibus præſtare ſolent, dum ductus coarctant, & humores condenſant. His adde exercitationes violentas, & vigilias immoderatas, quibus valde exhauritur corpus, propter quas dicebamus ſaltatrices fœminas, Amazonas, Indicas, & ruſticanas parum, aut nihil purgari. Quemadmodum
ſomnus

ſomnus diuturnior, & otium nimis multiplicatis cruditatibus, & eneruato calore natiuo idem aliquando efficiunt: excrementa verò retenta præter naturam, ſiue ſint ſanguineæ materiæ, vt dicebamus de hæmorrhagia narium, oris & hæmorrhoidum; ſiue alterius cuiuſuis, vt per diarrhæas immenſas, vomitus continuos, ſudores & vrinæ profluuia potenter ſiſtunt iſtam purgationem, quæ non priùs reſtituitur, quàm huiuſmodi vacuationes ſedatæ fuerint: imò etiam inſenſibiliter vacuationes idem præſtant per diaphoreſin, vt videmus in maraſmo, febribus continuis, ſcirrho internarum partium, & earum vlceribus. Denique animi pathemata, quibus miſerè fluctuat hic ſexus mulieb ris; iracundia vehemens, timor ſubitus, mœror perſeuerans, zelotypia grauis, & ſimilia tantam illis perturbationem inferre ſolent, vt plerumque poſt validos iſtarum paſſionum inſultus deſtituantur omnino hac purgatione per totam vitam, aut per plures menſes, potiſſimùm ſi menſtruis fluentibus iſta pathemata ſuperueniunt. Atque hæc de cauſis, nunc ad ſigna veniamus.

Diagnoſis igitur in hoc affectu, ſicut in aliis, ſpeciem ſiue naturam, illius partem primariò, vel ſecundariò affectam, & cauſas affectus varias deprehendere docet. Quod ad ſpeciem affectus attinet, duo ſunt aphoriſmi apud Hippocratem ſect. 5. qui ad hanc rem pertinere videntur, ſcilicet 39. qui ſic habet: ſi mulier quæ neque prægnans eſt, neque puerpera, lac habet, & menſtrua defecerunt, quaſi velit Hippocrates lac in mulieribus iuſtæ æ-

ætatis apparere poſſe ex ſola menſtruorum ſuppreſſione ſine puerperio, aut grauiditate: quod tamen ita rarum eſt, vt potiùs propter Hippocratis authoritatem creditum, quàm vlla ratione confirmatum videatur, cùm enim lac in muliere potiùs ſana, quàm morboſa generetur, fiatque fætus nutriendi cauſa, non eſt credibile retentis propter cauſas morbificas, & nulla prole ſuſcepta ſine virili concubitu lac generari poſſe. Quid dicemus igitur de hoc aphoriſmo, & an omnino reijciendus, vt ſpurius, & à veritate alienius; an verò interpretandus? Dicimus Hippocratem per lac non veram illam ſubſtantiam, quæ proli nutriendæ idonea, intellexiſſe, ſed liquorem ſubalbidum, & ſanioſum, quo ſæpe non ſolùm virginum morboſarum mammas, quando menſtrua diutius deſtiterant, ſed etiam quorundam virorum abundare conſpeximus, magnoque pruritu & moleſtia exire. Alter aphoriſmus 61. ſic habet: ſi mulieri purgationes non prodeant, quæ prius rite fluere ſolebant, nullo tamen horrore, aut febre ſuperueniente, exiſtimandum eſt eas grauidas eſſe factas, ita vt his verbis innuere videatur, ſuppreſſionem menſtruorum morboſam inferre mulierculis honorem ob refluxum materiæ iam vitiatæ, aut frigidioris in partes ſenſiles, & habitum corporis: febrem autem ob conceptam putredinem, quæ humoribus concluſis facilè accidere ſolent: aliter hoc non eſt perpetuæ veritatis, & intelligendum tantùm de valde cacochymis, in quibus humorum retentio hæc

hæc accidentia parere poteſt: in aliis verò minimè: vnde lib. 1. Gynæc. iſta clariùs explicauit. tertio, inquit, menſe, poſtquam menſtrua incipiunt ſentire, ſuffocationes, & horrores, lumborum grauitatem, & quandoque febrem.

Quodſi ſuppreſſio diutius perſeueret, iam incipit illis obdureſcere venter, ſpinalis regio dolere, cibi faſtidium & vigilia ingraueſcere, ita vt dentibus dormientes ſtridеant, tandem anxiæ fiunt, animo linquuntur, frequenter vomunt, pectus intumeſcit, & vrina aliquandò ſupprimitur, vel rubra, nigricans, & ſanioſa excluditur. Idem Galenus totidem ferè verbis expreſſit. cap. 5. lib. 6. de locis affectis. Hac igitur in parte ſolertem & accuratum valde oportet eſſe medicum, ne decipiatur à mulierculis grauiditatem diſſimulantibus, & accuſantibus cauſas morbificas, vt remedia ab eis impetrare poſſint, ad abortum conciliandum. quamuis enim multa ſint accidentia communia grauidis, & iis, quæ præter naturam ſuppreſſos habent menſes, attamen illa ſic diſtinguere oportet. primò, quia grauidæ vt plurimùm proprium retinent colorem; qui in aliis valde defædatus: ſecundò, quia grauidarum ſymptomata miteſcunt paulatim aucto fœtu, contra in iſtis magis ac magis ſæuiunt perſeuerante affectu: tertiò, quòd poſt tertium menſem in grauidis motus & ſitus infantis ſenſibiliter percipitur admota ventri inferiori manu: in aliis verò ſentitur quidam tumor, ſed œdematoſus, vel nimium durus, qui non habet ſuam

Digitized by Google

circumſcriptionem ſemper cum vtero limitatam : quartò denique, quòd ſi oſculum vteri interius à perita obſtetrice tãgatur, non ita exactè clauſum, vt in grauidis reperitur, ſed potiùs durum, contractum, & quodam dolore affectum. Cognito affectu deprehendenda diligenter pars affecta, & cauſa affectus proxima, ac proinde, ſi totum corpus ſit hîc in vitio, aut pars aliqua princeps, vel ad vitæ vſum neceſſaria; quæ ſanguinis quantitatem, qualitatem, aut motum immutet, vel vaſis, & vtero noxam inferat ex ſympathia. Illud erit agnoſcendum perluſtratis omnibus ſignis variarum diſpoſitionum, & partium, quæ præcedere potuerunt hanc menſtruorum ſuppreſſionem, exempli cauſa, vniuerſum corpus huic affectioni ortum dediſſe propter plethoram redundantem apparebit, ſiquidem venæ valde fuerint in cruribus & brachiis diſtentæ, ac nigricantes, ſi fœmina corpulentior, aut rubicundior appareat; aut propter defectum ſanguinis, ſi obeſior ſolito facta fuerit : ſi diuturnam febrem, aut quartanam perpeſſa, ſi inedia coacta, vel cibi faſtidio diu vexata fuerit : vel etiam immutato motu, quando per hæmorrhagias illas commemoratas excluditur ſub propria forma, aut ſeroſa materia rapitur per alias quaſcunque vias, vt vomitu, diarrhæa, ſudore, & vrinæ profluuio, in quibus obſeruandum, vtrum obſtructiones in vaſis maioribus, in jecore, liene, mezentero, & reliquis ortum dederint huic

præ

præpoſtero motui: ſanguinis denique refrigerationem, craſſitiem, vel denique lentorem proprium, vel ex permixtione cum pituitoſo, aut excrementitio humore melancholico dignoſces, quia vel totum corpus, vel aliqua pars earum, quæ concretioni dicatæ ſunt, inſignem contraxerit intemperiem, vnde iam color defœdatus in cute apparet; pulſus infirmior, vrina albicans, tenuis, & deiectiones crudæ.

Quodſi anguſtia, aut obſtructio vaſorum illis adiungatur; labores in lumbis, & partibus prope vterum ſitis, inſtante potiſſimùm purgationis tempore, perſentiuntur, & ſi quid tum effluat, mucoſum, ſubalbidum, aut ſubnigricans apparet, quod linteolis, vel arena exceptum, vt ait Hippocr. lib. Gynæc. proprium humoris dominatum oſtendit: præterea venas, aut vterum comprimi vel coarctari ex incumbente grandiore omento, tumore præter naturam, calculo & ſimilibus affectibus partium vicinarum ex propriis earum ſignis repetendum: veræ autem notæ obſtructionis iſtorum vaſorum, quæ eſt frequentiſſima cauſa ſuppreſſionis menſtruorum, in eo poſitæ ſunt, quòd perpetuò effluxus ille retardatur, aut anteuertit magno naturæ cruciatu & moleſtia, quæ expellere quidem, ſed fruſtra ob viarum impedimenta nititur. Quodſi ipſe vterus intemperie inſigni, malo ſitu, procidentia, euerſione, diſtortione oſculi, cicatricibus, pellicula, vel cohalitu laboret, ſigno ex ſequen-

tibus

circumſcriptionem ſemper cum vtero limitatam: quartò denique, quòd ſi oſculum vteri interius à perita obſtetrice tãgatur, non ita exactè clauſum, vt in grauidis reperitur, ſed potiùs durum, contractum, & quodam dolore affectum. Cognito affectu deprehendenda diligenter pars affecta, & cauſa affectus proxima, ac proinde, ſi totum corpus ſit hîc in vitio, aut pars aliquã princeps, vel ad vitæ vſum neceſſaria, quæ ſanguinis quantitatem, qualitatem, aut motum immutet, vel vaſis, & vtero noxam inferat ex ſympathia. Illud erit agnoſcendum perluſtratis omnibus ſignis variarum diſpoſitionum, & partium, quæ præcedere potuerunt hanc menſtruorum ſuppreſſionem, exempli cauſa, vniuerſum corpus huic affectioni ortum dediſſe propter plethoram redundantem apparebit, ſiquidem venæ valde fuerint in cruribus & brachiis diſtentæ, ac nigricantes, ſi fœmina corpulentior, aut rubicundior appareat; aut propter defectum ſanguinis, ſi obeſior ſolito facta fuerit: ſi diuturnam febrem, aut quartanam perpeſſa, ſi inedia coacta, vel cibi faſtidio diu vexata fuerit: vel etiam immutato motu, quando per hæmorrhagias illas commemoratas excluditur ſub propria forma, aut ſeroſa materia rapitur per alias quaſcunque vias, vt vomitu, diarrhæa, ſudore, & vrinæ profluuio, in quibus obſeruandum, vtrum obſtructiones in vaſis maioribus, in iecore, liene, mezentero, & reliquis ortum dederint huic

præ

præpoſtero motui: ſanguinis denique refrigerationem, craſſitiem, vel denique lentorem proprium, vel ex permixtione cum pituitoſo, aut excrementitio humore melancholico dignoſces, quia vel totum corpus, vel aliqua pars earum, quæ concretioni dicatæ ſunt, inſignem contraxerit intemperiem, vnde iam color defœdatus in cute apparet, pulſus infirmior, vrina albicans, tenuis, & deiectiones crudæ.

Quodſi anguſtia, aut obſtructio vaſorum illis adiungatur, labores in lumbis, & partibus prope vterum ſitis, inſtante potiſſimùm purgationis tempore, perſentiuntur, & ſi quid tum *effluat*, mucoſum, ſubalbidum, aut ſubnigricans apparet, quod linteolis, vel arena exceptum, vt ait Hippocr. lib. Gynæc. proprium humoris dominatum oſtendit: præterea venas, aut vterum comprimi vel coarctari ex incumbente grandiore omento, tumore præter naturam, calculo & ſimilibus affectibus partium vicinarum ex propriis earum ſignis repetendum: veræ autem notæ obſtructionis iſtorum vaſorum, quæ eſt frequentiſſima cauſa ſuppreſſionis menſtruorum, in eo poſitæ ſunt, quòd perpetuò effluxus ille retardatur, aut anteuertit magno naturæ cruciatu & moleſtia, quæ expellere quidem, ſed fruſtra ob viarum impedimenta nititur. Quodſi ipſe vterus intemperie inſigni, malo ſitu, procidentia, euerſione, diſtortione oſculi, cicatricibus, pellicula, vel cohalitu laboret, ſigno ex ſequentibus

ribus capitibus erunt repetenda, vbi iſta peculiariter explicabuntur. In illis autem certiſſimum eſt, quædam ex relatu quidem ipſius ægrotantis percipi poſſe; at præcipua ex contactu, & inſpectione illarum muliercularum. Quapropter in hoc affectu non erit difficile; nam ſi iſta retentio menſtruorum ſit præter naturam, neque ex ætatis defectu, grauiditate; puerperio, aut lactatione dependens, ſed puris cauſis morbificis à nobis numeratis, innumera conſequuntur mala in corpore muliebri, vt iam fuit annotatum ex Hipp. aph. 57. ſect. 5. Quorum affectuum alii in toto corpore fiunt, vt quando febres oboriuntur, lepræ, leucophlegmatiæ; alij partem aliquam peculiarem impetunt, vt mania, melancholiæ, lipporimie, carinariæ, ophtalmiæ, ciborum faſtidia, cardionme, tuſſes, anhelationes, ſanguinis vomitus, arthritides, 6. Epid. podagra, aph. 29. ſect 6. cruris claudicatio, aph. 1. lib. 6. ibidem. Alii verò in ipſo vtero contingunt; vnde variæ intemperies & tumores præter naturam, abſceſſus & vlcerationes; ex quibus ſi diutiùs conflictentur mulieres, vel moriuntur tabefactæ; vel proli ſuſcipiendæ redduntur omnino ineptæ, quod fuſiùs apud Hipp. lib. cit. videre eſt. Eſt etiam memorabile, quod habetur 3. Epid. quibuſdam mulieribus robuſtioribus ob retenta diutiùs menſtrua barbam emerſiſſe, & viris ſimiles quoad vocem, inceſſum, & alias actiones redditas fuiſſe, quod veriſimilius exiſtit, quàm membra generationis foras emerſiſſe, vt de quibuſdam narrant;

narrant, & verè maſculos euaſiſſe, niſi fortè prius hermaphroditę fuiſſent. Scripſit idem Hipp. lib. cit. ſuppreſſionem menſium, quæ vltra ſex menſes durat eſſe immedicabilem, quod tamen intelligendum eſt de retentis in ipſo vteri corpore, aut cauitate menſtruis, quæ ibi putreſcunt, & ſuppurantur, vt in retentis lochiis videmus, non autem de quacunque ſuppreſſione, cùm contrarium obſeruetur, & ipſe lib. 4. Epid. tradiderit ancillam quandam, cui per ſeptennium ſuppreſſa fuerant menſtrua, illis tandem redeuntibus ſanitati reſtitutam fuiſſe. Nimis verò periculoſa eſt iſta ſuppreſſio, quæ à multitudine ſanguinis optimi oritur, à pinguedinis copia, gracilitate, hæmorrhagia, & vacuationibus aliis, quia cauſæ illæ ſi non multùm inualuerint, facilè tolli poſſunt, ægriùs autem curantur ob ſuccorum prauitatem, vaſorum obſtructiones, & anguſtiam, quia rebellis ille humor in penitiores illos meatus inſinuatur non niſi multis remediis, & diuturna opera, cuius mulierculæ ſunt valde impatientes, educi poteſt. Sed omnium peſſima, quæ ex proprio vteri affectu proficiſcitur, quia parte iſta per idiopathiam læſa difficilè curari poteſt ob perpetuum excrementorum affluxum. Atque hæc de prognoſi.

Ad Therapiam igitur accedentes meminiſſe oportet, rationem, & methodicam curandi legem id ſemper habere propoſitum, vt non promiſcuè, & ſine delectu remedia affectibus præter naturam exhibeat, ſed habita rationabilitatis ratione, à quibus illi exoriuntur, proinde cùm

affectus

affectus iſte tot patiatur differentias, ſolers medicus ad medelam cuiuſque particularem accedere debet, quæ triplici inſtrumentorum genere perficitur, vt ſæpe fuit annotatum. Imprimis itaque cauſæ omnes externæ ita componantur, vt oppoſitæ generi cauſarum internarum, à quibus ſuppreſſionem iſtam fieri poſſe ſcripſimus, vt pote ſi à repletione inſigni ſanguinis, & pinguedinis copia oborta ſit, imminuenda erit tam victus ratione, quàm remediis accommodatis. Vena igitur ſecanda imprimis cubitis larga manu, & quocunque tempore commodiùs videbitur: cùm enim dixerimus ſanguinem ſua copia nimiùm implere venas, & ſibi ipſi aditum ad minutula vteri vaſa impedire, ſi quidem venæ inferiores priùs aperientur, quàm imminuta eſſet illa ſanguinis multitudo: traheretur magis ac magis verſus vterum, vbi exitum non inueniet per orificia conſueta, metus eſſet, ne diſrumperet venam aliquam internam, aut effuſus in ipſum vteri corpus, inflammationes, & ſuppurationes, induceret. atque in hoc caſu non eſt audienda illorum ſententia, qui ex Gal. cap. 11. 18. lib. de curandi ratione per venæ ſectionem, exiſtimant in ſuppreſſis menſibus nunquam tundendam eſſe venam in cubito, non enim ratione ſuppreſſionis menſium, aut materię circa vterum poſitæ illam celebramus, ſed potiùs plethoræ totius, quæ cauſa eſt immediata, cur ſanguis non ita commodè in vaſa vteri ferri poſſit: ſic in ſublata priùs iſta redundantia, oportet ex conſilio Aëtij circa

ſolitam

ſolitam menſtruorum periodum venas crurum aperire, vt ſanguis hoc modo ad inferam reuocetur. Quod eadem ratione præſtare poteris fri-ctione deorſum, verſus ligaturas, ſcarificatū, cucurbitulis circa coxas, lotionibus crurum, in aqua tepente, ſemicupio ex rerum aperientium & mollientium decocto. Vbi verò ab inſigni defectu ſanguinis contingit iſta ſuppreſſio propter inediam, gracilitatem ex maraſmo, febre diuturna, vacuationibus magnis &c. non eſt cogitandum de ſollicitandis menſibus, priuſquàm conuenientibus alimentis refectum fuerit corpus, vires inſtauratæ, ſanguinis copia procreata, omniſque morbus, qui inanitionis iſtius cauſa extitit, conuenienter expugnatus fuerit, tunc ſi natura muneris ſui oblita non reuertatur ad priſtinum officium, vel præpoſterè moueat, in alias partes reuocanda erit, tum phlebotomia ex venis cruralibus, tum etiam aliis remediis commemoratis, ita tamen, vt ſanguinis quæ educetur quantitas ſit moderata, partiſque vicibus celebretur metu virium iam deiectarum, & ne corpus in tabem præcipitetur. Idem dicas de motu præpoſtero naturæ, quando per nares, vomitum, ſputationem ſanguinolentam, & ſimiles ſanguinis portiones excludit, qui tunc compeſcendus eſt, tum repellentibus, cùm intercipientibus iſtam materiam, quæ poſtea erit attrahenda verſus vteri vaſa; quæ ideo lauari debent emollientibus, & aperientibus ſumptis, & admotis, quorum exempla deinceps patebunt.

Sed

Sed quoniam frequentiſſimam huius affectus cauſam collocauimus in ſanguinis ipſius fluxuri malis qualitatibus, craſſitie ſcilicet, & lentore cum vaſorum obſtructionibus, ideo prolixiores erimus in cauſa iſta profliganda, cui opponenda ſunt de more tria illa medicinæ inſtrumenta, quæ- uis in ſuperiore capite iſta videantur vt plurimùm explicata, attamen quædam adhuc à nobis non negligenda proponentur.

Galenus igitur in Apho. 36. ſect. 5. vult iſtiuſmodi ſuppreſſionem curari victu attenuante, purgatione excrementi dominantis, & remediis incidentibus, ac detergentibus, inter quæ Diacalaminten valde celebrant. Victum autem attenuantem laudat, quia craſſities, & lentor ſanguini proprius, vel ob excrementorum miſcellam aduentitius, non poteſt commodiùs corrigi, quàm exhibitis alimentis calfacientibus, incidentibus & detergendi facultate præditis, qualia à nobis ſuperiùs recenſita fuerunt; nec non recta aliarum rerum non naturalium conſtitutione, quæ ad idem cõſpiret, multas enim nouimus, quæ aqua frigida ſeſe ingurgitantes, fructibus immaturis, oleribus crudis, & ſimilibus ſolo genere victus mutato, procuratæ fuerunt: de hoc igitur diligenter erunt monendæ. Deinde ſi videatur pertinacior affectus, quàm vt ſola diæta ſanari poſſit, ad reliqua veniendum: cumque in repletione quadam poſitus ſit ob vacuationem iſtam retentam, dubitari poteſt, vtrùm in hoc etiam caſu vena tundenda ſit, & cuius partis: nam Galenus lib. cit. non meminit phlebotomiæ, tum quòd

quòd per ſanguinis miſſionem ex vena cubiti magis refrigeraretur totum corpus & incraſſaretur materia fluxioni dicata, vtrum etiam reuelleretur à loco, in quem naturaliter ferri debet. Nos itaque in propoſito caſu non cenſemus celebrandam eſſe phlebotomiam in cubito, quæ plethora vacuatiua propriè exiſtit: neque etiam ex cruribus, niſi priùs expurgato corpore conuenienrer ab iſtis excrementis, attenuata materia, & vaſis apertis & dilatatis, per quæ deinceps ſanguis commotus per iſtas venę ſectiones inferiorum partium poſſit commodè effluere. Vnde etiam Galenus lib. de curandi ratione per phlebotomiam, tali venam ſecat in fœminis nigricantibus, & gracilibus tantùm: in albicantibus verò, & carnoſis abſtinet, tum quòd pauco ſanguine, inquit ille, præditæ ſint, tum etiam ob exiles venas, quæ vix in illis reperiri poſſunt, ideóque contentus eſt crurum ſcarificatu, frictionibus, & vinculis dolorificis inferiorum partium, aut cucurbitulis femoribus admotis, quæ ſufficiant ad attrahendum ſanguinem in vteri vias, quando iam ſufficienter præparatus fuerit. Nos certè in iſtis mulierculis, quibus vix licet ſanguinem mittere, nihil conſtantius obſeruauimus, ad cacochymiam exhauriendam, & ſollicitandos mēſes, quàm cauterij in vtroque crure admotionem, vt per iſta vlcuſcula ſuperflui liquores continuò vacuentur, & humorum curſus ad inferiora dirigatur, in quibuſdam etiam, quæ varicoſas venas in coxis, & tibiis patiuntur ob retenta menſtrua. Vidimus aliquando circa purgationis tempus illarum vnam ſponte aperiri, quæ magnam excerne-

ret copiam purgationi menſtruę reſpondentem: ſed hoc non eſt ſine periculo, quia aperturæ iſtarum venarū ſeu per ryzin, aut per diarrhobur fiunt, vnde imminet metus largioris hæmorrhagię aut vlceris Cacorethi. Adde quòd, etſi ex iſtis ſanguinis excretionibus, vt etiam per nares mariſmo, aut vomitu videatur ſubleuari fœmina, vt eſt aph. 33. ſect. 5. attamen non eſt præmittendus ille motus, quia ſi perſeueret, intercipitur omnino ſpes ſuſcipiēdæ prolis. Iſta igitur ſunt obſeruanda circa phlebotomiam. Vidēdum deinde, quod genus excremēti in ſanguine dominetur, pituitoſi ſcilicet, aut melancholici, propter cuius permixtionem inſpiſſatur, & vaſorum ductus obſtruuntur, vt conueniens iſta expurgatio, & purgatio inſtituatur.

Inter catharcticorum genera valde laudat Galenus in hoc affectu confectionem de hiera ſimplici, & compoſitam, pilulas de hiera cum colocynthide, quia præterquàm quòd educunt convenienter humores iſtos, habent etiam facultatem expurgandi vterum, & vias aperiendi propter aromata. Præmiſſo igitur clyſtere conueniente, cuius hic magnus vſus eſſe ſolet, ob incumbentem inteſtino vterum, præſcribatur hiera iſta cum pauco Diaphænico. in pituitoſis; vel cum confectione hamech. in melancholicis ſub formam boli ſingulis menſibus repetendi, antequam præparantia, incidentia ſcilicet, detergentia, & menſes prouocantia exhibeantur, tam intus, quàm foris. Nos apozematis noſtris, iulepis, ſyrupis magiſtralibus, pilulis & opiatis, quorum multa exempla ſuperiori capite deſcripta ſunt illud pręſtare ſolemus. Inter ſimplicia

autem

autem cathartica commendantur hodie rad. Mecoach veri, qui ad ʒj. vel ij. ſumptus cum pari pondere ſacchari: & Cinnamomi ex vino albo, vel iuſculo cicerum rubeorum valde creditur expurgare illuuiem iſtam vterinam ſemel aut bis in menſe. Quod idem aſſerunt de puluere tartari albi: aliquando tamen potentiori cathartico, & quaſi mochiclo vtendum erit (vt loquitur Galenus comm. lib. 6.) ad deturbandum iſtum humorem rebellem, conuenienter priùs humectato & præparato corpore: Imò non reiicit vomitoria in hoc affectu validiora, ſiquidem excrementi pituitoſi ſoboles, quod in vteri venas deuoluitur, & catharroſa cerebri conſtitutione, diſpoſitione, vel infarctu ventriculi pendeat.

Nos autem more noſtro infundere poſſumus agar. recens trochiſcati ʒ. ij. vel ʒ. iij. oxymelitis, vel decocto rad. rub. mai. in quo diſſoluere poteris bened. laxat. ℥ ß. erit enim accommodatiſſimum purgans, quod non ſolùm inferiorum, ſed etiam ſuperiorum partium ſaburram commouebit. Alij verò non inutiliter infundunt agar. in ſucco Mercur. cum pauco croco. Si magis arrideat forma pilulæ, præſto ſunt illæ, quæ de agar. & hermodact. agrigentinæ, Cocciæ maiores & minores dicuntur. Poſt purgationem vnam, aut alteram præparetur humor peccans, & viæ diſponantur, vt moris eſt, ducto initio à leuioribus, aqua graminis meliſſę, & fœniculi, in quibus diſſoluti fuerunt ſyrupi de Bizantio, & de duabus radicibus cum pauco puluere diæreos: Deinde decocto rad. rub. mai. ruſc. aſparagi, Cicer. rubeorum,

cum pauco croco, & cinnamomo, in pituitoſis nihil præſtantius reperies, quam ſi totos in dies bibant manè decoctum ligni gaiacini, cui additum fuerit parum dictami cretici ſine vlla ſudoris prouocatione. Interea ſecundùm variam anni tempeſtatem parentur balnea, hæc enim, loquuntur practici noſtri, prouocant menſes, quia calfaciunt totum corpus, ſubleuant humores, & vias laxant, dummodo illis ſudor nullus, aut exiguus excitetur. Eorum vicem obtinent ſemicupia, pedum lotiones, vel fotus ex mollientibus, incidentibus, & detergentibus, vt deinceps iterata purgatione & præparatione circa ſolitam menſium periodum ſanguis ad vteri venas alliciatur remediis ſupra commemoratis. Quodſi rebellior iſte affectus non pareat communibus remediis, tunc ad valentiora erit progrediendum: vnde Gal. 5. de ſimpl. Medic. facult. c. 16. dum agit de diureticis, galacto poëticis, & menſtrua prouocantibus, eorum amica conſtituit gratia, prout magis vel minus calore ſuo, & tenuitate ſubſtantiæ ſanguinem fluxilem reddere, venarum oſcula aperire, atque expultricem vim ad conſuetum munus prouocare valeant, præterquam quod ſubſtantiæ quadam proprietate vtero, & quodammodo illi non inimica, ſed familiaria exiſtunt. Vbi igitur ad hos affectus oppugnandos mitiora eris expertus, tunc exhibere poteris. Verbi gratia. ʒ j. trochiſ. de myrrha cum pauco hydrom. per tres dies continuos manè inſtante menſium periodo, vel decoctum ſabinæ, & ſummitatum lauri cum pauco cinnamomo. Habentur apud Montaganam pillulæ ad hoc efficaciſſimæ.

caciſſimæ. ℞. trochis. de myrrha ʒ j. ß. ſem. petro. caſtorei,& corticis Caſſiæ añ.℈ j.moſchi g̃.x. cum ſucco apij, formentur pilulæ duodecim deauratæ, capiat duas mane, vel in ingreſſu lecti per aliquot dies,quibus ſi incaleſcere videatur nimiùm corpus, dentur poſt pilulas aquæ graminis, vel decocti liquiritiæ. ℥ iiij. fiant etiam pilulæ efficaces ex puluer.rad.rub. & Ariſtoloc. cum pauco agar. & Cinnamm.quæ excipiuntur, vel incorporantur ſyrupo de artemiſ. Alij laudant fermentum vetus ad quantitatem auellanæ cum pari quantitate ſacchari in formam boli per tres dies continuos manè ſumptum. Magis tamen conuenit pulueris alicuius cum liquore conuenienti vſus, quàm ſolida forma, vt faciliùs penetrare poſſit in vias illas vteri remotiſſimas. Vnde Galen.nepetem,& pulegium in tenuiſſimum puluerem redacta propinat cum aqua decocta in exitu balnei, quod medicamentũ melius eſſe ait, valentius autem quod ex ſabinæ & dictami puluere paratur cum hydrom. Hippocr. lib. de ſuperfætat. exhibet porri ſuccum cum vino dulci, vt auidius trahatur à partibus. Item decoctum ſem. apij, cumini, aſparagi, cum melle. Et lib. de nat. mul: cantharid. auulſis alis & pedibus puluerifatas exhibet, cum mentha, quod hoc tempore valde periculoſum eſſe quidam hydropici, & quibus vrina ſuppreſſa, experti ſunt. Metus enim eſt non ſolùm inflammationis, ſed etiam exulcerationis iſtarum partium: Ideo tutius erit puluerem à nobis ſuperiori cap. deſcriptum exhibere ex chalybe præparato: cui addunt multi puluerem vermium terreſtrium præparatorum ad ʒ j. & aliquando

℈ i. noctilucarum cum pauco gummi cerasorum præter aſſumenda ad menſes ciendos idonea. Sunt etiam alia, vt ſuffitus, peſſi, & iniectiones, ſeu metienchitæ ad illud accõmodatiſſima. Vnde Aphor. 28. ſect. 5. fumigium ex aromatibus commendat Hippocrates. Sunt autem ſuffitus duplices, ſcilicet humidi, & ſicci. Humidi ſuffitus dicuntur illi, qui fiunt ex decocto calente ſub forma vaporis in vteri cauitatem eleuato: ſicci verò ſuffitus, qui ex puluere, vel trochiſco ſupra prunas coniecto exhalant. Exempla primùm humidi. ℞. rad. fœnic. valerian. Cucumer. agreſt. & ireos noſtratis añ. ℥ ij. cort. citri ſicci ℥ ß. fol. nepet. calament. origan. matricar. & tanacet. añ. m. j. ſem. apij & dauci, Spic. nard. ʒ. ij. florum calend. centau. minor. & geniſtæ añ. m. ß. bulliant in aqua & vino albo: quod decoctum modicè calens operiatur patella perforata, cui annecti debet fiſtula oblonga, quæ collum matricis attingat, excipiat huiuſmodi fumum manè, & ſerò bene veſtibus contecta.

Secundum ſicci exemplum. ℞. rad. ariſtol. rotundæ, & peucedani añ. ʒ ij pulu. ireos florent. ʒ. ſem. nigellæ romanæ, & apii. caſtor. myrrhæ, & fol. ſabin. añ. ʒ ß. Cinnamom. & Galliç moſchatç trochiſcorũ añ. ℈ j. excipiantur ſucco fœniculi, vel melle Mercuriali. fiant trochiſci lupinares, quorum duo, vel tres coniiciantur ſuper carbones, vel capillos ignitos ſub ſella perforata poſitos, excipiat fumum, vt ſupra. attenuat enim, & incidit materiam obſtruentem, orificia vaſorum aperit, & vterum recreat; poſtea inunctio aliqua conueniens circa regionem

gionem pubis & perinæi adminiſtrari poteſt, vt ex theriacâ veteri, ſucco mercuriali diſſoluta, vel oleò liliorum, & de capparibus cum pauco caſtoreo & crocô.

Quòd ſi non arriſerit hæc formula, vti poterimus peſſis vel peſſariis, quorum etiam duplex eſt forma; quædam enim inſtar glandis breuioris, vel potiùs noduli confectâ practicis dicitur naſcalia pro virginibus inſtituta: alia verò oblongioris ſunt figuræ, & craſſiora, vt poſſint penetrare ad interius vſque matricis oſculum: fiunt autem multis modis. obſtetrices enim vulgo ex radi. maluæ, aut fœniculi parant, quas purgatas inungunt melle: deinde aſpergunt puluere ſem. Nigel. & Ariſtoloch. rotund. alij decoquunt ſuccum mercur. ſabi. aut chelidon. cum melle vel cera ad conſiſtentiam emplaſtri, ex quo formant peſſaria. Alij cum bombace, hiera picra puluere colocinth. trochiſc. de myrrha, Cinnam. agar. & pauco Caſtoreo, vel etiam moſcho pro ditioribus, qui miram habent eliciendi ſanguinis facultatem, conficiunt peſſarium & ſupertegunt panno ſerico tenui, qui conuenienter inunctus oleo liliorum vel amygdalarum dulcium intromittitur filo alligato, vt commodè extrahi poſſit, per horam vnam aut alteram tantùm relinquendus, ne inflammationem, aut exulcerationem inferat. Imò remoto peſſario, ſi quis ardor ibi reponatur, debet ablui locus lacte, vel eius ſero, aut decocto hordei & paſſularum. Vulgares mulierculæ non ſine fructu ad diſſoluendas vteri

obſtructiones, ſubdere ſolent allium concluſum, & oleo ſpicæ inunctum, vel folia Mercur. contrita, & linteolo obuoluta. Quodſi perueniendum ſit ad interiorem vteri cauitatem, illud præſtabis metienchyta, ſeu clyſtere vterino per idoneam ſyringam immiſſo; abluit enim ſordes parietibus adhærentes, & quæcunque in antro illo deliteſcunt, commodè deterget: necnon interiora vaſorum orificia parantur, & ex decocto iam ad ſuffumigium inſtituto, vel fumum pinguium cum origano, & etiam artemiſiæ. Item de ſolo ſucco Mercur. depurato, in quo parum bened. laxat. ſit diſſolutum, nolim enim ad acriora aſcendere. Imò poſt vſum iſtorum, quæ intus per horam vnam tantùm morari debent, vtile poſtea erit iniicere decoctum maluarum, hordei, & violarum, vel parum hydromel. ſero caprino diluti. Atque hæc ſunt præcipua aduerſus menſium ſuppreſſionem ex iſta cauſa remedia.

Quòdſi retineantur ob proprios vteri affectus; inſignes ſcilicet intemperies, tumores præter naturam, malas conformationes, cicatrices, membranas obturantes, & ſimiles, tunc recurrendum erit ad propria capita, in quibus ſigillatim de iſtis morbis curandi agemus, vel ad caput de ſterilitate, quoniam iſti morbi illam vt plurimùm inducere ſolent. Quòd ſi propter dictos affectus deſperatus ſit eiuſmodi fluxus, tunc cogimur in fœminis plethoricis venam frequenter aperire, aut ſanguinem è naribus elicere, vel ſaltem ex hæmorrhoidibus deriuare, vitandi ſcilicet maioris mali cauſa, nempè ſuffocationis caloris natiui, vel ruptionis vaſorum,

cui

cui valde ſunt obnoxiæ, ſicut annotauit Hippo de athleticis corporibus, aph. 2. ſect. 1. atque hęc de ſuppreſſione menſtruorum ſufficiunt.

Sed quoniam ſæpe contingit menſibus parcè, aut difficulter fluentibus dolores, & tormina grauiſſima exoriri, quibus miſerè iſtæ mulierculæ valde cruciantur. Si hoc fiat à materia acri præcedente ſanguini permiſta, propter quam partes iſtæ quaſi inflammantur, temperandus erit eiuſmodi ardor & acrimonia fotu, vel ſemicupio & decocto violarum, maluarum, althææ, & liliorum: deinde inunctione olei violacei, de nymphæa, aut de nuce Indica, cuius magnum fructum in hoc caſu ſæpe experti ſumus. Dentur etiam emulſiones ex ſeminibus frigidis maioribus cum amygdalarum dulcium, vel pineorum ſufficienti quantitate ad ℥. iiij. bis in die, præſcribi etiam poſſunt iniectiones ex eadem emulſione, tepido lacte, decocto liquiritiæ, & ſimilibus ſæpe repetitis. Quòd ſi à flatu dolores iſti exoriantur, quod frequentiſſimum eſt propter iſtas craſſas & crudas materias, quæ flatus pariunt, inſtituantur fotus ſicci, tum humidi ex carminantibus, attenuantibus ſcilicet, & reſoluentibus. Inunctiones ex oleo rutaceo, chamæmelino, ſambucino, & ſimilibus, ſumant per os frequenter puluerem cumini, aut coriandri cum pauco iuſculo, aut vino tenui generoſo. Idem dicas de emplaſtris & cataplaſmatis. Quodſi tanta oris ſit vehementia, vt primariis hiſce remediis non cedat, cogimur aliquando ad narcotica accedere, vnde theriacam recentem, confectionem requiei dictam, philonium Romanum, cum pauca conſerua capilli veneris illis

exhibemus: aut etiam inunctionis inſtar admoueamus paucæ aquæ vitæ diſſolutum ſupra regionem pubis; Sed hoc ſumma cum cautione, ita vt his remotis, deinde aliquo calfaciente & roborante vtamur. Iam igitur ad alium affectum tranſeamus.

De immodico Menſium *fluxu, & eorum ſtillicidio.*

Capvt Tertivm.

SYmptomata & affectus præter naturam, vt vitia in exceſſu & defectu poſita ſunt, ac proinde cùm ſuperiori cap. tractatum fuerit de ſuppreſſione mẽſium morboſa, iam reſtat, vt de eorundẽ profuſione immodica, inordinata, & præter naturæ debitũ facta agamus. Cùm autem rectum ſit index ſui & obliqui, eſt repetendum illud Hippo. ex ſup. 1. Gynæc. moderati ſint, inquit, menſes prodeũtes in omni muliere; ſi ſana ſit & iuſtæ ætatis, neque grauida, neque ablactans, quando duarum heminarum atticarum menſura ſecedunt, aut paulo plures, vel pauciores, atque hoc ad duos, vel tres dies; multò enim longius, vel breuius tempus morboſum & ſterile eſt. procedit autem ſanguis velut victimæ recens mactatæ, & citò congelatur, ſi bene valeat mulier. Hæc eſt regula Hippocratis rationi & experientiæ conſentanea, qua velut fundamento poſita definiamus pręſentem affectum: Excrementum ſcilicet ſanguinolentum ab vtero copia vel tempore excedens propter vaſorum illius nimiam apertionem, ruptionem

vel

vel exulcerationem factum.

Dicimus eſſe (Excrementum ſanguinolentum) ad differentiam alterius cuiuſuis materiæ profluentis, vt poſtea patebit in tractatu de fluore muliebri: ita vt illud excrementum non ſit toto genere præter naturã, neque ratione materiæ, quæ benigna eſt, & alimentaria, neque ratione excretionis, quia natura inſtituit iſtam viam, per quam expurgaret humores redundantes in corpore muliebri. Vnde autem aliquando immodica ſalutaris eſſe ſolet, Gal. lib. 6. cap. 5. de locis affectis, vt in iis, quibus per aliquod tempus ſuppreſſa fuerat, aut alio modo plethoricæ admodum euaſerant, ſed ratione quantitatis illius & diuturnitatis temporis, quæ non eſt proportionata cum hoc vel illo indiuiduo. Dicimus, ab vtero factum, quamuis enim Gal. com. in aph. 57. ſect. 5. referat iſtiuſmodi ſymptomata ad vitium vteri, vel totius corporis aut ſanguinis, ibi tamen non reſpexit immediatas cauſas, ſed oporteat in eiuſmodi profuſione immoderata ipſa vteri vaſa, quæ ſanguinem continent, aliquo affectu præter naturam teneri, vt copioſiùs effundatur, quàm par ſit. Cùm autẽ duę vteri ſint partes præcipuæ, ſcilicet fundum & ceruix, intelligimus hãc fluxionẽ potiſſimùm fieri ex venis fundi, ſeu cauitatis, per quas naturaliter etiã expurgantur, cùm illæ, quæ in collo poſitæ ſunt, non ordinariè aperiantur, ſed cogente neceſſitate tantùm, vt aliquando in grauidis, vel dum nimis dilatantur, quod practici noſtri hæmorrhoidas vteri vocant. Diximus copia, vel tempore excedens, quia hæc ſuperflua vacuatio poteſt fieri confertim, & vnico impetu, quod Hippocrates largiter

appellat,

appellat, quando ſcilicet ſpatio duorum, vel trium dierum tāta contingit per iſtas vteri venas hæmorrhagia circa ſolitam periodum, vt vitæ, vel maximi alicuius morbi impendeat periculum, aut poteſt fieri alieno tempore, & non conſueto bis vel ter in menſe repetito, aut denique perpetuò & guttatim effluere, quod ſtillicidium menſium Hippocrates ſtalagmum vocat, tunc enim ad immodicam eorum vacuationem refertur. Quòd ſi paucum, & paucis diebus effluat, velut ſtillationes, & ſubſtillationes, ad ſuppreſſiones potiùs pertinere videtur. Diximus denique hoc profluuium fieri nimiùm apertis, ruptis, & eroſis vteri vaſis: quibus verbis omnes cauſas immediatas huius affectus complexi ſumus; nam cùm ſanguis ab hepatis caua in hypogaſtricas venas, & vtero peculiares deriuatus, ibi contineri debeat, donec ſolita periodo excludatur à clauſis earum orificiis conuenienter, quemadmodum ſolet in aliis partibus, quando natura plethoram ſuam criticè, vel periodicè exonerat: vaſa ergo tunc malè afficiuntur, & ſymptomaticè vacuantur, quando amittunt naturales diſpoſitiones ſuas, propter quas aptæ ſunt continendo ſanguini. Sunt autem illæ in meatu, ſeu orificio proprio, in contiguitate, quæ proprios ſpectat poros, vel continuitate partium poſitæ: Vnde orificia ſeu oſcula reſerantur nimiùm aut dilatantur, practicis noſtris vocatur, anaſtomaſis, ſeu apertio morbifica. Quando proprij pori diſſoluuntur nimiùm, aut rareſiunt tunicæ dicitur. Diapedeſis, quaſi tranſcolatio: Quando verò continuitas earum amittitur, illud fit vel per vulnera: vnde ryxis, id eſt, ruptio, ſeu diæreſis, id eſt, diuiſio vocatur: aut per vlcera, vnde

Diaurosis, id eſt, eroſio nuncupatur. Harum diſpoſitionum rurſus variæ ſunt cauſæ, vt docet Gal. lib. 5. Method. verbi gratia, ryxeos, & anaſtogoſeos, id eſt, ruptionis & aperturæ vaſorum imbecillitas, propter quam facilè patiuntur à cauſis externis, internisque, ſanguinis multitudo, aut eius mala qualitas; ob ſanguinis enim multitudinem reſerari, aut diſrumpi vaſa quotidie videmus athleticis corporibus Aphor 2. ſect. 1. & in eis, qui vacuationi per vterum, & hœmorrhagias aſſueti non amplius purgantur, aphor. 37. ſect. 5. quando potiſſimùm commouentur ira, vociferantur, ſaltant, cadunt, crapulantur, onera grauiora tollere, vel ferre nituntur: quibus adde externa omnia vulnerantia, vt ictus, morſus, & ſimilia, vnde etiam Hipp. aph. 24. ſect. 5. frigus vehemens dicitur φλέβον ῥυπτικὸν, & ἡμοῤῥαγικὸν, quia ſcilicet conſtringēdo vehemēter externas partes adducit nimiam ſanguinis copiam in extrema vaſorum orificia, quæ ſi præter modum ſunt dilatata, diſrumpuntur: ob malam verò ſanguinis copiam, calidiorem ſcilicet & tenuiorem, iuuenes ad trigeſimum quintum vſque annum ad ſputationem ſanguinis habentur obnoxij ex Hippocr. aph. 29. ſect. 3. quia ea ætate maximè feruet ſanguis, vnde ſub vehementi etiam æſtu, dum ſanguinis fit ebullitio, largas potiſſimùm de naribus contingere hæmorrhagias neceſſum eſt. Diapedeſis verò agnoſcit cauſas, primò ipſam vaſorum ſecundùm ſuas tunicas, raritatem & laxitatem, vt dicebamus, quæ aliàs naturalis eſt, aliàs accidentaria, vt videre eſt. in contuſionibus, deinde ſanguinis tenuitatem: Vnde in hoc affectu ſanguis effluit pallens iecoroſus, & ſudoris inſtar trāſcolatus. Diauroſ-

reos denique ſeu eroſionis cauſæ ſunt potiſſimùm internæ, vt quicunque humor acris, ſalſus, putrefactus, & mordax, tunicas vaſorum ad internum vſque ſpatium abſumens: aliquando etiam externæ, vt medicamenta, venena, cauſtica, ſeptica, & exulcerantia ſumpta, vel admota. In propoſito itaque caſu certum eſt tam internas cauſas, quàm externas multipliciter concurrere poſſe, vt ſanguis iſte nimius per vterũ effundatur: nam aër feruidior, verbi gratia, aut aliquãdo frigidior, dum ſanguinem variè exagitat, huic ſępe malo originẽ præſtare ſolet, ſub quo balneũ calidius, quàm par ſit, ignis lucul̃etior, & mutatio regionis, in qua repentinę iſtarũ qualitatum viciſſitudines fiũt, referri poſſunt, & etiam alimenta Euchyma & polyagia copioſiùs præter morem ſumpta, dum ſanguinis multitudinem augent, abundantior liquidorum, & potulentorum vſus, quia ſerum maſſæ ſanguineæ ſupra modum multiplicant, & vacuationes ſolitæ tam ſanguinis, quàm excrementi cuiuſuis potiſſimùm ſeroſi, diutius ſuppreſſæ, exercitationes validiores, vt ſaltationes, choreæ, coitus diuturnior cũ viro valde robuſto vaſa diſrumpendo, nec non etiã immodicũ, quia colligit magnã excrementorũ vim, quã deinde natura per hos ductus excludere nititur. Idẽ dicas de ſomno, & vigilia: immoderatus enim ſomnus colligit ſeroſitates multas: peruigilia autem, immenſa ſanguinẽ acuunt & valde cõmouent, quẽadmodũ animi pathemata vehementiora, & diutius perſeuerantia: his adde fortuita, vt vulnerantia, cõtũdentia, diuellentia, & erodẽtia; ſic partus laborioſi, aut ab imperita obſtetrice celebrati, aborſus frequẽtes, caſus ex equo, vel violenta rhædæ agitatio multas in iſtam calamitatẽ præcipitarunt, vt etiã remo-

dia illa iam cõmemorata ad menſes prouocãdos, intempeſtiuè, aut diutius vſurpata, ſit enim, vt ait ille, *vitiũ vitii, ſi corde cares.* Ex ſolo enim peſſario acriori per aliquot horas immiſſo profuſã ex vtero hęmorrhagiã, & hypercatharſim exitialẽ conſpeximus in nobili quadã vidua. Cũ iſtis omnibus cõcurrere poſſunt morbificæ diſpoſitiones aliarũ partiũ, quibus per ſympathiã vterus in hunc affectũ deducitur iecoris, v.g. atonia & imbecillitas, quæ ſanguinẽ crudũ & aquoſũ progignit, non ſolũ dyſſenterias illas hæmaticas, ſed etiã fluxum diluti ſanguinis ex naribus, veſica, & vtero producere poteſt: cathartica etiã ex capite, ſalſus, vel acris, ſi ad vterum vſque perueniat, vt aliquando fieri poteſt, in eo non minùs, quã in pulmonibus, aut ventriculo eroſionem, & tandẽ vlcus perfectũ excitare valet, à quo iſta hæmorrhagia vterina proficiſcitur. Bene igitur & diligenter perluſtrandæ ſunt iſtæ omnes cauſæ ex cenſu rerum naturalium, & præter naturam, vt totius morbi ſeries accuratè innoteſcat in ſingulis ægrotantibus, quod ex conuenientibus ſignis erit repetendum, ad quæ iam accedimus.

Signa, quæ affectus iſtius naturam, partem affectam, & affectus cauſas detegunt, ſunt perluſtranda. Vtrùm igitur hæc profuſio ſanguinis ex vtero ſit præter naturæ modum, & inſtitutum, oſtendent difficilis ægri tolerantia, virium prolapſus animalium, vitalium & naturalium. nam, vt docet Gal. lib. 5. de locis aff. per hæmorrhagias iſtas hyſtericas imminuitur appetentia, per cõcoctiones cachexiæ exoriũtur, alui fluxus, aliquãdo liẽteriæ cũ flatu, & borboriſmo, color ſit cadauroſus in vultu,

pedes

pedes tument pulſus deficit, aut valde imminuitur, cor languet, ſtillant è cerebro catarrhi, aut ſtupores & conuulſiones ſuperueniunt.

Vtrùm verò ceruix, vel cauitas ipſa vteri afficiatur, diſtinguendum eſt tum ſenſu, cùm ratione, quia ſi ex cordis venis effluit ſanguis, tumentes, hiantes, aut eroſi ibi apparent, & ab ægrotante, aut obſtetrice facilè tanguntur, ſin verò ab vteri cauo proficiſcatur, pondus aut dolor circa regionem pubis vt plurimùm percipitur, quia paulatim collectus illic ſanguis, dein magna copia erumpit, & etiam aliquando in grumos conglobatur. Vtrùm verò ex quadam arteria, vel vena parua, aut magna erumpat, ita diſtingues, quia ex arteria floridus magis, & flaueſcens erit cum impetu quodam: ex vena autem erit rubicundus, aut ater ſine vllo motu, quæ ſi ſit grandior copioſam, & ſubitam facit hæmorrhagiam; ſi minutior paucam, & quaſi ſtillatim fluentem. Vtrùm autem ex idiopathia ſolius vteri, aut aliarum partium ſympathia contingat, diſces ex cauſis, & effectibus, quæ eiuſmodi membrorum paſſiones præcedere, aut ſubſequi ſolent.

Iam igitur potiſſimus labor poſitus eſt in eo, vt cauſæ proximæ naturam detegamus, ex qua præcipuæ curandi rationes repetuntur. Diapedeſin itaque ſeu tranſcolationem ſanguinis eſſe cauſam iſtius affectus ex eo cognoſcitur, quòd mulier eſt rari habitus, & molliſſimarum carnium, quòd multis rebus ſeri copiam multiplicantibus vſa ſit, quòd aliquando ſimiles ſtillationes diluti & aquoſi ſanguinis ex ano, vel naſo patitur, quòd imbecillitate hepatis diuturna laborauit, quòd ſanguis, qui

excerni

excernitur, tali qualitate ſit præditus, & alia abſint ſigna, quæ ruptiones & eroſiones denotare ſolent. Anaſtomoſin autem, vel ryxin concitaſſe hunc ſanguinis fluxum coniicies ex præſentia cauſarum illas efficientium, & effectuum, qui conſequi ſolent. Quoties enim vulnerantia, contundentia, diſrumpentia, vt ſaltus, ictus, caſus, geſtatio ponderis inſoliti, clamores, & ſimilia præceſſerunt; in corporibus plethoricis potiſſimùm, & ſanguineis, vel ingens æſtus, & frigus vehemens, coitus immoderatus, conuiuia & choreæ intempeſtiuæ, iracundia inſignis, & ſimilia, quæ valde calefaciunt, & exagitant ſanguinem, oſtenduut deruptum eſſe vas aliquod, vel inſigniter vaſis apertum orificium, per quod talis eſt facta hæmorrhagia florentis & viuidi ſanguinis, cuius iacturam ſine vllo detrimento in principio ferre videntur. Idem contingit poſt partus laborioſos, vel ab imperita obſtetrice celebratos, poſt aborſus, poſt diuturnam menſium ſuppreſſionem, quæ collectum nimia copia ſanguinem confertim deinde effundit, aut extra vterum, aut in ipſo vteri fundo; vbi deinde rhombi illi generantur, qui ſi diutius ibi ſubſiſtant, & computreſcunt, & peſſima ſymptomata inducere ſolent, vt paraphroſinum, caridalgias, febriculam, & intenſum faciei pallorem: demum inſigne pondus & inflammationem in vteri regione cum ſuffocationibus matricis, & aliquando ſyncope & repentina morte. Diauroſin verò, ſeu vlcerationem in vtero factam iſtius hæmorrhagiæ cauſam eſſe dignoſcemus, quia non confertim & ſubitò accidit, ſed paulatim cum ſenſu doloris & acrimoniæ in cor-

poribus potiſſimùm cacochymis, in quibus ſalſus, vel acris humor exuperans inflammat primùm, deinde erodit vaſorum ſubſtantiam; vnde ſtillæ primùm ſanioſi, ichoroſi, nigricantis vel flaui ſanguinis profunduntur: poſtmodum ſi vlceratio augeatur fruſtula quędam partis delabuntur, à quibus deinde magna ſequitur effuſio iſtius humoris, quam vix ſiſtere licet quibuſuis remediis admotis. Præceſſerunt itaque cauſæ cacochymiam generantes, vt vſus eduliorum acrium, ſalſorum, piperatorum, putridorum, & ſimilium, vel deriuantia & attrahentia in vterum, vt, diuretica & aperientia nimiùm repetita tam ſumpta, quàm admota, quod de peſſariis ſupra dicebamus: præterea in eiuſmodi diauroſi, vbi ſemel perfecta eſt, vix vnquam ceſſat fluxus, cùm in aliis ſpeciebus defœta ſanguinis multitudine vt plurimùm ſiſtatur; neque recurrat, niſi per interualla, aut dum mulier corpore vel animo imprudenter agitatur. Hæc igitur præcipua ſint ad diagnoſin facientia.

Quod ad prognoſin verò ſpectat ratione ſpeciei affectus, certum eſt omnem hæmorrhagiam diuturniorem vel profuſiorem eſſe periculoſam, quia diſperdit theſaurum naturæ, & ſubſtantiam illam nectaream, qua animantium vita ſuſtentatur: item hæmorrhagiam ex vtero eſſe, tam ſpeciei, cùm indiuiduo noxiam. Dico ſpeciei, quia turbat totum corpus, vnde noſtris exoritur ſterilitas: indiuiduo etiam, quia perſeuerans non ſolùm, vt docet Galenus medicinæ parens, virium imbecillitatem, lipothimiam, ſyncopen, ſudores frigidos & diaphoreticos, conuulſionem, paralyſin, hydropem, & ſimilia

lia mala accerſit, ſed etiam mortem aliquando ſubitam, vt in multis quotidie illud ferè obſeruare licet, ac proinde nullo modo in principio negligenda, ne eſſentia morbi intendatur & cauſarum, inter quas certum eſt diapedeſin minus periculi minari per ſe, quia minorem facit depauperationem caloris natiui, ſpirituúmque, oſtendere tamen crudioris & ſeroſi humoris prouentum hepatis, & reliquorum viſcerum Atoniam, ex quibus cachexiæ, & hydropes frequentiſſimè oriuntur. Ryxis autem, & anaſtomoſis, quia magnam ſubitò profundunt ſanguinis copiam, ideo periculum etiam præſentaneum portendunt, niſi quis diligens ſit, & induſtrius in illis reprimendis, atque facilius curantur; tum quòd in corporibus vt plurimùm bene ſanis, & plethoricis contingunt, diapedeſis, & diaroſis in cacochymis, tum etiam quòd nulla adeſt viſcerum infirmitas, & ſubſtantiæ deperditio, vt in vlcere, quæ impediat nouum iſtarum partium coalitum. Denique ætas, vires, & proprium temperamentum cuiuſque valde mutant in hoc affectu non ſolùm curandi, ſed etiam prædicendi leges. Item, res nonnaturales, & p. n. æſtatis enim feruentioris tempore, aut ſub magnis frigoribus difficilius curatur & periculoſior exiſtit. Item, quandiu adſunt grauiora animi pathemata, vix ſiſti poteſt iſta hæmorrhagia, vt in aliis vulneratis patet: ſi producta ſit ab aſſumptis vel admotis erodentibus, aut aperientibus nimiùm, minus eſt mali, quàm ſi ab interna diſpoſitione, quam foueat iecoris, lienis aut alterius partis languor.

à partu, aut aborſu rarò interimet, ſi illi citò proſpiciatur: quòd ſi adſint ſanguinis grumi in cauo vteri diu deliteſcentes valde impediunt curationem, quia illi diſſoluendi aperientibus & incidentibus, quæ hæmorrhagiam augere poſſunt, dein ſymptomatum vehementia, quando nullo modo remittunt, ſed indies augentur, oſtendit perniciem iſtius affectus certiſſimam, ad cuius therapiam iam eſt veniendum.

Indicationes ergo curatiuæ, quæ præſeruatorias & conſeruatorias ſeu vitales etiam in morbis complecti debent, repetenda ſunt ex natura affectus, partibus primariè, vel ſecundariò affectis, & cauſis tam immediatis, quàm antecedentibus & externis, à quibus ille pendet vel adhuc fouetur. Quod ad naturam itaque affectus, cùm ſit immodica vacuatio & p.n. tam ratione quantitatis, quàm temporis, vt dictum eſt, ideo propoſitum eſſe debet medico, vt illã ad debitos mediocritatis terminos reducat. neque. n. ſubitò reprimenda, in corporibus potiſſimùm plethoricis, metu grauioris mali, vt defluxus in aliquam partem nobilem, aut congelationis ſanguinis, aut grumorum in vtero. Neque etiam permittendum eſt, vt nimium luxuriet, quia pro foribus ſtare ſolent, vt diximus, infinita ſymptomata, imò & mors, quæ iſtas vehementiſſimas hæmorrhagias conſequitur post partum & aborſum, vt ſuis locis dicemus, ſinere oportet, vt in vlceratis, motum naturæ liberum, donec exagitati ſanguinis, aut corrupti ſufficientem copiam expulerit foras. In aliis verò citiùs hæmorrhagiæ ſiſtendæ erit incumbendum, ita vt vires iam collabentes per roborantia inſtaurentur. Ratione autem

partium affectarum; ſiquidem vteri tantum vaſa in vitio hîc eſſe appareant, nulla alterius partis prægreſſionis præſente querela, tunc illorum tatum cura habeda. Sin verò ſympathia totius corporis, v.g. plethorici; aut feruentis hepatis infirmioris; lienis obſtructi, &c. contigiſſe videatur; tunc ad iſtas partes primariò affectas; & ſuam labem vtero communicantes, curandas, animus eſt couertondus. Denique reſpectu cauſarum procatharticarum; quæ fouet vel generat hunc affectum, omnia externa ita diſponenda; vt nullum huic fluxioni adiumentum præbeant, ſed potiùs ad illam compeſcêdam conſpirent. Reſpectu verò antecedetium; & humorū quantitate, vel qualitate, vel motu peccantium, vacuantibus; reuellentibus, deriuantibus; & alterantibus variis; ita agendum; vt omnes ad æqualitatem quandam naturæ amicam reducantur. Sed quoniam curandi ratio maximè differt reſpectu cauſarum commixtarum à quibus iſte affectus pendet immediatè; ideo quod diapendeſin ſpectat, iudicationes therapeuticæ; reſpectu ſanguinis tenuioris & ſeroſioris exoriuntur; vacuandi eiuſmodi ichores per hydragoga, & incraſſandi reſpectu vaſorum & tunicarum quibus cōtinentur, condenſandi, & roborandi. Quod ad anaſtomoſin verò ſpectat & ryxin, quæ mulieris naturam ſapiunt; vniendi, conglutinandi, ſeu conſtringendi tam externa orificia nimiùm hiantia, tum etiam parietes vaſis diſrupti & diſſecti. Diaurosis a. quæ eſt ſpecies vlceris, vt perfectè curetur indiget primùm tergentibus & mundantibus iſtas ſordes, quæ partibus vlceratis neceſſariò ſuperueniunt. Deinde ſarcoticis partis

ſubſtantiam regenerantibus, ſi valdè ſit abſumpta, vel exſiccantibus,adſtringẽtibus,& epuloticis,quibus tandem cicatrix parti obducatur. Atq; hæ ſunt artificioſæ indicationes in hoc affectu.Nunc videamus quibus mediis ſeu inſtrumentis diæt.chir.phar. illas probè conſequi valeamus. Imprimis igitur res illas non naturales ita inſtituere debemus,vt ad curationem iſtius affectus,cum aliis artis noſtrę pręſidiis concurrant:quod fiet ſi ita ſit temperatus aër vt neque immodico frigore vaſa diſrumpat,neq; vehemẽti calore nimiũ aperiat, & humores fluxioni paratos reddat:debere ad frigiditatem quandã vergere moderatã cũ ſiccitate,quia facit ad repellẽdum. Lux eſt ita diſpenſanda, vt neque frigore nimio ægrotãtis aciem debilitet, alliciatque ſanguinẽ & ſpiritus ſibi conſociatos foras: neque denſioribus tenebris impellantur validè verſus interiora,ex quibus fluxio proficiſcitur. Decumbant in lecto molliori quidẽ,ſi tã fractæ ſint vires & corpus macilentũ:ſed non calidiore,ne efferueſcat ſanguis,vt dictũ eſt: vnde vſus culcitrarũ plumearũ illis omnino noxius,niſi ſupertegãtur coriis,linteis rudioribus(v.g.*du camelot*) ſacculis ex roſarum vel nymphææ floribus,plenis & ſimilibus.Sed multò meliùs ſubſternere illa fulcimẽta,quæ hodie ex lana confici ſolent, vulgò *Matelas*. Siletur mediocritas ſomni & vigiliæ, quia vt ſomnus diuturnior concentrat humores,& verſùs partẽ affectã adducit, ſic vigilia immoderata exagitat & cõmouet.Reſideant perpetuò in lecto, nec ſubuculas mutẽt,ſi ingens ſit hæmorrhagia: capite & thorace depreſſo,arrectis verò cruribus & coxis, & in dorſum inclinatis,vt materiæ motus ſiſtatur.Immobiles ferè manere debẽt, niſi fortè ſit ſuſpicio inge-

lati & grumeſcentis ſanguinis, vt ſæpe fit: in quo caſu non ſolū moueri & aſſurgere debent: ſed & multùm iuſſimus deambulare; vt grandiores iſti rhóbi iam in matrice putreſcentes excuterentur. Extrà hanc occaſionē abſtineant ab omni motu corporis, animiq́ue quantū fieri poterit; congreſſu potiſſimū venereo per longum tempus, ex quo frequenter recidiuæ incurrere ſolent. Quidam exiſtimant timorē vehementē & ſubitò incuſſum, his mulierculis eſſe aptū ad ſiſtendam iſtā hæmorrhagiā; quia cōpellit vehementer humores ad interiora: Tamen nō videtur ſatis tutum præſidiū in corpore iam debilitato, aut prauis humoribus ſcatente, quia inducit validā & improuiſam humorū agitationē: ex qua magnos etiā affectus bene ſanis hominibus contingere certiſſimū eſt. Eadem ratione quandiu effrænis eſt iſta vacuatio, neque ſollicitanda aluus; quāuis pigrior, neque veſicæ excrementa prouocanda: ſed expectādum interuallum, in quo poſſint alui fæces humectari clyſtere aliquo molliēte, aut leui ſuppoſitorio, ne induratæ nimiùm laborioſam deinceps reddant deiectionē, à qua renouari poſſet iſta hæmorrhagia.

His ita conſtitutis alimentorū etiā habenda ratio, ita vt ratione quantitatis & ſubſtantię, quandiu perſeuerat plethora, & virium adeſt conſtantia, parcè exhibeantur: ex illorum ſcilicet genere, quæ minùs multiplicādo ſanguini apta ſunt, vnde carnibus, iuſculis, vino, & ſimilibus, interdicere ſolemus in principio affect⁹, eaſq; nutrimus panatellis, aqua, & pauco oleo, vel butiro paratis, amygdalatis, vel ſolo amylo cū iuſculo pulli parato: lactuca eudimica, & portulaca elixis, & pauco aceto cōditis, vitellis ouorū induratis coctis aqua fontana; vel hordei calybeata,

in qua parum maſtice bullierit. Quodſi in progreſſu morbi vires collabi videantur, cogemur indulgere victui analeptico ad reparandam ſubſtantiæ iſtius humoralis & ſpirituoſæ deperditionem: vnde iuſculis conſummatis frequenter potiùs quàm magna quātitate oblatis, ſucco carnium expreſſo, ouis ſorbilibus cū ſacch. gelatiuis, carnibus delicatioribus, conditurіs roborātibus, & vino generoſo reficere eas ſtudemus, vt præſenti periculo liberentur. Ratione verò qualitatis, perpetuò id obſeruare debemus, vt alimēta refrigerādi, ſiccandi, & aſtringendi facultate prędita ſint, tam actu, quàm poteſtate: vnde, iam dictis panatellis, hordeatis oryzæ coctæ, & ſimilibus affundere ſolemus ſuccum granatorū, vel vuarum acerbarum, capita, pedes & inteſtina veruecum, vitulorum conuenienter elixa cū modico aceto illis cōcedere: quemadmodum piſces glutinoſæ ſubſtātiæ, putà, anguillas, murænas &c. Iuſculis incoquere oportet folia polygoni, plantag. acetos. & ſymphyti. Vino interdicere in totū, & aquam ciſternę, quę credetur eſſe maiore adſtrictione prædita, aut ſuperiores exhibere. Si verò aquæ ſolius vſum exhorreſcant, julep. alexandrinus, aut ſuccus granatorum cum aqua mixtus, erit valdè vtilis illis: aut certè exhibere poterimus vel vinum ſecundum ex torculari expreſſum, conueniet etiam cydoniatum, conditura myrobalanorum, rad. ſymphyti, caulium, lactucæ, & ſimilium: fructus acerbi, vt ſorba, meſpilla, corneola, acidiores paſſulæ, & ſimilia. Quibus per diætam ita tentatis, ſiquidem affectus vehementia illis ſuperari non poſſit, tunc de maioribus remediis erit cogitandum.

Ac proinde vt res iſta accuratiùs & certa metho-

do explicetur, primò ea proponemus, quę generaliter inſtitui ſolent ad defluxum potiſſimùm ex anaſtomoſi & rhyxi concitatum, quia ſunt frequentiores illius cauſæ. Deinde de diapedeſi & diaıroſi ſubmittemus.

Contemplanda igitur primò, vt dicebamus iſtius affectus cauſa, præcipuè antecedẽs, qui ſi poſitus eſt in ſanguinis multitudine magno impetu verſus vteri vaſa irruentis, cogitãdum ſtatim de eius vacuatione & reuerſione per ſuperiores partes: quod nõ poteſt commodiùs fieri, quàm celebrata phlebotomia ex cubito dextro vel ſiniſtro, pro vario caſu fluxionis: eſtque hautienda ea ſanguinis quantitas, quæ naturæ moleſtiam pariat: ita vt non vna vice & confertim educatur, ſed partitè & per interualla, tũ vt vires recreentur, tum etiã vt maior fiat retractio, & diuturnior verſus ſuperiora. Vnde ad maiorẽ reuulſionem Arabes ſaluatellã vtriuſque manus aperiendam eſſe cẽſent. Phlebotomiæ auxiliarem afferãt opem ligaturę dolorificę, & frictiones bracchiorum ſæpius celebratę ſurſum verſus. Cucurbitularũ appoſitio cum multa flamma regioni mammarum, vel ſub illis, vt eſt aph. 5. ſect. 5. Deinde ipſis hypocondriis, etiã cum ſcarificatu, ſi ægra tolerare poſſit; tandem affigendæ ſunt ex Auic. circa regionẽ pubis & oſſis ſacri. Quòd ſi ſanguis non tam quãtitate & motu peccare videtur, quàm ſede & qualitate, vt quãdo permiſtus eſt bilioſo humori, vel aliàs feruidior & acrior exiſtit; non tantũ vacuatio & reuulſio per phlebotomiam inſtituenda eſt, ſed etiã catharticis benignioribus adſtringẽdi & temperandi vi prędìtis, iſta cacochymia corrigenda. Vnde ſo-

lemus in hoc caſu poſt venæ ſectionem imperare purgationes ex infuſo myrobalanorum, citrinorum in ſero lactis vel aqua plantag. rhabarb. puluere vel infuſo in aqua roſar. ſyrupo roſato ſolutiuo, folia ſennæ, agarici & ſimilibus, ſi humorum ſit varietas: Quibus ſemel aut ſæpius celebratis pro rei exigentia, deinde temperantibus, incraſſantibus, & roborantibus tam foris, quàm intus vtendum erit; idque ſenſim & quaſi gradatim. Quidam vtuntur poſca ſeu oxycrato, tum ſumpto quàm admoto: ſed non ſatis tutum videtur remedium ob naturam partis affectę, neruoſæ ſc. & membranoſæ, quæ aceto valdè cruciatur, vt experientia compertum eſt. Melius eſt itaque iulepos comparare ex decocto millefoliorum, centinod. burſ. paſt. ſummitatum rubij, oxalidis, portulacæ, vel ex earum aqua ſterlatitia, in quibus diſſol. ſucci vel ſyrupi de granat. and: myrtin. cydoniarum, atque etiam papauer. ſi magnum ſit ſanguinis incendium, vt æſtiuo tempore vncias aliquot, cum pauco puluere terr. ſigil. bol. armen. Carabæ, Corat. rub. lapid. hæmat. &c. Quòd ſi magis arrideat forma pulueris, comparetur ex iiſdem, addendo ſacch. roſ. tabulat. veteris duplum; capiat ſæpe cum pauco vino rubro adſtring. cum aq. portul. aut communi in qua plumbum ardens ſæpe extinctum fuerit: pilulę de bdellio, vero ſcilicet, non adulterino, commendantur à practicis noſtris ad omnes hæmorrhagias partium inferiorum. Item puluis corticis mori nigri, vel rad. filipendulæ ad ʒ j. ſumptus cum ouo ſorbili. Noſtrates mulieres vulgare habent remedium ex floribus chameleontis albi, quibus lac condenſatur in caſeum, exhibent cum

iuſcelo, aut quouis alio liquore. Aliæ vtuntur ipſo coagulo hœdi, vel leporis ad ℨ ß. cuius magnum eſt in hoc affectu commodum; quia vt ſiſtit fluentem ſanguinem, ſic etiam eiuſdem grumos iam factos diſſoluere creditur. Sed inter omnia alia remedia nullum habemus præſtantius ex Galeno ad hæmorr. quàm ſuccum plantag. ex viuentibus foliis recenter extractum, cuius ℥iij vel iiij per os ſumptæ compeſcunt furorem iſtius fluxionis. Eodem modo iniici poteſt in vterum per metrechyten ſi opus ſit eodem diſſoluitur bolus arm. vel communis, addẽdo guttas aliquot aceti conficitur inſtar cataplaſmatis vel vnguenti; quod regioni hepatis lumborum, & oſſis ſacri poſt reuulſiones communiter celebratas admouetur. Quòd ſi impetus ſanguinis adhuc perſeueret, albumina ouorum fortiter agitata, & cum dicto puluere, aut pauco amylo cõiuncta iniiciuntur in vteri cauitatem ad conglutinandos iſtos ductus, per quos fit hæmorrhagia. Non omittunt etiam Practici lotionem tibiarum in aqua frigida, aut decocto adſtringente: præterea ſuffitum ex vngula mulæ, vel aſinæ, cui pulueriſatæ, ſi velis, addi poterit acocia hypociſtæ cortex granatorum, gallæ immaturæ, & ſemen myrthi, cum pauco thure. Denique ex collo ſuſpendunt coralli rubri fragmenta, iaſpidẽ, cryſtallum, & corneolam: Illinunt mammis ſuccum chelidonij, vmbilico autem ſuccum vrticæ, cũ pauco bombace, quod habetur pro ſecreto. Tandem ſi hęc non ſufficiant deueniunt ad narcotica vt conf. requiei, puluerem aſſyuritom pilula de cynogloſſa &c: quæ tamen ſunt vſurpanda priuſquam vires omnino collapſæ ſint.

His

His omnibus, aut aliquibus ita inſtitutis, ſedataque hæmorrhagia, tunc cogitandum de peculiari diſpoſitione, ſeu cauſa coniuncta, quæ illam excitauerat. Quod ad anaſtomoſin igitur & ryxin ſpectat; ratione orificij hiantis, obturantia ſeu adſtringẽtia: ratione eruptionis, ſeu diuiſionis, conglutinantia magis conueniunt. Adſtringentia ſunt ferè omnia ſupradicta, at glutinantia ea ſunt quæ præterea viſciditate quadam ſunt prædita; vt ſang. drac: gumm. arab. cuius ℥j liquata in ſucco vel aqua plantag. exhiberi poteſt, & debet iniici in vterum; mucilagines, gummi tragacãthi. ſemin. pſyllii & cydon: aqua plantaginis extractæ. Idem efficient etiam cum pauco roſato ſaccharo veteri permixtis. Externis admoueri poteſt aurocolla; ſarcocolla; vel ictiocolla; cum pauco vino rubro adſtringente diſſoluta. Item initiò illa ex albumine oui conquaſſatio cum pauco puluere amyli & boli armen. ſæpius commemorata hîc peculiariter locum habet; quę etiam in for mam peſſi commutari debet, ſi vulnus ſit in ipſa vteri ceruice. Quod ad diapedeſin verò attinet, ſi tenuitas ſola ſanguinis, cum multa ſeri copia huius tranſcolationis præcipua ſit cauſa, non tam vſurpanda ſunt incraſſantia & adſtringentia ratione pororum, quàm purgãtia iſtos ichores & ſuperſtites humiditates; vnde debent frequenter vacuari per opiatam laxantem, aut ſyrup. magiſt. quem ingrediatur folia braſſicæ marinæ, ſennæ orientalis, & fumariæ, ſuccus roſarum pallidarum, agaricus trochiſcatus, ſemen eboli, puluis mecoach. veri &c. cum roborantibus mixta. Imò in hoc caſu vtiliſſimum eſt ſudores promouere, blandis ſcilicet hydroticis; qualia

ſunt

ſunt rad.ſalſæ parillæ & chinæ, vt materiæ motus reuocetur ad externas corporis partes, & ſerum illud ſenſibiliter abſumatur. Quod ſi raritas, ſeu laxitas vaſorum huic tenuitati ſanguinis coniuncta ſit, non erunt omittenda adſtringentia tam ſumpta, quàm admota, quæ prudens Medicus pro rei præſentis conſtitutione repetere poterit ex ſuperioribus.

Supereſt igitur Diauroſis, ſiue eroſio vteri ſeu vaſorum, quæ maximum Medico negotium faceſſere ſolet, quum illi eſt complicata hæmorrhagia. Cùm enim pendere ſoleat ab acribus & ſeroſis humoribus, quę partis iſtius ſubſtantiam exulcerabant, ſuccis iſtis indigent cum præparatione conuenienti. Vnde ſi bilioſus fuerit, rhabarb. myriobal. citrinis, ſero lactis, & ſyrup. roſ. aut de cychor. compoſito, erit expurgandus. Si fuerit pituita ſalſa, melle roſac. agarico trociſchato, ſemin. careſami, nec non valentioribus flegaragogis aliquãdo eradicãda. Poſtmodum ſordes quibus ſcatere ſolent in huiuſmodi vlceribus internis, diligenter erunt detergenda iniectionibus, vt aqua hordei, cum melle, ſero lactis vel toto lacte ſi dolor ſit coniunctus. Illis deterſis partis ſubſtantia ſarcoticis reſtauranda, vt aloë, manna thuris cortice pieri, terra lemnia &c. ſucco plantaginis exceptis, vt iniiciantur per ſyringam, vel ſupponantur in formam peſſarii, emplaſtrum, diapalma, pauco oleo roſaceo liquatum externis admoueri vtiliter poteſt, quemad. cataplaſma ex farina fabarum & orobi, cum puluere roſarum, thuris, teſtæ ouorum combuſtæ, & pauco oleo myrthino confectum, quod applicabitur ante-

rioſi

riori & poſteriori pubis regioni : ſuccus ſenecionis ſumptus & admotus à quibuſdam valdè commendatur in hoc affectu. Sed ad reficiendam partis iſtius ſubſtantiam, conſtringendas vlceris oras & ſigillandam iſtam eroſionem, nihil eſt efficacius, dummodo non adſit febris, quàm lactis chalybeati vſus per viginti aut triginta dies, cum ſaccharo roſato ad ℥ iiij. vel vj. manè ſumptus, atque etiam in vteri cauitatem frequenter commiſſus. Verùm de hoc capite rurſum agemus, vbi de vteri vberibus peculiariter agemus.

De muliebri fluore, ſeu gonorrhœa.

Cap. IIII.

EX vtero veluti ſentina quadam non ſolùm ſanguis menſtruus, ſed & varia excrementa profluunt, quibus corpus muliebre ſcatere ſolet, quæ omnia veteres ſub nomine Rhóos Gynęcôn, & Gonorrhœas complexi ſunt. Vnde apud vulgus flores albi, purgationes vteri & falſa menſtrua appellantur. Nos ita definimus. Excrementum immodicum, & præter naturā ab vtero variæ materiæ excremētitiæ, aut ſeminalis, id eſt, gonorrhœæ, quæ propter impuritatem totius corporis, aut ipſius vteri, & vaſorum imbecillitatem effunditur. Dicimus eſſe immodicum excrementum ab vtero præter naturam, quia iſte fluxus non ſolùm quantitate, ſed etiam qualitate inſigniter peccat, quia abutitur natura hoc ductu

matricis ad vacuationem impuritatum muliebrium. Vnde exoriuntur incommoda tam ratione indiuidui, quàm procreationis: mulieres enim, quæ hos fluxus patiuntur variis ſymptomatis obnoxiæ ſunt & earundem vterus hac illuuie ſcatens, ineptus redditur ſuſcipiendo, retinendoque ſemini. Vt autem immodicus hic fluxus, vel quia continuò & indeſinenter fluit in quibuſdam mulieribus (vt vult Aretæus) aut quamuis intermittat, reuertitur tamen bis terúe in menſe. Aliquando antecedit, vel ſubſequitur variam ſanguinis purgationem cum inſigni virium debilitate & mulieris moleſtia. Diximus (variæ materiæ excrementitiæ, aut ſeminalis) vt oſtenderemus non vnum eſſe humorem qui in hoc affectu profundatur; ſed multiplicem, & diuerſum pro varietate cacochymiæ, quæ in corporibus iſtis dominatur. Verùm aliquando apparet ſimplex ſerum, aliàs humoribus immixtum, vario colore donatum albo, flaueſcente, viridi, nigricante, & aliquando leuiter cruento. Quibus omnibus accidere poteſt vt aliquãdo putredinis & fœtoris virulẽti ſint participes. Alios putres & ſub natura ſua ſubſiſtentes cum acrimonia maiori vel minori, vt ſolet. Idem dicimus de ſeminali materia, quę per iſtas vias aliquando effluit quum quantitate vel qualitate peccat, manifeſta quidem vt cùm ſeroſior vel acrior: occulta, cùm maligna quadam labe afficitur, vt contingit in lue venerea, elephantico, concubitu, &c. Vnde differentiæ iſtius pręcipuè exoriuntur: quamuis enim generali vocabulo floris albi cõtineri videatur, quia tamen illa materia, vt diximus, variorũ colorum eſt particeps, ideo pro diuerſitate humorum dominan

diſtinguendæ tum inter ſe, tum à menſtrua purgatione ſeu menſibus, quos decolores Hippocrates appellat. Differunt. n. primò ratione materiæ, quia vt in menſibus, licet aliena qualitate affectis perpetuò ruber dolor dominatur; ſic in iſto fluore albus citrinus, &c. pro varia humorum miſcella. Secundò differunt exuendi tempore & modo, vt enim menſes ſtatutam ſuam periodum frequenter obſeruant, ſic iſta inquinamenta vt plurimùm ſeparatim ab illis, interminatim & vt plurimùm guttatim effunduntur: neque ſolùm eas exercent, quæ menſtrua ſua patiuntur: ſed & alias quamplurimas, vt prægnantes, anus & puellas, in quibus corporis incrementum impedire annotatum eſt. 7. de hiſtor. animal. cap. 1. Debet & diſtingui hic fluor muliebris à purulenta materia, quam vlcera matricis procreant & effundunt, quoniam præceſſerunt cauſæ & diſpoſitiones, quæ exulcerationum illarum authores fuerunt. Deinde quia pus ipſum, ſi laudabile ſit, multo eſt craſſius & albicans, quàm materia iſta fluoris muliebris, & minoris quantitas. Quod ſi ſanioſum ſit & ichoroſum, quodam cruore eſt perfuſum, cum filamentis partium, & cum inſigni ſenſus doloris & acrimoniæ exire ſolet. Qua de cauſa fit, vt mulieres, quæ vlcera matricis, aut coſlienia patiuntur, non admittant coitum, niſi cum moleſtia, quæ ipſum affectum exaſperat. Quæ verò patiuntur fluores iſtos albos, liberè & patienter amplexus iſtos viriles ſuſcipiant. Idem dicendum de effluxu ſeminalis materiæ, qui etiam ſecernendus à fluore albo, eo quòd eſt minoris quantitatis, & craſſitie maiore, albedine ſplendi-

diori,

diori, & lõgioribus interuallis emanare ſolet,atque rariſſimè fœtere, potiſſimùm in principio nulla aliena materia inficitur. Adde quòd citiùs ex gonorrhœa,quàm ex fluore muliebri contabeſcit totum corpus. Eſt etiam diſtinguenda gonorrhoea à pollutione nocturna,quia pollutio illa coniuncta eſt cum aliqua imaginatione & cupiditate rei venereæ Gonorrhoea verò eſt purè inuoluntaria. Item qualibet hora infeſtare ſolet ægrotantes, cùm pollutio illa per ſomnium tantùm exerceatur cum magna perturbatione. Diximus denique, hunc fluorem tam humorum,quàm ſeminalis materiæ contingere, propter impuritatem totius corporis, vel partis alicuius inſignioris, vel ipſius vteri, vel vaſorum imbecillitatem: quibus verbis complectimur omnes cauſas propinquiores huius affectus. Quamuis enim Galenus exiſtimaſſe videtur in hoc fluore nullum eſſe certum locum affectui, quia promiſcuè & variis corporis partibus, cerebro ſcilicet, iecore, ventriculo, liene,&c, transferri poteſt hæc cacochymia in vterum: attamen certiſſimum eſt,& quotidiana experientia confirmatum, originem huius fluxus, aliquando à parte quadã inſigniori labefactata ſumpſiſſe: vnde videmus mulieres catharroſas, biliosas, & ventriculi cruditatibus vexatas, vt plurimùm in illum incidere. Aliquando tamen ſine ſenſibili aliarum partium noxa, iſte fluor contingit, propter imbecillitatem vteri, vel quia non poteſt depellere, vel coquere conuenienter materiam nutritioni propriè dicatam, vt in aliis corporis noſtri partibus contingit. Eodem modo ſpermatica illa vaſa præter vitia ſeminis iam com-

gonorrea preh vitia ſeminis

memorata, quoties intemperie aliqua propriè infeſtantur, aut quia nimis alliciunt cor per phlogoſim, aut conuenienter retinere nequeunt, vt cùm humidiora, laxioraque redduntur, efficiunt iſtos fluxus & gonorrhœas tam in mulieribus, quàm in viris. Rurſus iſtæ cauſæ promoueri poſſunt, & quaſi excitari à rebus naturalibus, non naturalibus, & præter naturam. Quod ad res naturales ſpectat, pro ratione temperamẽtorum pituitoſæ vel bilioſæ mulieres, quibus valde tenuis eſt & ichoroſa ſubſtantia ſanguinis ſuppeditans facilè humiditates, quæ per iſtam partem expurgentur. Ratione etiam ætatum: ſenes (vt ſecundo Gynæc.) ſæpius fluxum album, Iuuenes flauum, aut vireſcentem incurrunt atque etiam gonorrhoeam. Ratione verò rerum non naturalium non eſt dubium, quin aëris conſtitutiones poſſint multùm ad fluorem iſtum concitandum vel iuuandum: Aquilonia ſc. nimiùm refrigerando & comprimendo pituitoſo corpore: Auſtrius nimiùm laxando, feruidior tenuando, colliquando humores &c. Narrant enim mulieres, quæ circa Meridiem & Phaſim fluuium degunt, perpetuò hoc affectu detineri. Quibus ſi acceſſerit crapula inſignis, & ingurgitatio quorumcunque ciborum, potus copioſior, otium & ignauia ingens, mœror timorque diuturnus, nec non ira vehementior, alui durities, vrinæ difficultas, ſomnj & vigiliæ immoderatio, non eſt dubium quin valde conferant ad iſta excrementa colligenda, commouendaque verſus vteri vias conſuetas. Ad ſeminalem verò materiam effundendam faciunt ingens æſtus, veſtium compreſſio cir-

ca-lum

ca lumbos & renes, culcitræ ex plumis mollioribus confectæ, cibi potuſque ſemen multiplicantes, & facultatis expultricis vim excitantes, vt cocleæ bulbi: medullæ animantium, nuclei pinei, vitelli ouorum, tubera, cardui, & olera acriora, vinum meracius, ſalſa, piperata &c. ſomnus ſuper dorſum diuturnior, longa abſtinentia à coitu, cum cogitatione peruerſa illius, aut lectione rerum venerearum, concubitusque vehementior, aut impurus, equitatus durior & ſimiles motus quibus renes violenter agitantur. Denique res præter naturam concurrere poſſunt ad effectus iſtos producendos & augendos: febris enim, verbi gratia diuturnior, leucophlegmatia, & clorosis, intemperies inſignes, vel obſtructiones partium præcipuè nutritioni dicatarum, dum violant hæmatoſim, & illi vitium inferunt notabile. Cæterùm eſt quod materiam huic fluori idoneam catharri celebres ſuppeditant, præcipuè cùm vterus vel illius vaſa redduntur infirmiora, ex accidenti ſcilicet propter morbum vel aborſum, partum laborioſum, & ſimilia quorum enumerationem facere cuiuis erit facillimum.

Nunc igitur ad diagnoſin veniamus. Signa quædam diſtinctiua iam ſuperiùs propoſuimus, quibus hi affectus ab aliis ſibi affinibus ſecerni poſſint, nūc igitur propria perſequamur. Quotieſcumque ægra ipſa, aut ipſius miniſtræ referunt vuluam irrigari inquinamentis quibuſdam mali coloris, quibus etiam coniecti panni & ſubuculæ inficiuntur, idque continuò, vel ante, vel poſt fluxum menſtrui ſanguinis, tum debet ſolers Medicus reliqua percon-

tari, quæ faciunt ad cognitionem particularem; an ſcilicet pituitoſus ſit ille fluxus, an bilioſus, aut melancholicus, aut ſeroſus, vel etiam humori vario coniunctus, quæ omnia cognoſcuntur ex cauſis eorum, quæ affectibus, & habitu, & temperamento ægrotantis, ac præcipuè inſpectione, linteolorum hac materia infectorum, & in vmbra deſiccatorum, vt docet Hippocrates lib. 2. Gynæc. Perſeuerante iſto furore multa ſuperueniunt ſymptomata, color enim defœdatus, oculorum vigor marceſſit, vrinæ turbatæ meiuntur, ingens mœſtitia illas occupat, & frequenti nauſea, & cardiaſmo ieiunæ infeſtantur. Quòd ſi acrior ſit, aut putris humor, ſæpe iungitur febris lenta cum pulſu frequenti & minutulo, nec non partes illæ vterinæ inflammantur, aliquando eroduntur. Sin verò ſit pituitoſior, & magna quantitate matricem & eius ligamenta irriget, ita mollem & laxam reddere ſolet, vt procidat & immittatur. Ex quibus verò locis materia illa proficiſcitur, ita erit perluſtrandum: ſiquidem corpus totum humidum & molle extat, cum venarum tenſione, & plenitudine quæ inferat, laſſitudines illas ſpontaneas, ab Hippocrate decantatas: tunc maxima erit coniectura fluorem hunc ex toto corpore promanare, vt longa oratione docuit Galenus in vxore illa Boëtij Conſ. Romani. Quòd ſi ex iecore, ventriculo, cerebro, aut alio viſcere ſuboriatur, id etiam demonſtrabunt peculiaria vnicuique ſymptomata: verbi gratia, dolor circa dextrum hypocondrium, calor aut tumor ſenſibus illis cum excremētis quibuſdam bilioſis huic fluori permixtis; iecoris affectum iudicabunt: quemadmodum

modum lienis, ſi in ſiniſtro ſint aſpectabilia cum miſcella ſucci foeculenti, vel acrioris. Quòd ſi inappetentia, ructus acidi, frequens nauſea, & ventriculi oppreſſio ægram infeſtent cum pituitoſi excrementi copia, quo vacuato iſtæ tolluntur, aut ſaltem minuuntur; nemo dubitare poteſt, quin ex ventriculo iſtæ cruditates delabantur: vel etiam ex cerebro, quam circa caput grauedines, ſputationes inſignes, humerorum & dorſi dolores quaſi perreptantes apparent, cum ſuppreſſione iuſueta eorum, quæ per os & nares excernebantur. Quibus omnibus ceſſantibus, tunc animus ad vterum, velut idiopathia affectum, erit conuertendus; potiſſimùm cùm grauiora apparuerint in illo ſymptomata morbificis cauſis à nobis ſuprà commemoratis. In diagnoſi Gonorrhoeæ percontanti; etiam oportet de natura & conditionibus excreti, quod ſi ſit album, paucum, craſſuſculum, ſine voluptate aut animi agitatione profluens, cum quodam lumborum dolore præcedente, iudicabimus eſſe ſpeciem gonorrhoeæ, quæ propter cauſas manifeſtas iam à nobis commemoratas acciderit. Si verò ſecuta ſit impurum quemdam concubitum, erit virulenta, aut luis venerea, aut elephantiaſeos ſoboles, quæ per contagium communicantur: in quarum vtraque inualeſcentibus ſcilicet aut neglectis, poteſt tandem magna copia materiæ excerni, qua alieni ſucci cum ſemine permiſcentur, tum quod vaſa ſpermatica intemperata, aut dolentia, & tandem valde debilitata recipiunt immenſam fluxionis copiam à toto, vnde mors & conſumptio iſtius affectus citò conſequuntur. Quum

fit Gonorrhoea à multitudine ſeminis, tantùm cognoſcitur ex habitu carnoſo, calido humidoque temperamento, quod ſemini procreando valde eſt idoneum præcipuè, ſi fruatur otio, diutiùs à coitu abſtineant, & ciborum copiam ad illius generationem aptorum aſſumant. In hoc caſu præcipuum eſt ſignum, quòd poſt iſtam profuſionem leuamen potiùs, quàm debilitatem, ſaltem in principio perſentiunt: quòdſi à tenuitate vel acrimonia ſeminis pendent, cauſæ vel prægreſſæ vel adhuc præſentes talem in humoribus qualitatem producentes id oſtendent, quemadmodum affectus, ſc. punctionis & vellicationis in locis illis per quæ excernitur: quibus deficientibus, recurrendum erit ad ipſorum vaſorum intemperiem & debilitatem. Sæpe tamen fit, vt renes, & lumborum partes huic affectui conſentiant, vnde in iſtarum vrina ſæpe ſupernatare ſolet quædam oleoſa ſubſtantia, vel pinguedo, telis aranearum ſimillima.

Prognoſin autem in hoc affectu eliciemus ex iis, quæ iã fusè dicta fuerunt de ſpecie & magnitudine illius. Quamuis hic morbus tota ſua ſpecie non ſit lethalis, attamen difficilis eſt curare, vbi ſemel inueterauit, quia vterus fit tanquam ſentina totius corporis, ſterilitatem certè vt plurimùm inducit, non tamen ſemper, quemad. annotauit Hipp. lib. 4. Epid. potiſſimùm cùm iſta materia defertur per vaſa ceruicis vteri. Quòdſi vehementiam habet ſummam, tum ratione quantitatis materiæ, quæ effunditur, cùm qualitatis, non ſolùm Cardiogmum, hydropes, lipothymias, marcorem, & ſimiles affectus inducere poteſt: ſed etiam corruptiones lethales, vt aphor.

Aphor.57, ſect. 5. tam ab inanitione & punctione materiæ virulentæ, vt quidam interpretantur, quàm à repletione. Quòd ſi iſta materia retenta ſubitò recurrit in cerebrum, & neruoſum genus, vt ipſe Hipp. innuit. 2.gyn. Idem de ſeminis effuſione immodica aſſerere poſſumus: & frequenter ab eiuſmodi gonorrhœa, ſi ſit rebellior, intereunt mulierculæ, quia præ pudore vix audent conqueri apud medicos, & legitima remedia vſurpare. Auget periculum in vtroque affectu pars princeps, aut coctionibus dicata, quę ſuppeditat huic malo cauſam. Qui verò iſtorum fluxuum deterior ſit, ita puto iudicandum. Album quidem eſſe continuiorem & deteriorem, potiſſimùm in fœminis iam ætate prouectis, quibus eſt valde familiaris, quia pendet à pituita & defectu concoctricis facultatis. Alios verò vt citrinos, vireſcẽtes, atros, & ſimiles, citiùs quidem curari ſi remedia adhibeantur, ob humoris tenuitatem: aliàs maius periculum inducere, ſi ferantur per vterum erodendo & inflammando, ſeu cohibeantur ſubitò, vnde infinita propemodum mala ſuboriri poſſunt.

Iam de illius therapia cogitemus. Quod ad curãdi methodum ſpectat in hoc affectu, quemadmodum in aliis habenda eſt ratio cauſarum internarũ, externarum, partium affectarum tam mittentium, quàm ſuſceptibilium: Eadem enim cauſarum internarum inſtituenda conueniens victus ratio, quæ omnes illas ita diſponat, vt non ampliùs ad internarum generationem & huius mali incrementum aſpirent: ſed contrà aduerſentur, & naturæ ſuppetias ferant. Ratione autem cauſarum inter-

narum humoralium quæ peccant motu, quantitate, & variis qualitatibus præſcribere oportet reuellentia, deriuantia, vacuantia, & alterantia, pro conditione humoris varia. Deinde ratione partium mittentium, vt cerebri, ventriculi &c. proponitur etiam correctio materiæ quæ ab illis fluit, & interceptio, aut deriuatio in alium locum minùs naturæ moleſtum. Ratione denique ſuſceptibilium, vteri ſc. & vaſorum, exoriuntur indicationes exiccandi eas ſuperfluas humiditates, adſtringendi ductus, & partem roborandi: ne deinceps tam facilè iſtorum humorum rheumatiſmos recipiat.

Quibus ita poſitis diætam inſtituamus. Aër itaque eligatur, aut arte paretur purus & minimè inquinatus vaporibus ſtagnorum, paludum, conuallium, & ſimilium locorum, quæ etiam mutanda erunt hiiſce ægrotantibus, ſiquidem incolæ ſunt inſalubrium iſtarum regionum, vt poſſint perfrui in alieno ſolo, cōmodiore aëre, ſicciore ſcilicet & limpidiore, aut certè domi corrigant vitium ambiētis, quantùm fieri poterit, vbi ſe continebunt potiſſimū pluuioſo, aut nebuloſo cœlo, cùm ſpirat auſter, vel nimia frigoris inclementia viget, excitato in conclaui luculento igne, promoueantur omnes aliæ vacuationes, vt alui & veſicæ, quātum enim de iis decedit de naturali & conſueta Eucheſi, tantum huic fluori accedere ſolet. Vigiliarum & ſomni adſit moderatio, & rarò in dorſum conuerſæ dormiant, quia calfactis renibus & lumborum regione, materia verſùs iſtas partes & vterum attrahitur: exercitatione vtantur moderata, ſed potiſſimùm fri-

ctione frequenti ſuperiorum partium, cum linteolis crudis & aſperioribus. Gal.lib.de prou. gloriatur ſe vxorem illam Boëtij Coſ. Rom. conuenienti frictionum vſu potiſſimùm curaſſe; neque enim ſolùm linteolis aut manu vtebatur, ſed etiam melle crudo, aut mediocriter cocto confricabat, ad maiorem reſolutionem pituitoſorum humorum, quibus totum illud corpus ſcatebat. Cuius loco poſſumus vti ſacculis arena tenui & modicè calenti refertis, vel farina fabarum & hordei cum pauco fœnigræco. Abſtineant etiam à coitu, ſi fieri poſſit, ne deeo magis conturbentur humores, & attrahãtur verſus vterum calfactum & dilatatū ab eiuſmodi congreſſu. Denique animi pathemata vitentur, quæ idem præſtare poſſunt, vt ira, mæror, Zelotypia, quibus valdè exerceri ſolent in hoc affectu, quia norunt ſe maritis ſuis ob illum valdè eſſe ingratas. Ideòque conſolandæ ſunt ſpe breuis curationis. Quòd ad alimenta, in eorum vſu magna ſedulitas eſt adhibenda, quia in hoc affectu non ſolùm qualitatibus ſuis nocere poſſunt, ſed etiam tota ſubſtantia faceſſere in materiam humoralem, quæ huic fluxui generationem ſuppeditat. Ideo eligantur alimenta ſecundùm ſubſtantiam euxima, quia hic perpetuò excedit cacochymia, vt dicebamus, ſecundùm materiam & peptoua, calor natiuus hic vt plurimus eneruatus & debilis exiſtit; ſecundùm quantitatem, mediocria; vt neque eorum defectu nimis totum corpus extenuetur, aut ſuperabundante còpia obruatur. Qualitatibus autem ſint varia pro diuerſitate fluoris pituitoſi, biliosi, aut melancholici, cuius qualitates magis

moleſtas & inſignes temperare debent. Perpetuò tamen ſiccantia laudantur à Gale. in hoc affectu, lib. de victu attenuante; quia vt plurimùm pituitoſi & crudi humoris copia in eo eſſe ſolet. Fugiant igitur omnia cruda & valdè humida, vt olera, fructus hornos & immaturos, acetaria omnia, lacticinia, piſces, & iuſcula, niſi fuerint inſpiſſata amylo, coryza, ſeuola & ſimilibus conuenienter præparatis. Carnibus aſſis ordinariè veſcantur, item pane bis cocto & anyſato, ſi redundet valdè pituita. Inter bellària paſſulis pineis dactylis, amygdalatis toſtis, pyris coctis, & ſimilibus vtantur. Potus ſit paucus ex vino rubro adſtringente, ex aqua coryondrorum, vel chalybeata. Hipp. lib. 2. Gynæc. inter alia laudat, vt iſtæ ægrotantes ſæpius dormitum eant incoenatæ, quod in pituitoſis corporibus valde vtile eſt, ex aphoriſ. 57. ſect. 7. Idem eodem loco ab acribus, & ſalſis, vt frixis & piperatis, quia propter acrimoniam ſuam fluxionem augent. Hæc igitur erunt pro varia ægrotantium natura variè præſcribenda. In Gonorrhoea autem vitandi ſunt corporis motus, præcipuè equitationes: renes etiam ſint diſcincti, & minimè coarctati, effugiant omnem cogitationem rei venereæ, aliorumque animi pathematum vehementiorum. Abſtineant etiam à vino, vel ſaltem vtantur olygoforo, & adſtringente. Sunt qui ſola aqua potabili in qua bullierit ſemen aliquod putent affectum iſtum extingui poſſe. Vitent cibos multi nutrimenti, & qui ſemen multiplicant, iam commemoratos, niſi tabes imminere videatur. Denique adſtringentibus vtantur alimentis, vbi iam erit conſilium ſupprimendi ex

toto

toto hunc fluxum. Atque hæc de diæta vtriuſque affectus.

Quod ad remedia ſpectat, cùm poſitum ſit in fluore muliebri regnare cacochymiam pituitoſam bilioſam, & melancholicam, non dubium eſt quin purgatio per accommodata cathartica conueniat, vt eſt aphoriſm. 36. ſectio. 5. mixtis ſemper, quæ adſtringendi facultate prædita ſunt, ne materia nimis violenter verſus vterum præcipitetur, & pars affecta magis debilitetur. Vtrùm verò venæ ſectio hîc ſit vſurpanda maximè dubitatur: ſi enim ſit mera cacochymia, certum eſt illam non educi per phlebotomiam, neque ſatis eſſe tutum reuocare huiuſmodi humores excrementitios verſus maſſam ſanguineam, & maiora vaſa. Denique non eſt dubitandum materiam celebrata ſanguinis miſſione in tam chronico affectu, cui ſæpius tabes coniuncta eſt, aut imminere videtur. Dicamus igitur adhibita diſtinctione, quòd ſi fluor iſte non ſit purus & ſolitarius, ſed ſubrubro humori, ſcilicet ſanguineo permiſtus, ita vt eius portio profluere videatur ex interiore illa humorum maſſa, tunc celebrari poteſt venæ ſectio, tam, reuulſionis quàm modicæ euacuationis cauſa. Item ſi inſignior iecoris caliditas, vel bilioſi ſucci acrimonia huic fluxui ſit coniuncta, ita vt vterum inflammet, & humores ad fluendum aptiores reddat, tunc ei non erit inutile ventilationis cauſa ſanguinem modicum educere. In aliis autem caſibus, potiſſimum vbi iam inueterauit hic affectus, meliùs eſt à phlebotomia abſtinere, & illius loco

loco ligaturas & frictiones in ſuperioribus partibus exercere, cucurbitulas ſcapulis & dorſo frequẽter admouere, præſertim ſi ex cerebro rheumatiſmus iſte pendere videatur: quo etiam in caſu conueniunt veſicatoria, ſynapiſmi, maſtycatoria, orchina, necnon cauteria occipiti vel brachiis, ita vt mali iſtius fomes arceatur. Vtrùm verò etiam cruribus admoueri debeant aliquando cauſtica, non ſatis eſt compertum, nam cùm eiuſmodi fonticuli in tibiis excitati magis ac magis allicere ſoleant humorem versùs inferiora, inde etiam ſequi videtur, quòd augeant fluorem hunc vterinum. Attamen in illis mulierculis, quæ magna ſeroſæ materiæ copia abundant, vt eius portio per eiuſmodi emiſſaria vacuetur, non eſſe inutiles iſtas tibiarum fontenellas, aliquando experti ſumus, præſertim cùm rebellis ille affectus nullis aliis tentatis remediis percurari potuerit. Repetendæ igitur frequenter, & quaſi ſtatis temporibus purgationes in hoc affectu, vt ſeges illa cacochymiæ, quæ continuò generatur, & ſuccreſcit, per epicraſin etiam & ſucceſſiuè vacuetur, non ſolùm concitata deiectione, ſed etiam prouocato frequenter vomitu, potiſſimùm in illis, quæ ad vomendum ſunt paratæ; & quibus ventriculus infartu humoris crudi grauatur. Materia purgantium ex ſolitis fontibus repetenda: In ſeroſo & pituitoſo dominatu, ſem.carth.& ebuli, folia ſoldanell. & agaricus, rad. mecoach. & turpetum, maximè conueniunt. In bilioſo, myrobala. citrina, rhabar. ſyr. roſ. ſerum lactis, aliquando etiam ſcammoneata, ſi liberaliùs ſit agendum, permixtis roborantibus. In melancholico fol. ſenn.

polypod.

polypod.qu.myrob.indi, ſyrup. de fum.lapis fazuli præparatus, confectio amech. & catholicon. Denique ſyrup. magiſtralis, opiatæ laxat. pilulæ, electuaria ſolida, vt eſt illud præcipuè, quod de citro vocatur, & ſimiles formulæ, præſcribi poſſunt, vt ſuis locis dictum eſt. Præter purgantia igitur, quæ hic vacuandi, deriuandique cauſa vſurpantur, quæri ſolet, vtrùm etiam in hoc affectu ſudorifica, & diuretica conueniant. Ipſe Hipp. in hac ſententia eſſe videtur lib. 2. gynæc. vbi narrat multas harum ægrarum naturæ opera ſanatas, quibus diarrhoeæ ſpontaneæ, ſudoris & vrinæ profluuia ſuperuenerant. Quare idem imitari Medicus poterit, vt Galenus fecit in curatione illius mulieris Romanæ. Quod ad ſudorifica quidem, non eſt dubium quin vacuata maiori ſeri portione per poros cutis & externum habitum, magna fiat portione per poros cutis & externum habitum, magna fiat reuulſio & vacuatio materiæ iſtius fluentis. Verùm generoſum eſſe auxilium in mulierculis iſtis experimur, potiſſimùm pituitoſis, quum decocto ligni guaiac. aut ſaſafroc, vſu ſtupharum, & thermalium naturalium aqua diutiùs vtuntur ad tollendam habitu vel ſudore maiorem partem iſtius humoris excrementitij. At in bilioſis & melancholicis cautiùs agendum, ne exaſperentur magis iſti ſucci & acriores euadant, ac proinde ſi in illis ſudores ſint cócitandi, vtendum erit decocto rad. chur. vel ſalſæ parillæ, cũ temperantibus & demulcentibus æſtũ furentis materiæ: aut certè præſcribere balneum aquæ tepentis & dulcis, in quo modici tantùm ſudores & blandi prouocentur, ſic etiam iuuari nullo nocumẽto poterunt.

terunt. De diureticis maior eſt dubitatio , nam quæcunque prouocant vrinam , quia caliditate vtplurimùm & tenuitate partium prædita ſunt , non ſolùm illud præſtare ſolent , ſed etiam menſes concitare , vt etiam lib. de ſimplic. medicam. facult. vbi commemorat Galenus aſarum , petroſelinum, apium , & ſimilia , tam prouocandis vrinis, quàm menſtruis.Ideo non videtur tutum in hoc affectu diuretica præſcribere , quæ eodem modo fluorem augere poſſunt : non enim par eſt ratio motus naturæ,quum in hoc affectu concitat vrinas , & artis; quia motus ille ſpontaneus fit opera caloris natiui, & facultatis expultricis, ſeroſam materiam in venas renum expellentis. Medicamenta autem illud præſtant, vt diximus , calefaciendo , & attenuando : quare non magis ſequetur fluxus huius verſus renes , quàm verſus vterum. Quid igitur de hac re ſtabiliendum ? Dicimus primò medicamenta iſta diuretica primariò vrinas prouocare , menſes verò ſecundariò , & quaſi ex accidenti : ac proinde bene repurgato priùs corpore,maiorem fructũ ſperari poſſe ex illorum vſu in hoc affectu,quàm incõmodum.Deinde renes proprietate quadam potẽter & continuò materiam ſeroſam attrahere, vterum verò excipere.Vnde credibile eſt per diuretica maiorem portionem iſtarum humiditatũ ad vias vrinæ profecturam:dummodò , vt doctè annotauit Auicennas,vterus non ſit nimiùm debilitatus vel vlceribus affectus. Cautè igitur agendum in diureticis,& quaſi explorandum ne maior noxa iſtis ægrotantibus inferatur. Corpore igitur præparato , materiaque ex parte vacuata vel deriuata, tunc robo-

rantia & adſtringentia non erunt omittenda, tam interna, quàm externa, quorum ſatis magnam copiam ſuperiori capite propoſuimus. Theriaca igitur antiqua in corpore & affectu pituitoſo maximè vſurpari poteſt, potiſſimùm vigente hyeme, ſola, vel cum conſerua abſynt. & roſ. addendo etiam parum ſeminis cuiaræ, coaguli hœdini, vel terræ ſigil. Quidam diſſoluunt coaguli hoedini ℈i in ℥iiij decocti foliorum quercus & per 7 aut 8. dies exhibent manè extra tempus fluentis menſtrui, aut iam fluxuri. Commendatur etiam conſerua venteris vel roſarum cum aliquot granis maſtíche diutius ſumpta. Inter alia autem vbi fluxus iſte inueterauit, & iam corpus euacuari incipit celebrant practici noſtri vſum lactis chalybeati, ſiue vſtulati per 4 dies exhibiti manè ad ℥iiij vel 5. cui addere poſſis circa finem terræ lemniæ vel ſacch. roſ. antiqui ʒ. aliquot. Interea fiant eodem tempore fotus, fumigia, litus, emplaſtra &c. peſſaria adſtringentia, quorum formulæ ex ſuperioribus patent. Ad roborandum vterum non erit inutile theriacam cum pauco coagulo in formam noduli ſubdere, vel myrobal. ſacch. condit. aut etiam peſſarium illud ab Aëtio commemoratum, quod fit ex lana, vel cotone in ſucco adſtringẽte macerato & exſiccato, quod in vuluam intromittitur, & frequenter mutatur, poſſumus etiam fouere totam iſtam regionem decocto ex vinaceis parato, nec non iniectiones ex ſimilibus iniicere. Quod ad Gonorrhoeã verò ſpectat, pauca de illius curatione ſubmittemus, tũ quia cõſimilis eſt illi, quę viris cõtigit, tũ etiã, quia de virulẽta ſatis copiosè à nobis diſputatum

tum fuit tractatu de lue venerea. Iam igitur paucis dicamus in gonorrhoeæ iſtius muliebris curatione præter victum ſuperiùs propoſitum, ſiquidem pendeat & multitudine ſeminis, vel ſit cóplicata cum inſigni plethora totius, venarũ tenſione, aut alicuius partis inflammatione, neceſſariò ſecundam eſſe venam in brachio, vt minuatur quãtitas humorum, & fluxus ab vtero reuellatur: alias tamen tundi ſaphena, ſeu vena poplitis, potiſſimùm quum coniuncta eſt virulentæ venereæ, quam timemus reuocare in medias corporis vias per iſtam phlebotomiam ſuperiorum venarum, vel certè ſi cum gonorrhoea accedat menſtruarum ſuppreſſio, vt ſolet aliquando: vacuanda etiam cacochymia & humorum acritas, quæcumque illi fuerit coniuncta. Verùm purgationem inſtituere ſoliturìs ex caſſ. ſolut. myrobal. citrin. in ſero lactis infuſis, ſyrupi reſ. pallid. Deinde ex therebentina, cum aqua graminis & roſarum diligenter lota, cui adiungimus parum rhabarb. puluériſ. aut liquiritiæ, idque repetimus pluribus viribus prout vſus expoſcit, mox iulepis refrigerantibus, ius aſſantibus & lenientibus materiæ fluentis acrimoniam & tenuitatem temperare ſolemus, vt ſyrup. de pomis violac. & de nymph. qui diſſoluuntur in aqua lactucæ, portulas vel acetoſ. Addito puluer. diatrigac. frig. Aut ſi mauis paretur emiſſio manè & ſerò ſumenda ex amyg. dulc. cùm ſeminibus frigidis. maior. ſemin. cap. & lact. conuenienter contuſis, & corrigatis aqua hordei aut liquiritia cum pauco ſaccharo. Quòd ſi maior ſit ſanies & virulenta, quæ deterſione indigere videatur tunc valdè poterit prodeſſe decoctum hordei, vel ſabarum

rum nigrarum cum pauco ſyrup.capill.ven.per aliquot dies hora ſomni exhibitū.Poſtea ad exiccantia & adſtringentia veniendum, inter quæ potus ſecundarius rad. ſalſæ parillæ maximè commendatur, & eiuſdem puluis ad ʒ j. manè & ſerò ſumptus cum pauco ſyr. de limonibus vel conſer. roſ. Alij parant electuaria, pulueres, ſyrupos, & alia multa pro ægri & temporis conditione, inter quæ ſequens opiata commendari poteſt. ℞. conſer.roſ. antiq. & rad. ſymphit. añ. ℥ ij. conſer.flor.nymph. ℥ ß. ſemin. papa.alb.terræ ſigillatæ, gran. hermes añ.ʒ 1. ſem.agni caſti,nymph.& caphur.añ.℈ß.cum ſyrup.myr.eſt opiata de qua capiat ʒ j.ß.manè & ſerò ſuperbibendo parum dicti decocti,ſi maior ſit ſuſpicio impuri concubitus addendo prædictæ opiatæ, raſur. ligni ſancti tenuiſſ. ʒij.Non erunt etiam omittenda externa & iniectiones ex lacte,aut euulſione prædita, quando acrimonia & calor infeſta ſunt,ex detergentibus,vt decocto hordei, & mellis roſac. ſi ſordes multæ dominentur; ex roborantibus & exiccantibus,vbi iam ſiſtendi conſilium erit, vt ex decocto vulnerario, cui immiſceantur folia plantaginis cum roſis ſiccis & rad.ſymph. Exteriùs inungantur renes & lumbi vnguento albo Gal. refug. cerato ſantall. & roſac.cum pauco aceto diſſoluto, & geſtent laminas plumbeas bene perforatas, & caphora, oleo & ſem. hyoſchia, illitas, ſuper lumborum regionem. fiant etiam inceſſus ſeu fotus varii prout temperandi, vel roborandi, & exiccandi indicationes aderunt. Quibus ſi non tollatur affectus, tandem vtentur decocto ſudorifico ex rad.ſaſæp.vel ligno ſancto per viginti, aut plures

dies inſtituto ; & tunc temporis nutriantur alimentis euchymis,ne corpus nimiùm contrabeſcat. Atque hæc de fluore & Gonorhœa ſufficiant.

De Melancholia & furore vterino.

Capvt V.

CVM varij ſint morbi,& ſymptomata,quæ exoriri poſſunt à retentione ſeminis,aut ſanguinis menſtrui,tamen præcipuè inter illa eluceſcunt duo mulieribus peculiaria nempe furor vterinus, & ſuffocatio matricis, de quibus iam acturi ſumus. Quod ad furorem itaque vterinum ſpectat, nihil eſt aliud quàm error imaginatricis circa intenſum coëundi appetitum ob malam ſeminis in vtero retenti, & illum inflammantis corruptelam. Diximus eſſe errorem imaginatricis, quia in hoc affectu perpetuò, aut ſaltem per interualla adeſt delirium, quod cùm ſine febre vt plurimùm contingat, ad maniam aut melancholiam potiùs quàm ad phrenitidem referri debet: ſi enim cum metu, & mœſtitia, taciturnitate & quodam pudore illud fiat, ad melancholicum affectum: ſin verò cum furore & impudica loquacitate, ad maniam magis accedit, quæ ſatyriaſim illam antiquorum quodammodo repræſentat: ita vt iſtud delirium aliquando mitius ſit, & tolerandum, aliàs ferinum & quaſi tragicum. Narrant enim quondam Mileſias virgines hac rabie correptas, quam fortaſſis exhibere non audebant, ſeſe ſuſpendiſſe :&

Ludgu

Lugdunenſes ſeſe in fluuium cateruatim præcipitaſſe: quod ipſemet Hipp.innuit lib.de morbis virgin. Muliebris(inquit)natura magis eſt abiecti & infimi animi, quàm virilis;ac proinde virgines vbi iam maturæ ſunt viro, niſi effluxus habeant conuenientes,materia illa præ multitudine reſilit ad cor, & diaphragma:vbi primùm cor infatuatur,delirium ſuccedit, & propter iſtam ſtrangulationem ſibi parant & mortem, velut quoddam bonum optanti. Ex quibus verbis elicimus,quæ mulieres huic malo ſint magis obnoxiæ,nempe virgines alacriores,dum flos ætatis vigere incipit, & menſtrua fluere parata ſunt, quæ tamen ob aliquam cauſam cohibentur: quibus addere poſſumus iuniores viduas caſtitatem ſeruantes, aut etiam nuptas ſteriles, quibus propter impotentiam ignauiores aut ingrati coniugis non licet conuenienter vaſa illa vterina explere, & rei venereæ appetitum ſatiare. Quamuis autem Hippocrates ſignificare videatur retentum ſanguinem menſtruum eſſe cauſam iſtius affectus: attamen non eſt exiſtimandum ſolam illius ſuppreſſionem iſtud efficere poſſe; ſed concurrere tantùm cum ſeminali materia retenta: quandoquidem illæ quibus menſtrua tantùm retinentur, frigidiores & ad coitum torpidæ & ignauæ euadant: imò iſtum furorem multis accidere annotauimus, quæ rectè tamen ſua menſtrua patiebantur. Iſtis tamen duobus ſimul coëuntibus, non eſt dubium,quin vehementior euadat,& quaſi ferinus iſte affectus, quem depingebat Hipp.ſuperioribus verbis. diximus itaque errorem iſtum contingere circa intenſum coëundi appetitum, vt illum diſtingueremus ab omni

alia dementia, quæ mulieribus accidere ſolet, vt quæcunque mania aut melancholia, quæ non habet ſuum fomitem & originem ab vtero & materia iſta retenta, ob cuius corruptelam & effumationem non ſolùm contingit matricem malè affici, ſed etiam communicatis, vt in hypocondrica ſolet, vaporibus tum cordi, tum cerebro, fit vt deliria exoriantur circa illud obiectum particulare, nempe appetitum rei venereę. Iure igitur diximus contingere ob malam ſeminis retenti & vterum inflammantis corruptelam: quibus verbis, tum partem primariò affectam, tum cauſam affectus proximam, & illius ſpeciem annotauimus: pars enim affecta eſt ipſe vterus, cum teſtibus & vaſis ſpermaticis ſibi annexis, in quibus ob copiam retenti ſeminis, & inflammati, atque etiam occulta quadam qualitate excitatis phlegoſis in illis partibus, & quædam putrida per quam expirantes maligni quidam fumi trahunt in conſenſum ipſum cor & cerebrum, conturbatis ſcilicet & contaminatis ſpiritibus vitalibus & animalibus, à quibus ſi fugax tantùm alteratio in iſtis partibus excitetur, fiunt paroxiſmi, per interualla recurrentes: ſi verò iam firmior & conſtans intemperies introducta fuerit, ex ſympathico idiopathicus redditur affectus. Obiiciet aliquis fortaſſe multoties accidere inflammationes in vtero, tumores præter naturam, vlcera, & prurilagines fœdiſſimas, per quæ tamen non contingit iſte furor vterinus: Imò in ipſa ſuffocatione vteri, aliquando retentum ſemen, & menſtruum, vt proximo capite videbimus, corrumpit, quæ tamen non inferunt iſtum pruritum & tentiginem cum delicio, imò potiùs inſi-
gnem

gnem ſtupiditatem, & torporem, cum ſenſuum omnium priuatione. Ad hoc reſpondeo, ſimplices inflammationes vteri,aut tumores præter naturam, à ſanguine ſolo, vel cum aliis humoribus permixto non ſufficere ad inducendum huiuſmodi delicium circa res venereas; quia deeſt proprius ille libidinis ſtimulus,à quo iſta obiecta in imaginatione ſuſcitãtur, quemadmodum videmus in ipſis viris & mulieribus bene ſanis tunc obſeruari huiuſmodi phantaſias,etiam per ſomnum, quando magna copia ſeminalis materiæ continetur in teſtibus, & cæteris partibus. Illæ itaque ſanguinis putrefactiones & vterinæ phlegmones, poſſunt quidem febrem inſignem ſymptomaticam parere, quæ in noſtro hoc affectu perpetuò abeſt, ſi ſimplex ſit,nec alteri coniunctus, propriam & intenſam phrenitidem inducere,quæ non habeat proprium iſtum, circa rem veneream, errorem, ſed circa quamcumque rem, vt in aliis febribus. Vlcera verò ſi eructent foras ſuam illam virulentiam, non mittunt effumationem vaporum ad ſuperiora, quæ idiopathica deliria inducere poſſit. Sin verò retineatur, poſſunt quidem pruritus & moleſtias inſignes parere, ſed quæ ſint abſque coitus deſiderio.In vteri verò præfocatione, ſemen quidem & menſtruum aliquando corrumpuntur,ſed non incaleſcunt & feruent: imò potius refrigerantur; Vnde quamuis ad cor & cerebrum fumos emittant, contraria tamen omnino huic noſtro affectui ſymptomata inducunt, tum propter manifeſtam illam qualitatem, tum etiam certum putredinis gradum,& proprietatem inexplicabilem.

Ex ſupradictis facile eſt colligere cauſam furoris iſtius & melancholiæ vterinæ ex parte rerum naturalium, non naturalium, & præter naturam, etenim temperamentum Eucratum, ſanguineum, & bene temperatum, vel exuſtum vt in nigricantibus, ætas florens & vegeta, qualis eſt præcipuè virginum, vt dicebamus ex Hippocrate, dum menſtrua fluere incipiunt, quam ideo Ariſtoteles. 7. de gener. animal. tunc valdè cuſtodiendas monet; libidinoſa natura viduarum & mulierum ſterilium, valde eſt diſpoſita ad hunc affectum ſuſcipiendum. Ex partibus verò externarum, quæcunque etiam ſemen multiplicare, retinere in vaſis ſpermaticis, calfacere, aut corrumpere poſſunt: illæ auxiliarem copiam huic affectui quandoque conferunt: vnde in regionibus aëris temperati, vel feruentioris frequenter exoritur iſte morbus, vt de Ægypto narrat Strabo & Herodotus: aliquando etiam valde frigidus aër idem poteſt, in iis potiſſimùm quæ non ſunt ei aſſuetæ, quia retinet ſubitò & cogit ad interiora omnes humores, vaſa ſubito coarctando: quod exemplo rabiei caninæ clariſſimum, euadit, cuius exaſperatio nō minor ſub ipſa bruma, quā ſub ipſo Syrio ardēte. Quæ igitur degunt mulieres molliter & delicatè, veſtibus ſericeis aut pelliceis vtuntur, ſuffitu ambari, ciuetæ, & moſchi, cubili plumeo, voluptatum omnium affluxu gaudent, vt choræis, blanditiis amaſiorum, lectione authorum impudicorum, ſomno longiore, otio & animi quiete ſuperflua: facilè labuntur in hanc affectionem, ad quam etiam multùm valet opipara menſa ex cibo & potu euchymo vel calidiore, & variis condimen

mentis parata: quibus ſi accedat ſolitarum vacuationum imminutio, coitus per longum tempus expetiti fruſtratio, cum mœrore aut zelotypia, fieri vix poteſt, quin primò melancholicæ euadant, vbi adhuc maior eſt humorum intemperies: deinde ſi incendantur & efferueſcant, paulatim maniacæ & furibundæ euadunt: quod multò faciliùs fiet ſi cauſæ præter naturam acceſſerint, vt febres, inflammationes partium, & obſtructiones potiſſimùm vteri, & vaſorum ſpermaticorum. Dicuntur etiam quędam hunc affectum incurriſſe ob hauſtum vini Hippocratici, quòd in borrag. parũ diſſolutum fuerat: alię poſt congreſſum cum viris, qui ad maiorem illis voluptatem conciliandam, penem oleis calidioribus, moſco, & pyretho mixtis, inunxerant. Atque hæc de cauſis.

Diagnoſis autem iſtius affectus, propter vehementiam ſymptomatis eſt manifeſtiſſima. In principio quidem illius taciturniores & mœſtiores euadunt, ſed cum oculorum iactatione & laſciuia, faciei rubore, qui intenditur per interualla, potiſſimùm facta commemoratione rei ludicræ vel venereæ: ad quam reſpiratio & pulſus immutatur per ſympathiam cordis. Vnde Galenus gloriatur ſe cognouiſſe ex pulſu muliercularum iſtarum erôſes ſeu furibundos amores: non quòd ſit aliquis pulſus amatorius propriè dictus, ſed quòd huiuſmodi amantes, ſeu potiùs ex libidine amentes, facilè quaſi ſubitò varias mutationes ſuſcipiunt in pulſu & motu cordis, propter iram, gaudium, mœrorem, & ſimilia animi pathemata, quibus variè torquentur, dum obiecta iſta expetita illis offeruntur, vel etiam

Digitized by Google

in memoriam inducuntur, & reuocantur. Cutis etiam illis paulatim fit ſqualida & aſpera, habitus gracilior, lotium acre vel adipoſum, quando fieri incipit colliquatio partium vicinarum; deiectiones paucæ & aridæ: quibus diutiùs perſeuerantibus exarcerbatur malum, & incipiunt rixari præpoſterè, & lachrymari, & eodem tempore in riſum effundi (vnde crocodili dicuntur mulierum lachrymæ) obloqui multæ impudenter, ex quibus nihil certi colligas, deinde reſipiſcunt, donec alter paroxyſmus ex materiæ motu inordinato, & ſine certa periodo redit. hoc furore percitæ mulieres non ſolùm viros appetere, ſed etiam publicè ſectari audent: imò relictis affinibus, liberis, & coniuge, in quæcunque loca ſuos amaſios comitari, vt de Medea, Ariadne, &c. authores referunt. Siue hoc animi aut corporis morbo, aut vtroque contigerit, quædam omnino dementatæ aut furentes, quibuſcunque obuiis ſeſe proſtituunt, & ita ſunt hac titillatione occupatæ, vt nunquam reſipiſcant, aut ſaltem verna, aut autumnali tempeſtate quotannis corripiantur. Cur igitur ſit pars in illis primariò, vel ſecundariò affecta, & intemperies, vel obſtructio illi originem dederint: quæ ſint cauſæ iſtorum affectuum; ab ægrotantibus ipſis vix expiſcari poſſis, vel amentibus, aut dum ſunt in ipſo interuallo præ pudore reticentibus: attamen illa poterit ſolers Medicus ex ſolitis ſignorum fontibus repetere. Si enim ſemel retenta ſunt menſtrua, aut conuenientes periodos non ſeruent, vel mala qualitate ſint prædita tunc magna erit ſuſpicio obſtructionum vaſorum matrici, cui etiam intemperies calidior & vulgaris ac-

videre poteſt, & coniuncta eſſe. Quòd ſi iſta ritè peragantur, furore tamen vterino perſeuerante, veriſimile erit ex ſumma acrimonia & feruore ſeminis in illo loco turgentis, ſibique præpedientis viã, potiùs pendere. Atque hæc de Diagnoſi.

Quod ad prognoſin verò, non eſt negligendus hic affectus, vtpote fœdiſſimus, & familiis ipſis ignominiæ notam inurens: cui ſi non maturè proſpiciatur, ſuccedere ſolet ferina illa amentia, vel etiam mors ex cauſis internis, vt compreſſione violenta cordis & diaphragmatis, propter quam in syncopen aliquando prolabuntur: vel etiam violentior, vt quando ſe in puteos proiiciunt, aut ſuſpendio afficiunt. Magna tunc eſt ſalutis ſpes, quãdo longiora incipiunt eſſe interualla, aut certè quando corpus tabefactum inſtaurari incœpit; & commemoratio rei venereæ, aut coniugij coram iis facta, non ampliùs eas ita ſtimulat, aut ſenſibiliter perturbat. Iam igitur de therapia cogitemus.

Primò igitur ad curationem iſtius affectus, cauſæ omnes externæ per rectam victus rationem ita inſtituendæ, vt omnino oppoſitę ſint omnibus illis, quæ huic affectui primordia, aut incrementa dederunt. Aër itaque frigidiuſculus comparetur arte, aut mutatione ſoli in regionem magis temperatã: lotiones crurum, ex decocto herbarum refrigerantium, aut in aqua frigida ſæpe repetantur: moris enim eſt apud pleroſque eiuſmodi libidinoſas & impudicas mulieres ferreis incluſas caueis frequẽter in fluuium immergere, vnde aliquæ ſanantur, & reſipiſcunt. Auertantur ab omni ſermone, lectione,

& inſpectione rerum laſciuarum,ieiunio & orationi addictæ,eisque potibus & cibis vtantur, qui ardorem iſtum maximè refrænare poſſint,vt lactucis, eudimia, cortulaca, & ſimilibus oleribus crudis pauco ſale & oleo conditis,melonibus, cucurbitis, pomis acidulis, aqua gelida, pane furfuraceo, aut ſyncomiſto,qui etiam aptiſſimus eſt ad aluum illis commouendum. Imperetur etiam vſus aceti, omphaſij, ſucci limonum, aranciorum, granatorum, capparum,oliuarum,& ſimilium alimentorum exigui ſucci & nutrimenti, quæcunque refrigerare, leuiter incidere, & corruptelæ humorum reſiſtere valent.Occupentur rebus domeſticis & laborioſis (otia ſi tollas periêre cupidinis arcus) ſi fieri poſſit, à quibus vix animum auertere poſſint: Imò etiam aliquando ab amicis & parentibus: ſi nimium deſipiant, non ſolùm grauioribus increpationibus & verbis, ſed etiam verberibus excipiantur: aliqua ignominia afficiantur, propter quam reſipuiſſe Mileſias illas virgines ſcripſit Plutarchus. Procurentur omnes vacuationes ſolitæ & artificioſæ, de quibus poſtea agemus.

Quod ad ſomni vſum ſpectat, dum adhuc aliquid ſanæ mentis retinent,& tantùm per interualla corripiuntur, poſſunt illi indulgere immodicè, magis tamen vigilare debent ad diſſipationem vaporum iſtorum qui intus per ſomnum includuntur. Vnde verò iam amentes factæ ſunt, non eſt melius quàm diuturnum ſomnum illis omni opera conciliare,ex quo mẽs quietior redditur,& pręposteri illi humorum motus retinentur.Quibus omnibus ſi non poſſis carnem illarum macerare, vel certè in principio

me

metus ſit,ne in peiorem aliquam infamiam labantur, maturè proſpiciendum eſt, ſi fieri poſſit,vt viro,eiq́ue valido adiungantur, quia ſatiato ſic vtero, & effuſa materia quæ in vaſis illis contenebatur, aliquando eas ſanari contingit. Si hoc etiam non proſit,propter vehementiam & diuturnitatem affectus,ad ſequentia remedia erit confugiendum.

Indicationes erunt à cauſis antecedentibus humoralibus, vt pote ſi adſit plethora ob ſanguinem intemperatum,vacuentur inſigniter per phlebotomiam ex cubito bis aut ter repetitam, prout opus eſſe videbitur, quæ etiam reuelle ab interioribus partibus. Sin verò ob coniunctam menſium ſuppreſſionem redundet ſanguis, tundantur etiam venæ malleoli,vt curſus ille naturalis humorum concitetur.Quòd ſi ſanguis verſus ſedem, & venas hæmorrhoidales vergere videatur, quod ex humore & rubore illarum apparet aperiatur admotis ſanguiſugis, & ille ſanguis fæculentus educatur. Ratione autem cacochymiæ, quæ hîc vt plurimùm melancholica eſſe ſolet,præſcribãtur vacuantia,pręparantia, & alterantia, totum corpus & humores purgentur. Igitur in principio benignioribus, vt ſyrupis de fumaria,aut de aceto,polypodio,querno & foliis ceuæ, bolis & catholicone, & diaſenna, vel pauca confectione hamech, balneo humectante: audaciùs erit agendum vt contumax ille humor deturbari poſſit, ad quod præſtandum nihil eſt apud Hipp. præſtantius helleboriſmo, vt pote potione ex helleboro nigro parata ſi haberi poſſit verni, cuius conficiendi ratio & doſis varia eſſe debet pro natura ægrotantis & ægritudinis. Ab antiquis

antiquis lapis laſuli ad grana 10. vel 13. cum pauca conſerua violarum adhibita, maximè commendabantur: à recentioribus verò antimonij præparati grana 5. vel 6. in aqua cordiali infuſa, cum pulueribus diambræ & diamargaritarum feliciter propinantur. Interea præparari & alterari debent non ſolùm balneo tepente & domeſtico frequenter repetito, vel in flumine, ſi æſtiua viguerit: ſed etiam decoctis & iulepis refrigerantibus & immodicè aperientibus: inter quę ſyrupus de ſucco pomorum & borraginis cum aqua borraginis confectus valdè erit accommodatus: cuius vnciæ duæ, vel tres aquæ fontanæ, aut nymphææ poterunt exhiberi manè vel ſerò. Item ſerum lactis caprini bene depuratum & refrigeratum ſub dio, in quo maduerũt cychorei folia, & fumariæ, vel eorum ſucci diſſoluti fuerunt, diutiùs vſurpatum manè & horis pomeridianis maximè conducit. Denique omnia quæ ad Màniacos, & Melancholicos præſcribi ſolent, illis conueniunt. quibus ſi veræ camphuræ parum addideris, habetur præſtantiſſima antidotus, & quaſi præcipua ad iſtum affectum debellandum, tam ſumpta, quàm admota; Quando autem vires diuturnitate morbi erunt fractæ, tunc parum confectionis alcherm. cum conſerua borraginis, aut iulepo alexandrino, comedi poterit ad roborãdum. Poſtquam itaque cauſarũ antecedentium humorantium & totius corporis rationem habentiũ non erunt etiam negligẽda: cerebrum enim per ſympathiam grauiter affecta ob fumos & vapores ſurſum delatos, qui ideo frictionibus & ligaturis erunt reuellendi ad interiora, cucurbitulis ſupra conas & inguina frequenter admotis, necnon clyſte

clyſteribus & ſuppoſitoriis, ſi ea velint admittere. Nullo tamen modo calfacientibus, ne magis commoueant iſtam materiam. Deinde erunt roboranda ipſa viſcera ſcilicet epithematis tum liquidis tum ſolidis, laterũ lotionibus & embrochis conuenientibus: Semper addendum modicũ caphuræ. Quibus ita celebratis, commouendus erit animus ad ipſam cauſam coniunctam, nempe concluſum & putrefactum ſemen, ipſúmque vterum & vaſa ſpermatica nimio calore affecta, ad eiuſmodi ſemen educẽdum: niſi vti poſſint propter vitæ conditionẽ virili congreſſu. fiant autẽ perita obſtetrice frictiones & contractiones partium genitalium, à quibus ſæpe excernere conſuerunt magnam ſeminis iſtius copiam: peſſaria ad eundem vſum erunt accommodata, ex mercurialis contuſæ foliis, cum pauca myrrha, aut puluere collochynthidis, & oleo ſalubucino: quæ ſupponi debent filo alligata, vt commodiùs retrahi poſſint. Et dum ſunt, in balneis ne incaleſcat vterus poſtquàm ibi manſerũt per ſpatium horę vnius vel dimidiæ, fiat iniectio in vuluam calefactam ex ſero lactis, decocto hordei, cum pauco ſucco ſemperuiui vel cicutæ, quam hic peculiariter commendant. Inunagntur ſedulò renes, lumbi, & perinæum vnguento roſato, vel albo refrigerante, ſuccis ſolani, hioſch. vel aquæ nymphææ diſſolutæ cum pauca camphura. Tandem ſi perſeueret affectus, applicẽtur cauteria cruribus, nihil enim eſt præſtantius in eiuſmodi melancholicis affectibus, quàm materiam ad inferiora per illos fonticulos deriuare. Quòdſi vel lienis obſtructiones, vel tumor ſuperuenerint, illis diligenter erit medendum, tanquam fouentibus cauſas illius affectus. Atque hæc de

vterino furore ſufficiant: Nunc ad illius ſuffocationes accedamus.

De vteri ſuffocatione.

Capvt VI.

GRAVISSIMVM & valdè frequens ſymptoma explicandum aggredimur quod vulgò ſuffocationem matricis appellant, vel potiùs mulierum, ab vtero ſtrangulatum, vt loquitur Plinius: vnde mulieres illi obnoxiæ, ſimpliciter hyſtericæ vocantur. Eſt autem hic affectus à læſa reſpiratione ob perfrigerationem totius corporis & vteri à materia quadam in illius ſinu, aut valuis contenta, cuius vapor ad cor & cerebrum per interualla defertur. Definimus enim per reſpirationem læſam nempe ablatam, aut imminutam tanquam per præcipuum & maximum ſymptoma, quod in iſto affectu apparet, quemadmodum Galenus apoplexiæ differentias quamuis ſit affectus cerebri rimatur varietate reſpirationis quæ in illa conſpicitur, in hoc enim ſtrangulatus tanta aliquando adeſt huius functionis priuatio, vt multæ, inquit Galenus pro mortuis habitæ, & elatæ ſint: cùm enim tres ſint reſpirationis, vt & pulſus cauſæ continentes ſeu proximæ, nempe inſtrumentorum propriorum diſpoſitio, facultas, & vſus: hic non ſolum earum vna, ſed fermè omnes lædi videntur: nam cùm totum corpus & vterus inſigni-

ter

ter refrigerentur,finalis cauſa,ſeu vſus reſpirationis tollitur,quia vehementer refrigerato corde & ſpiritibus, non videtur ampliùs noſtri aëris externi attractio, quæ fit ad caloris contemplationem: neque etiam expiratio fuliginoſarum exhalationum, quæ calore tunc imminuto non eleuantur,infringitur etiam facultatis robur.quod poſitum eſt in gradu naturali,ſiue propria temperie calidi illius innati,à quo omnes functiones principaliter exercentur. Inſtrumentorum etiam propriorum immutatur, quia malè affecto cerebro, non influit ampliùs commodé ſpiritus animalis in neruos & muſculos, quibus thorax comprimi & dilatari debet. Fruſtra igitur quærunt vtrùm vita ſine cordis motu & reſpiratione ſubſiſtere poſſit per ſolam tranſpirationem conſeruato calore natiuo qui in partibus ſupereſt cùm illud quotidiana experientia conſtet,non ſolùm iſtarum mulierculårum, ſed etiam multorum animantium, vt glirium, ſerpentum,& vrſorum quæ per duos aut tres menſes integros ſine vllo alimento externo, & reſpiratione, velut demortua deliteſcunt:poteſt enim calor natiuus circa humidum illud primogenium, & internum alimentum, nempe ſuccum alibilem ſuperioribus temporibus collectum, aliquandiu permanere,non ad perfectæ vitæ actiones obeundas,ſed eas quæ vitæ plantarum reſpondent.Ex hac reſpirandi difficultate,& aliis accidentibus tres differentiæ ſiue gradus hyſtericæ paſſionis ſtatuuntur: prima eſt, quum ſine ſenſu & motu iacent cum obſcuro aut paruo pulſu, ſed cum nulla ſenſibili reſpiratione: ſecunda,quum ſentiunt quidem,& integra ratione,

ſed

ſtri eleuantur, quemadmodum videmus hydrargyrum calore externo alternatum, copioſam ſuppeditare exhalationem.

Porrò iſtius vaporis minera continetur in vaſis vteri, quæ multiplicia ſunt, vt venæ, arteriæ, & ſpermatis conceptacula, aut in eius cauitate, vnde apparet non vnicam eſſe, ſed multiplicem, nempe ſanguinem illum menſtruum, qui dum ſupprimitur vel ex toto, vel ex parte, ibiq; diutiùs retinetur, malas illas qualitates acquirit. Item ſemen muliebre coaceruatum & concluſum, quòd cùm ſit naturæ frigidioris, humidioriſque, facilè à naturæ ſuæ integritate diſcedit, & peſſimam inducit iſtam corruptionem. A menſtruo igitur & ſemine retento illud contingere frequẽter, vnde apparet quòd fœminæ illæ quibus iſta non ritè fluunt, vt plurimùm incidunt in iſtos affectus vterinos. Deinde quòd illis vacuatis, ita ſanitati reſtituatur vt nulla deinceps morbi iſtius veſtigia appareant. Attamen non fieri tantùm à ſemine & ſanguine corrupto, ſed etiam à quacumque alia materia in vteri cauitate retenta, & præter naturam affecta, illud oſtendit quòd hic morbus vetulas multas exercet, quibus neque ſanguinis, neque ſeminis vlla adeſt ſuperfluitas quæ poſſit iſtas obſtructiones parere, tum etiam quòd multæ coitu vtentes ſufficienter, & menſtrua ſingulis periodis faciẽtes, viſæ ſunt hunc affectum incurrere, quamuis non tam grauem, & vehementem. Certum eſt etiã illas, quæ vlcera vteri patiuntur, ſiquidem purulenta materia intus coërceatur, neque effluat, ſimilem ſtrangulationem ſolitas eſſe pati. Verùm ſubiit hic ſcrupulus, ſi enim

Digitized by Google

à retento ſemine & menſtruo iſta exoriuntur ſymptomata, qui fit quòd in viris quibus non fluunt hęmorrhoides iamdudum aſſuetæ, aut qui nulla vtuntur venere, non eadem obſeruantur? Reſpondemus in viris non omnino ſimilia apparere ſymptomata, tum quòd diſcrepat qualitas ſeminis virilis à muliebri, frigidiore ſcilicet & humidiore: tum etiam quod vteri & vaſorum iſtorum muliebrium alia eſt proprietas, tum ad conſeruandam, tum ad corrumpendam iſtam materiam, quæ contra naturam ſe habet; quod in membris virorum generationi dicatis non obſeruatur: adde quòd cùm ſuperabundat ſemen in viris, faciliùs excuti poteſt quàm in mulieribus, vt de Diogene Cynico narrat Galenus. Item mares animi & corporis robore præditi maiore, ſtudiis, exercitationibus, & labore maiorem iſtorum vaporum partem diſcutere poſſunt, ſi aliquando collecti fuerint. Attamen non omnino diſſimilia aliquando in viris obſeruari accidentia, quibus hæmorrhoidum fluxui aſſuetis & prolificæ veneri addictis iſta ſubitò intermittuntur: quod Galenus hiſtoriis quibuſdam confirmauit lib. 6. de locis affectis cap. 5. Et nos quoſdam etiam nouimus, qui præter morem relicto concubitu, in melancholiam grauiſſimam, cibi faſtidia, nauſeas, & lipothymias inciderunt: ſed hoc rariùs quàm in mulierculis propter dictas rationes.

Obiiciet rurſum aliquis. Si deleterius ſit iſte vapor & venenatus, qui ab vtero eleuatur, oporteret in nobis venena generali à calore noſtro natiuo, ex materia alimentaria, & in partibus

tibus ſiue locis phyſicis conſeruationi, non corruptioni dicatis. Reſpondemus primò, non ſufficere vaporem iſtum ſimpliciter eſſe frigidum; quia à ſolo frigido, neque tam ſubita, neque tam grauis, neque tam determinata partibus nobilibus noxa inferretur, potiſſimùm cùm exiguæ ſit quantitatis ille vapor qui ex iſtis locis exhalare poteſt: ac proinde venenatæ debere eſſe qualitatis participem, vt iſtos effectus producat quos Galenus admittit lib. 3. de locis affectis, cap. 8. agens de Epilepſia: & 6. de locis affectis, cap. 5. cùm agit de hyſterica hac paſſione: comparans malignitatem iſtius cauſæ torpediuis contractici, morſui phalangij, vel ictui ſcorpionis, qui cùm exiguum virus expirent, per eiuſmodi vulnera in noſtrum corpus, pauco tamen tempore illud ita afficiunt, vt non ſolum & quaſi grauedine perfuſum videatur totum corpus, ſed etiam in ſyncopes, & alia grauiſſima ſymptomata incidat. Iſtud autem venenum internum fieri non tam ratione caloris natiui, quàm putredinoſi & alieni inducti in iſtam materiam, vel ab externis cauſis, vel vaporibus concluſis, illique permixtis: item propter malam diſpoſitionem tum locorum obſtructione laborantium, tum etiam materiæ, quæ ob vitium alimentorum, aut intemperiem partium coctioni dicatarum naturalem vel adſcititiam, valde cacochyma & peregrina euaſit: quod exemplo atræ bilis illuſtrare licet, quæ ad tantum malignitatis gradum accedit, vt toto genere quemadmodum venena externa, nobis infenſa exiſtat.

Rurſum dici poteſt: Si per vaporem hic

affectus excitetur ab vtero eleuatus, augeretur potiùs quàm minueretur pulſus & reſpiratio: item cor ipſum palpitaret, quia ad excluſionem illorum oportet iſtas partes magis agitari, vt patet in aliis morbis. Reſpondemus primò vaporem iſtum eſſe paucum, ac proinde non eſſe opus grandiori expiratione vel ſyſtole, vt excludatur: Secundò refrigerare, ac intercipere commeatum ſpiritus animalis in neruos, propter quem præcipuè ceſſat motus iſte thoracis: ac proinde quamuis in principio affectus celer & frequens aliquando reddi poſſit pulſus & concitata reſpiratio cum cordis tremore; attamen dum vapor iſte cor vehementiùs occupauit, in progreſſu ceſſare iſta omnia, quaſi congelatis ſpiritibus, & ſuccedere mirabilem illam apnœan.

Redeamus iam ad noſtram definitionem, in qua dicebamus vaporem iſtum venenatum vteri vaſa & ſubſtantiam, deinde totum corpus præter naturam afficere. vbi poſita eſt celebris valde quæſtio de natura, ſeu propria ſpecie iſtius affectus: quidam enim exiſtimant eſſe diſtenſionem vaſorum vteri, & quaſi conuulſionem à repletione. Alij cum Hippocrate, etiam inanitionem vteri accuſant. Quidam exiſtimant à ſolo motu & ſitu præpoſtero, aſcenſu ſcilicet, & oberratione vteri pendere. Alij denique ſolum vaporem eleuatum ex mala iſta intemperie vteri ſufficere ad prædicta ſymptomata producenda. Nos igitur accuratiùs rem ipſam contemplantes, dicimus primò fugacem iſtum affectum, vel potiùs paroxiſmum, non poſſe pendere à conuulſione

ſione facta ipſius vteri, aut vaſorum quæ repletionem aut inanitionem veram ſequitur, cùm enim eiuſmodi diſtenſiones, aut exſiccationes partibus accidunt, ſolent continuò affligere, nec niſi longo temporis tractu, ſummoque cum periculo tolluntur: at noſter hic affectus, vt dictum eſt, deſinit & recurrit frequenter, raroque enecat iſtas ægrotantes, quamuis ad vitæ vſque exitum illo detineantur. Neque etiam exiſtimamus hunc affectum pendere à motu, aut oberratione vteri: neque enim animal eſt particulare in muliercularum vteris, qui lumbrici inſtar hinc inde versùs hepar, diaphragma, aut cor deerrare poſſit, alimentum ſibi familiare quærens, & iſta membra coarctans, & quaſi ſuffocans. Anatome enim ſatis docet vterum per ſuas venas & arterias conueniens alimentum ſibi allicere, propria autem membrana obuoluente & ligamentis fortiter contineri in ſua ſede, de qua non poteſt excedere, niſi illis diſſolutis. Quamuis igitur accurrere aliquando versùs pudenda ſuſcipiendi ſeminis virilis cauſa, quamuis malis odoribus affici, iucundius delectari videatur, non tamen inde ſequitur eſſe animal in animali, non magis quàm cerebrum, cor aut ventriculum, quæ manifeſtè moueri & concuti apparet ſuis fibris naturalibus, & ratione ſenſus naturalis omnibus partibus inſiti, rebus gratis delectari, ingratis verò & ſibi aduerſis maximè affici & agitari. Denique nos exiſtimamus etiam ſolam intemperiem ſemper ſufficere ad hunc affectum producendum, quamuis enim præcipua ſit cauſa efficiens, à qua vapor ille

malignus ſuſcitatur, attamen certum eſt in pleriſque iſtis fœminis hyſterica paſſione detentis, manifeſtum vteri motum, & agitationem ſentiri circa principium paroxyſmi, à quo manifeſtè torquentur, & cui compeſcendo multæ ſolent implorare aſtantium manus ad illum comprimendum, vel etiam latiſſima quadam faſcia ſibi conſtringere hypogaſtrium, vt vteri agitatio coërceatur: ac proinde exiſtimamus in hoc affectu idem ferè, quod in epilepſia contingere, nempe agitationem, & conuulſiuum motum; ex cauſa non proportionata ad materiam, vt loquuntur practici; tetro ſcilicet vapore qui irritans vim expultricis facultatis, efficit vt contractis violenter & dilatatis omnibus fibris concutiatur vterus ſummo labore, donec humorem iſtum, aut vaporem in reliquas partes amandarit, quemadmodum in epilepſia eodem modo cerebrum concutitur. Quòd ſi tanta ſit illius humoris ferocitas, vt natura eum exhorreſcens non audeat inſurgere in iſto motu ad illum excludendum, tunc quaſi ſopitus conquieſcit; & exoriuntur peſſimæ illæ ſtrangulationes ſiue ſuffocationes, ſine illo ſenſu aut motu. Ac hanc agitationem ſequitur ſæpiſſimè in hoc affectu ventriculi ſubuerſio, cum vomitu aut nauſea, diaphragmatis concuſſio, & cerebri compaſſio, cum diſtorſione membrorum: quum ſcilicet reliquæ partes conantur eodem modo cauſam iſtam malignam & morbificam excludere. Ac proinde concludimus, adeſſe

pri-

primò in hoc affectu intemperiem vt plurimùm malignam cum frigiditate, quæ aliquando coniungitur magnæ humorum quantitati, vt in retentis menſtruis: aliàs paucæ admodùm, vt poſt puerperia, magnaſque ſanguinis profuſiones, relicto intus peſſimo excremento, à quo affectus iſte ſuſcitari poteſt.

Nunc igitur ad cauſas veniamus. Cùm immediatæ huius affectus cauſæ humorales poſitę ſint ſemen, ſanguis menſtruus, & virulenta quæcunque materia in vtero, aut vaſis illius contenta, ex quibus oritur intemperies illa maligna cum frigiditate, & vapor deleterius, eam vteri expultricem vim per paroxyſmos irritans, tum reliqua corporis membra impetens, præcipuè cor & cerebrum, cum quibus magnam vterus habet familiaritatẽ Iam videamus quæ aliæ cauſæ tam internæ, quàm externæ concurrere poſſint ad iſtas propinquas & immediatas generandas vel concitandas, ex numero rerum naturalium, non naturalium, & præter naturam. Quod ad res naturales ſpectat, certum eſt temperamenta ſanguinea & bene habita, quibus veneris vſu interdicitur, vel menſtrua purgatio ex quacunque occaſione retinetur, item valdè cacochyma, quæ non habent ſuas ſolitas apochynoſes, valdè diſpoſitas eſſe ad morbum iſtum. Item ratione ætatis; virgines iam nubiles, ſi igniculos amoris conceperint, & illis diutiùs torqueantur, ita vt palleſcant, & cachexia illa memorata corripiantur, facilè in illam incidere. Quod etiam de viduis & ſterilibus eodem modo dici

Digitized by Google

poteſt. Vetulæ verò multæ ob cacochymiam inſignem hyſterico ſæpe affectu corripiuntur : potiſſimùm quæ fluore muliebri diu detentæ non ampliùs purgantur vitioſis iſtis humoribus. Exiſtimauit etiam Hipp. prægnantibus iſtum ſtrangulatum aliquando accidere poſſe : quod de valde cacochymis eſt intelligendum,quibus peſſimi iſti ſucci imprægnationis tempore retinentur,puerperis autem ſæpe contingit,vel quando lochia non ritè expurgantur , quod frequenter contingit: vel aliquando ob immodicam ſanguinis vacuationem ex laborioſo partu,aut aborſu: quando ſcilicet praui humores poſt optimi vacuationem humoris dominantur & inſoleſcunt.Quòd ſpectat autem ad cauſas externas & procatharcticas, quomodo concurrant ad iſtius affectus generationem, ſcribit Paulus & Auicennas iſtas ſuffocationes vterinas fieri potiſſimùm autumno & hyeme : autumno quidem, propter ſummam inæqualitatem frigoris aut caloris, qua perculſæ mulieres iſtæ infirmiores, & agitata interiora cacochymia incurrunt hoc ſymptoma : hyeme autem propter frigoris vim impedientis, ne vapores iſti ad exteriora exhalent, & vteri intemperiem oppugnantis, vt reliquarum partium neruoſarum.Regiones etiam illę dicuntur hoc affectu feraciſſimæ quæcunque repentinas aëris mutationes patiuntur,vt eſt hæc noſtra Occitania. Sub aëris etiam ſenſum reuocare poſſumus odores,quia inſtar exhalationis ſiue corporis aërij communicantur,& à quibus vterus mirificè afficitur, quæcunque enim hyſtericæ paſſioni valdè ſunt obnoxiæ, iſta exhorreſcunt , corporum illorum ſuauiſſimorum, potiſſimùm

ſimùm moſchi, cybeti, & ambari olfactum, vt quam primùm illos naribus perceperint in prædictum affectum labantur,cùm tamen iſta eodea ſuppoſita,aut in vuluam indita ſint vera affectus iſtius & propria paregogica mitigantia: contra verò ab olfactis & aſſumptis ingratis odoribus, vt aſſæ fœtidæ, bitum. gagat.ſulph.caſt. galb.& ſimilium mirificè recreentur:ſin verò vuluæ admoueantur, ita diſſodes admodum infeſtentur, quòd multos induxit,vt crederent vterum olfactus ſenſu verè eſſe præditum,cùm odores ita diſtinctè percipiat.Quid hac de re ſtatuēdum ſit non ſine difficultate ſtatui poteſt. Nos ergo probabiliora ſectantes dicimus admittendas eſſe in rerum natura ſympathias & antipathias mirabiles propter quas naturali quodam inſtinctu iſtis,iſta ſuauiter gaudēnt,alia ab aliis offenduntur, & iis aduerſantur, ac proinde vapores iſtos à rebus ſuauibus eleuatos, præcipuè cibeto, ambaro & moſcho ſolis vel permixtis: non enim ita afficitur roſarum, calliophillorum cinamomi, & ſimilium aromatum odorem, percipi ab vtero, non ſub ſpecie odoris, quia eſt proprium olfactus obiectum, ſed grati & benigni vaporis, quo maximè recreatur & reficitur,quemadmodum reliquę partes corporis noſtri neruoſæ, & ipſi ſpiritus: vbi igitur bene olentia pudendis admouemus, tunc quaſi ſatiatus & recreatus conquieſcit vterus, ſin verò naribus & cerebro priùs offerantur, appetitu naturali primùm commouetur, deinde ſi malè ſe habeat, vt in iſtis hyſtericis, agitato maligno humore conuellitur, ac deniqueexpellitur peſſima illa aura ſuffocationis hyſtericæ patens.

Contra verò à malè olentibus infrà admotis, cum quibus illis eſt diſſidium irritatur, vt & ipſe ventriculus ad vomendum agitatur. Quòd ſi per os aſſumantur malè olentia naribus vel vmbilico applicentur, conquieſcit tunc vterus, & quaſi fugatur naturali antipathia in propriam ſedem. Adde quòd iſta grauiter ſpirantia in duplici habent differentia: quædam enim caliditate & ſiccitate inſigni prædita emittunt acerrimam illam exhalationem, qua facilè diſcutiunt vapores iſtos, qui ex vtero effumare debent, vt ſtrangulatum iſtum inferant: quædam verò malè olentia ſunt ob caliditatem humiditati excedenti & putredinoſæ iunctam habent, vt ſunt ſtercora humana, carnes putridæ, cadauera, & ſimilia quæ affectum iſtum non iuuant, ſed potiùs augent. Vnde poſſumus cōcludere illa beneolētia tum occulta quadam ſympathia vtero amica eſſe, tum manifeſta qualitate, quatenus partes neruoſas & ſpiritus reficiunt: graueolentia item naturali antipathia vtero & ſpiritibus aduerſari: qualitatibus verò ſuis quàm ſint calida & ſicca, diſcutere materiam, quæ eſt proxima cauſa acceſſionis. Iam alias cauſas percurramus. Quicumque cibi & potus dicti ſunt à nobis ſupprimendis menſibus eſſe idonei, obſtructionibus ſcilicet, multiplicandis, aut etiam qui ſemini augendo inſeruiunt, illi concurrere poſſunt ad affectus iſtius generationem, inter quæ dulcia potentiſſimè illud efficere ſolent non tantùm quod ſpectat ad cauſam antecedentem producendam, ſed etiam ad ipſum paroxyſmum inducendum, quarum eorum ſuauitate propter vapores gratioſos inde eleuatos ſtatim commo

commoueatur vterus illorum deſiderio, vt dicebamus de odoribus, eodem modo qui agitare poſſunt aut corrumpere illum humorem, illuque incrementum præſtare, vt ſomnus immodicus, & otium, excretiones præter naturam retentæ, animi pathemata vehementiora, poſſunt tum malignam iſtam materiam in vteto colligere: tum etiam illam concitare ad paroxyſmum inferendum. Audito enim vel accepto malo quodam nuncio multas ſtatim in ſtrangulatum iſtum incidere notum eſt, & quaſdam vidimus quibus ſi per integram ſeptimanam ceſſaret vomitus conſuetus vel non purgarentur per alui fluxum, deinde grauiſſimæ concitabantur hoc morbo. His adde obſtructiones vel intemperies partium, relictas poſt alios morbos, vt febres quartanas, vel diuturnas inſignes cerebri catarrhos, epilepticam compoſitionem, melancholiæ & hypochondricæ dominatum, & ſimilia à quibus vel producitur iſte affectus, vel eis complicatus ferocior multò euadit. Atque hæc de cauſis.

Signa autem iſtius affectus, cauſarum & partis affectæ ita ſunt perluſtranda, vt primò per certa quædam tecmeria, illum diſtinguere poſſimus ab aliis cumquibus magnam habet cognationem & ſimilitudinem: vt ſyncope, apoplexia, & comitiali morbo. quod ad ſyncopen ergo ſpectat; certum eſt in illa non ſolùm reſpirationem, ſed etiam pulſum omnino mitti, qui in ſuffocatione hyſterica vt plurimùm remanere ſolet, quamuis paruus, donec iam ad extremum periculum peruenerint.

Deinde

Deinde in ſyncope eſt magis præceps omnium vi-rium lapſus,quàm in hoc affectu, qui dat ſignificationem erudientem futuræ acceſſionis, neque in ipſo paroxyſmo tantus eſt pallor faciei quantus in ſyncope,quemadmodum ſudor ille diaphoreticus qui correptos ſyncope occupare ſolet, hîc abeſſe ſolet.Non eſt tamen negandum,quin interdum iſta ſuffocatio ſæpe complicetur cum ſyncope vel lipothymia, quando ſcilicet ſunt corde & animo languidiore, vel iam debilitatis viribus ob diuturnitatem affectus: & tunc mixta poſſunt eſſe ſigna & ſymptomata. Differt autem ab apoplexia hic affectus,quòd hyſtericæ mulieres non habeant partes iſtas reſolutas,neque ſenſum tactus omnino amiſerint,vt apoplectici, ſed ſi compunguntur, vel pili extrahuntur, indicant manu ſufficienter ſe dolorem ſentire.Deinde non patiuntur illum ſtertorem & reciprocam reſpirationem, quæ ſemper in apoplecticis plus minùs viſitur.Præterea poſt acceſſiones meminerunt eorum quæ tunc dicta & facta fuerunt,quod non contingit in apoplexia, vel epilepſia. A qua epilepſia etiam in hoc diſtinguitur, quòd conuulſiui motus qui aliquando coniunguntur vterinæ ſuffocationi non ſunt ita vniuerſales, vt epileptici, ſed hoc vel illud membrum ſeorſim tantùm diſtorquent ſine vehementi agitatione. Adde quòd dum ſoluitur hyſterica paſſio, nulla apparet ſpuma circa os, vt in epilepſia, ſed velut dormientes excitantur cum murmure inferioris ventris, quaſi vtero quieſcente, & in ſuam ſedem reſtituto, vel aliquando effluente per vuluam magna humiditatis copia. Iam igitur pro-

pria

pria ſigna enarremus, quibus ipſe affectus, ſedes affecta, & illius cauſa peculiaris innoteſcat.

Imminentis itaque huius paroxyſmi, cui maturè ſuccurrendum eſt, quaſi prodromi exiſtunt murmur abdominis, cum frequenti ructu, laſſitudines, & confectiones membrorum, oſcitationes, pandiculationes, afflatu nimirum illo excitatæ, qui iam versùs ſuperiora eleuatur, nauſea quædam ex ſympathia ventriculi, triſtis conſpectus & quaſi horror, ob retractionem caloris natiui versùs ſuos fontes; tandem ſenſus quidam ſtrangulationis vrget, quaſi à grandiori bolo deuorato, quem in faucibus ſeſe habere conqueruntur: vbi ingraueſcit affectus, tunc diſtorqueri incipit aliquod membrum, vel ſubita apnoea correptæ nihil deinceps ſenſibiliter reſpirant, cum pulſu paruo, & languido, clauſiſque oculis tunc remanent, donec reſtituantur. In aliis verò vterus ſenſibiliter agitatur motu illo conuulſiuo, vel quaſi conglobatur, ita vt ceruix illius ab obſtetrice tangente quaſi retracta ſentiatur.

Quæ verò pars huic affectui præcipuam originem dederit per ſingulas diſcurrendo inueniendum erit: nam ſi præter vteri querelas adſint notæ iecoris, ventriculi, lienis, cerebri, aut ſimilium partium affectarum, quæ præceſſerint generationem iſtius hyſtericæ paſſionis: aut certè cùm illis ſæuientibus ingraueſcat iſte affectus, vel deſinentibus miteſcat, magna erit tum coniectura primanam ab illis partibus cauſam repetēdam eſſe: etenim per hyſtericas iſtas ſuffocationes valde notum

eſſe: etenim per hyſtericas illas ſuffocationes valdè notum fit quæ partes in corpore ægrotantis ſint imbecilliores: nam ſi ventriculus v. g. infirmitate laboret, perpetuis ructibus, aut circa vmbilicum rugitibus & borboryſmis, frequenti nauſea, faſtidio, & deprauata appetentia torquentur: ſi cor ſit imbecillum, illas excipiunt palpitatio & tremor, cum mœrore & metu frequenti, denique cerebrum debile catharris & moleſtiſſimis fluxionibus illas infeſtat, madeſcunt lachrymis oculi, imaginationibus variis agitantur, & ſæpe diſtortiones membrorum iam dictas perpetiuntur. Vtrùm verò à ſemine retento, ſuppreſſione menſtruorum, vel alterius materiæ excrementitiæ in vtero corruptæ tanquam à peculiari cauſa pendeat, ita diſquirendum erit. Etenim ſi à ſemine retento & putrefacto contingat, aderunt vel præceſſerunt omnes cauſæ quæ illud augere, coaceruare, aut corrumpere in vaſis potuerunt, vt florens ætas veneri iam matura, vel aſſueta quæ illius vſum diutiùs intermiſerit, temperamentum Eucrata vel ſanguinem, vita otio & voluptatibus dedita, victus opiparus ex cibis aliquando obnoxiis corruptioni. In his ſi contingat hyſterica paſſio, fluentibus commodè menſtruis, coniectura erit certiſſima à retento ſemine pendere. Hancque paſſionem vt plurimùm præcedere ſolet vterinus ille furor à nobis commemoratus, quandiu adeſt materiæ feruor, quo ſedato deſinit poſtea in affectum iſtum hyſtericum: ſymptomata omnia ſunt vehementiora quàm ab aliis cauſis, propter inſignem receſſum à naturali ſtatu,

& valdè iuuantur quando contrectatione molli & blanda genitalium partium humor quidam craſſus & albicans non ſine quadam voluptate efflait. vbi verò hic affectus contingit in muliere coitu ſufficienti vtente in qua menſes ſupprimantur, aut non ſatis commodè purgentur, tunc credibile eſt ex ſanguine iſto retento pendere, pro cuius varietate & cacochymiæ modo melancholicæ, iracundæ, torpidæ, aut ſomnolentæ euadunt, mammæ in iſtis turgere ſolent, & partes iuxta renes & femora quaſi pondere grauidarum, atque ipſum caput frequẽter dolere, in poſteriori potiſſimùm parte, propter copioſos fumos, qui ex hac materia eleuantur, & per ſpinalem medullam cerebro communicãtur. Quòd ſi commodè menſtrua fluant, ſit etiam veneris vſus conueniens ad eliciendum ſemen extra vaſa, mulier autem iam ſeriò ſit vicina, aut valdè cacochyma, vel vterus quadam fœditate laborans, tunc coniectura erit cauſam huius affectus eſſe corruptum quoddam excrementum in vteri cauitate contentum, quod ſatis commodè expurgari nequit. In hac cauſa non ſunt tam vehementes paroxyſmi, quàm ex ſemine & ſanguine retento, & illa quæ excreta oſtendere ſolet naturam excrementi dominantis. Aliquando etiam fit, vt cauſæ iſtæ complicentur, quod eſt etiam animaduertendum. Denique quod pertinet ad vteri motiones ſeu conuulſiuos motus, illa cognoſcentur ſubtiliter, cùm in principio paroxyſmi, tum etiam extra paroxyſmum: quoniam in hac ſpecie ſuffocationis vterinæ ſentitur quędam

quaſi

quaſi conglobatio vteri, circa vmbilici inferiorem partem. Atque hæc de dignoſi.

Quod ad prognoſin, ratione ſpeciei huius affectus, rarò interficit ægrotantes, ſed chronicus eſt & valdè moleſtus, aliquando tamen propter ſuperuenientem ſyncopen, aut inſignem conuulſionem, tolluntur è medio, quemadmodum ſi ſæpius repetat, & difficilè ſoluatur, periculum eſt, ne reſpiratione toties læſa calor natiuus ſuffocetur, & intereant. vbi tamen illud accidit, non ſunt ſtatim ſepeliendæ, neque deſecandæ, quia multas in ipſo tumulo exſuſcitatas conſtat. Practici vt experiantur vtrùm ſint mortuæ, apponunt naribus lanæ vel cotonis floculum, cyathum aqua plenum ſupra orificium ventriculi, vel diaphragmatis regionem, aut admouent ſpeculum ori, vt videant vtrùm ab earum halitu inficiatur. Sed qui iſta omnia poſſunt, tantùm ſignificare reſpirationem eſſe ſublatam, non tranſpirationem per quam ſuſtineri poteſt vita vltra aliquod tempus, vt ſuprà oſtendebamus, ideo meliùs eſt ſeruare eas inhumatas per triduum ſiue ſpatium ſeptuaginta duarum horarum, vt loquitur Auicennas, quia intra illud tempus fit motus omnium humorum, iſque reciprocus à centro ad circumferentiam: tunc enim ſi calor natiuus omnino euanuerit cum vita, fœtere quodammodo incipiunt. Qua in re valdè prudentem eſſe oportet, vt & in apoplecticis & catico affectis. Ratione verò ipſius eſſentiæ affectus cauſarum, & ſymptomatum illa paſſio hyſterica eſt deterior, quæ plurimas partes rapuit in conſenſum, quæ à ſeminali materia pendet corrupta, vel diuturna ſuppreſſione menſium,

propter rationes dictas, & quæ grauem reſpiratio-ni noxam infert. In ſenioribus vix curatur, vbi diu-tius perſeuerauit, ob inſignem cacochymiam, qua ſcatere ſolent, in iuuenibus plerumq; ceſſat, quando parturire incipiunt. At in prægnantibus & puerperis valdè eſt moleſta & periculoſa: in his quidem, propter magnam virium infirmitatem, in illis verò quia fœtus ſimul cum matre vehementer laborat, & quaſi ſuffocatur: vnde periculum aborſus.

Iam igitur ad therapiam accedamus. Illius autem duæ erunt partes, quemadmodum duo ſunt tempora huius affectus, nempe paroxyſmus, & interuallum. Priùs igitur à paroxyſmo liberandæ ſunt: deinde interualli tempore danda opera per remotionem cauſarum, vt prophylaxis illius inſtituatur, ne ampliùs, aut certè ne tam vehemens repertatur. In ipſo itaque paroxyſmo, cùm poſitum ſit illum excitari à vapore eleuato ex commota materia in vtero, propter quam totum corpus valdè refrigeratur, & partes nobiles, præcipuè cor & cerebrum in conſenſum rapiuntur, patet tunc incumbendum eſſe diſſipationi & reuulſioni illius vaporis, necnon excretioni malignæ illius materiæ, & corroborationi ſeu conſolationi tam ipſius vteri quàm cordis & cerebri. Illud autem præſtabunt primò frictiones aſperiores, & ligaturæ dolorificæ inferiorum partium, cucurbitulæ cum multa flamma coxis & regioni pubis, aut ſub vmbilico appoſitæ. Vulgares mulierculæ admouent ollas vel ſcutellas allio confricatas iiſdem partibus, non ſine fructu: vellunt pilos pudendorum & capitis, alta voce in-

clamant & increpant iſtas ægrotantes. Quòd ſi detur commoditas iniiciendi clyſteris carminantia & laxantia cum hyæra, aut ſuppoſitorij alicuius acrioris, nihil erit præſtantius ad vacuandos reuoluendóſque ſubitò iſtos vapores, qui deinde ſumptis & admotis erunt diſſipandi, vnde Auicennas exhibet aliquot grana piperis contuſa, cum pauco iuſculo. Nos guttas olei anyſi, vel guagatini cum aqua cordiali vel arthemiſiæ, aliquando parum theriacæ aut mithridatis. Inter practicantes pro ſecreto habentur ad fœdationem & præcautionem iſtius paroxyſmi ſequentes pilulæ. ℞. Caſtorei myrrhæ, & aſſæ fœtidæ añ. ℈ j. ſeminis rutæ & croci añ. grana 31. conficiantur cum pauca aqua matricariæ, vel ſyrupo de arthemiſia. Fiant pilulæ duodecim deauratæ, capiat vnam vel duas inſtante paroxyſmo, atque etiam tempore interualli, dum ibit cubitum, & ſuperbibat ſi voluerit parum aquæ imperialis. Interea confricentur nares cum eodem oleo guagatino, vel de iunipero, aut aſſa fœtida diſſoluta cum aceto: fiant ſuffitus ex plumis perdicum, capilli ægrotantis cornu quolibet accenſo ſulfure, vino, pannis detritis, ſoleis, & ipſo guagate combuſto allia cõfricata naribus afferantur, & ſimilia. Sub vmbilico applicetur emplaſtrum ſeronæum, vel ex galbano & aſſa fœtida confectum, quod ordinariè ferè poterunt, aut certè quando venturas acceſſiones ſuſpicabuntur: Deinde, vt irritetur facultas ad expellendum. Si valdè ſepulta videatur, procurari debet ſternutamentum, vt eſt aphor. 25. ſ. 5. ex puluere piperis longi, pyretri, aliquando ellebori aut emphorbij, ſi malum ingraueſcat. Quidam etiam

inſtel

inſtillant in aures aliquot guttas olei de ſpica, vel ſaliuæ, potiſſimùm cùm conuulſiones adſint. Quod ſi à retento ſemine iſta ſuffocatio pendere videatur, neque liceat huiuſmodi mulierculis virili concubitu gaudere, debent ita collocari in lecto vt ceruice & ſcapulis ſint accliuibus, coxis autem & inguinibus decliuibus. Deinde partes illarum genitales confricari, & tandem tractari blandè à perita quadam obſtetrice, quæ manum oleo muſcatellino, vel amygdalarum dulcium iunxerit: aut etiam immitti peſſarium ex mercuriali contrita, addẽdo parum pulueris hierę & cinnamomi: ſic enim eliciemus humorem iſtum ſpermaticum intus ferocientem, quo ſecreto ſtatim cædatur paroxyſmus. In aliis caſibus ſupponantur aliquot grana moſchi vel zybeta cum pauco cotone inuoluta & ligata. In pauperioribus ſufficiet puluis gariophyllorum nucis moſcatæ, & cinamomi ad vteri recreationem. Quòd ſi cordis vires ex pulſu deficiente nimium collabi videantur, ita vt ſit metus complicatæ ſyncopes, optimum erit illud irrorare, aut fouere optimo vino cum pauca aqua naphæ, vel imperiali diluto, admouere etiam pullos columbinos, vel gallinas per medium ſectas & puluere granorum hermes aſperſas. Aliquando cerebrum ita hîc oppreſſum eſt, vt apoplexia detineri videantur, vnde aliquando cogimur poſt varia remedia fruſtra exhibita externam cutem oleo fermento, vel ferro ignito adurere.

Mira eſt Hippocratis hiſtoria 5. Epid. de muliere quadam hyſterica, quæ cùm nullis remediis à paroxyſmo liberari poſſet, tandem coniectis ſupra illam

triginta aquæ frigidæ amphoris reſurrexit. Quæ curatio eſt accidentaria, & illi ſimilis quam proponit aph.21.ſ.5.de retano affectis, non niſi ſumma cautione adhibenda, & in naturis valde robuſtis, & valde calidis, quemadmodum ſi prægnans hyſterico ſtrangulatu detineatur, prudenter iſta omnia remedia vſurpanda, ne aborſus concilietur, ac proinde contentum eſſe oportet externis potiùs quàm internis remediis. Eſt etiam controuerſia inter authores noſtros, vtrùm mora paroxyſmi vinũ hyſtericis ſit exhibendum. Auicennas omnino prohibet, Hippocrates concedere videtur; etenim ſumma refrigeratio totius corporis, virium languor & ſpirituum refractio non videntur meliùs ſubleuari poſſe, quàm exhibito vino generoſo. Attamen quia hic affectus vt plurimùm retinet à retento ſemine, putrefacto ſanguine, & vaporibus tetris qui ab vtero eleuantur, ratione cauſarum non videtur exhibendum vinum, quia tenuitate ſua, & penetratione ſumma magis ac magis irritabit materiam illam intus deliteſcentem. Vnde communi experientia videmus mulieres hyſtericas ex vſu vini in ipſo paroxyſmo malè ſe habere. Iſta itaque diſcrepantia hoc modo componi poſſe videtur, vt vinum ordinariè non ſit exhibendum tempore paroxyſmi, ſed tantùm extraordinariè, quum ſcilicet ratione virium ſummè collapſarum, complicatæ ſyncopæ, vel inſtãtia mortis cogimur ad præſentaneum iſtud auxilium recurrere, iam omnibus aliis fruſtra tentatis. Atque hæc de paroxyſmi ſubleuatione ſufficiant. Quòd ad prophylaxim verò ſpectat quæ interualli tempore exerceri debet, vt acceſſionis redi

reditus impediatur, aut ſaltem retardetur, tota poſita eſt in cauſarum ſublatione, atque vteri corroboratione. Explorandæ igitur omnes cauſæ tam externæ, quàm internæ, quæ huic affectui originem vel incrementum dare potuerunt, vt illis ſublatis vel ſaltem concitatis melior concitetur mulieri hyſtericæ diſpoſitio. Diæta itaque in primis ritè inſtituenda pro vario corporis & affectus ſtatu, quod ex ſuperioribus facilè poteſt repeti. In genere tamen aër purus & lucidus in mediocritate qualitatum primarum poſitus, illis conueniet, exercitatio & vigilia moderata, animi tranquillitas & auerſio ab omni cogitatione rei iniucundæ, alui & vrinæ fluxibilitas concilietur, quia omnibus iſtis excrementis præter naturam retentis facilè exaſperatur hic affectus inter alimenta vt plurimùm dulcia ita illis ſunt inimica, vt vterus non ſolùm odoribus, ſed etiam saporibus commoueri videatur. Vtantur itaque extenuantibus, modicè attenuantibus & calfacientibus, vt vino rubro, item, & generoſo, aqua commodè temperato pro varia conſtitutione morbi, carnibus aſſis, pane bene cocto & fermentato, cui parum anyſi, aut ſeminis coriandri addi poteſt. Vtantur etiam incidentibus vt capparibus conditis, oliuis, fœniculo marino, menta, radicibus aperitiuis, & ſimilibus iuſculo coctis. In iis autem, quæ valde laſciuiunt ob ſeminis copiam, conſulatur vſus veneris, aut ſi propter vitæ conditionem eo frui non liceat, ieiunium & oratio imperetur, vnde multas huiuſmodi hiſtoricas ſolo pane, aqua, oleribus crudis, pomis, prunis,

&c. vtentes conualuiſſe certum eſt: quod tamen in ſenibus, aut cacochymia laborantibus pituitoſa, contrario modo accidit. Denique reliqua omnia ſtabiliuntur ex iudicio prudentis medici, donec de maioribus remediis erit cogitandum, cùm enim à ſemine retento, ſanguine menſtruo corrupto, & quauis inſigni cacochymia vteri hunc affectum ſæpius diximus exoriri poſſe, non eſt dubium quin etiam vacuando hîc competat tam per phlebotomiam, quàm purgationem, ſi vires, ætas conſentiant. Venæ ſectio igitur vſurpanda in iſtis mulierculis, non tantùm inferiorum partium ad eliciendos menſes: ſed etiam ex cubito, vbi plethora ſanguinea, aut alia quæuis tam ad vires, quàm ad vaſa in ipſius venis apparebit, vt natura partis humoris iſtius redundantis leuata, reliquum deinceps, meliùs ſuperare poſſit, vt & fluens ad vterum vel vaſa ſpermatica humor quodammodo reuellatur, fumique illi & vapores euentilentur. Ea tamen cautione, vt ſi ingens ſit cacochymia & vitium in humoribus, aut ſemine, tantum vt ad malignitatem quandam accedere, cautius agamus, præmiſſa conuenienti purgatione & præparatione: quia ſcimus iſtum affectum in talibus multùm exaſperari per venæ ſectionem, commota ſcilicet camarina & venenata materia, eductoque puriore ſanguine, qui vitioſorum humorum frænum eſſe ſolet. Vnde mirari ſubit eos qui ſcripſerunt etiam ipſo ſæuiente paroxyſmo, tentandam eſſe phlebotomiam, cùm ſit tunc ingens virium proſtratio & aliquando vitæ deſperatio, cum inſi-

gni

gni refrigeratione totius corporis, à malignis vaporibus cor & cerebrum infeſtantibus, qui nullo modo per venæ ſectionem excludi poſſunt, non eſt dubium, quin ex vſu illius, acceſſionis tempore ſummum immineat periculum, & magnam is iure merito incurret calumniam, qui tunc phlebotomiam exercuerit, ſi res malè ſuccedat; quoniam adeſt tempus interualli, quo celebrari poſſit, ſi neceſſaria videatur. Venæ ſectioni ſuccidaneæ erunt aliquando ſcarificationes, cucurbitulæ, hirudines, & ſimilia ſæpè commemorata. Purgatio autem cum præparatione dominantis cacochymiæ omnino iudicatur à primis humoribus quibus huiuſmodi mulierculæ ſcatere ſolent: vnde ſolemus eas vere & autumno apozematis noſtris laxantibus, aperientibus, pro varia cacochymiæ ſpecie expurgare, quod non omittere debent, ſi cupiant ab effectu iſto liberari. Aliis temporibus præſcribimus pilulas vel potiones purgantes, quibus bis vel ſemel in menſe humores iſti educantur. Gal. lib. 9. κατὰ τόπους frequenter exhibet hyſtericis agor. ℥j. cum vino albo quòd valdè vtile eſt remedium, ſi non ſint vomitui obnoxiæ, à quo maximè lædi ſolent, propter nimiam vteri, & partium inferiorum agitationem. Læduntur & ab omnibus purgantibus dulcioribus, quæ ideo erunt vitanda in præſenti affectu. Ad præparationem & terſionem iſtorum excrementorum, valdè commendatur vſus æquè thermalis ſulphureæ, qualis eſt noſtra Balarucana, ex cuius vſu, tam potu quàm balneo multas conualuiſſe certum eſt. Item vſus ligni ſalſaphras aut guaian. cum ſemine

fœniculi, rutæ, &c. per plures dies ſumptorum, cum leni quodam ſudore, valdè prodeſt ad digerendam iſtam materiam, & paulatim diſſipandam, dummodo per vices purgentur potione conuenienti, vt pilul. aggreg. Ad roborandum verò vſurpetur theriaca vetus mithridaticum, & aurea alexandrina, potiſſimùm hyemali tempore, quo maximè vexantur, & in conſtitutione & tempore multo calidiori permiſceantur quædam conſeruæ, vt capill. ven. nymph. & ſimiles quibus temperatior reddetur antidotus. Conducit etiam ventrem faſcia lata ſub vmbilico firmiter vincire, vt vterus minùs liberè concuti poſſit, & vapores iſti non poſſint tam facilè aſcendere ad ſuperiora. Denique eropacibus, & ſinapiſmis antiquior vteri intemperies corrigatur, & vt humores extrorſum attrahantur, fonticuli auribus admoueantur, quibus ſenſim & per epicraſim teter ille humor vteri elicietur, & vapores ad inferiora retrahentur. Solent etiam noſtratæ mulieres non infeliciter ad præcauendum hunc affectum geſtare perpetuò. fruſtum aſſæ fœtidæ linteo raro inuolutum ſupra regionem vmbilici. Alij laudant rad. peucedani geſtatam velut quoddam amuletum in hoc morbo. Matheolus verò radicem bryoniæ: eiuſque puluerem diu exhibitam mirè laudat & extollit. Quæ omnia in tam diuturno affectu experiri licebit. Atque hæc de vteri præfocatione ſufficiant, nunc ad particulares vteri morbos accedamus, expoſita methodo.

De

De inflammatione vteri.

CAPVT VII.

EXPLICVIMVS ſuperiori ſermone eos affectus qui peculiariter mulieres exercere ſolent, vel ratione proprij temperamenti: vel excrementorum, vt ſanguinis menſtrui & ſeminis præter naturam excrementorum aut retentorum. Iam ſupereſt vt ſecunda huius libri parte illos perluſtremus affectus qui vtero accidere poſſunt, quatenus eſt pars conſtituens corporis muliebris, ſuamque habet temperiem peculiarem, conformationem, & vnitatem. Videndum igitur qui ſint affectus ſimilares, vt intemperies & tumores præter naturam, qui organici & communes, quorum ratione vterus frequenter affligitur: & particularem qui ab eis quæ iam ſuperiùs tractata ſunt curationem expoſcunt. Quod ad intemperiem itaque ſpectat, cùm immateriales & ſimplices facilè intelligantur ex tractatione compoſitarum, & earum quæ cum affluxu humoris contingunt, inter quas tumores præter naturam primarium & maximè illuſtrem locum obtinent. Ideo agemus imprimis de inflammatione illius tam plegmonoſa quàm eryſipelaroſa, ſub quam calidè humida, calida & ſicca intemperies commodè reducentur. Poſtea de hydrope tam aquoſo, quàm flatuoſo vteri: mox de ſcirrho, & cancro eiuſdem: Sub quibus intemperies

frigidæ humidæque, frigidæ ac ſiccæ, commodè etiam explicabuntur. Deinde veniemus ad morbos organicos,qui vtero frequentiùs accidunt, vt pote procidentiam, ſubuerſionem,& omnem illius ſitum prᴉter naturam,ad clauſuram & diſtorſioné, eiuſque condylomata, verrucas, & rhagadas; denum ſolutiones continui, quæ illis contingunt ſub vlceribus & abſceſſibus cōplectemus. Quibus exiſtimamus nos ſufficienter omnes vteri morbos particulares, qui in vſum praxeos veniunt, explicare poſſe.Si quid autem illis deeſſe videatur,illud facilè ſupplebimus ſecundo libro,vbi de mulierum ſterilitate, & eius cauſis acturi ſumus: Ac proinde iã rem ipſam aggrediamur.

Phlogoſis,& Phlegmone ea ratione apud authores noſtros diſtinguuntur, vt illa quaſcunque inflãmationes,ſimplices etiam & immateriales complectatur, hæc verò coniũctas cum humore,eoque per ſyſtrophen collecto in ſpatiis & ſubſtantia partiũ, vnde exſurgunt tumores præter naturam cum caliditate inſigni,ſiue iſte humor ſit ſanguineus, vt in phlegmonoſa.ſiue bilioſus,vt in eryſipelatoſa, ſeu alteri permixt⁹,vnde œdematoſa &ſcirrhoſa phlegmone appellatur. Cùm igitur ſuper. cap. de furore vterino ſatis actum ſit,de caliditate & ſiccitate, ſeu phlogoſi matricis iam propoſitum eſt ſermonem hunc de illius phlegmone inſtituere, quæ nihil aliud eſt, quàm tumor præter naturam totius vteri vel partis alicuius præcipuæ,quibus conſtat cum inſigni caliditate,ob ſanguinem in illius ſubſtantiam & poros effuſum vbique putreſcentem.Diximus eſſe tumorem præter naturam, quia phlegmone diſtin-

diſtinguitur ab aliis omnibus inflammationibus, tùm eleuatione partis inſigni, & circumſcriptione quadã quæ debet reſpondere figuræ & magnitudini partis affectæ; tum etiam rubore, renixu, & dolore fixo, aliquando pulſatili, potiſſimùm quum tendit ad ſuppuratum: quæ omnia, aut pleraque in aliis inflammationibus adſunt, ſiue fiant à vapore tantùm ex aliis partibus communicatione, ſiue à ſanguine ex aliis partibus diffluente in vteri cauitate retento, aut quacunque alia materia inflammante. Notandum tamen hæc omnia illuſtriora multò & manifeſtiora eſſe in illa phlegmone quę totũ vteri corpus occupat, quàm in aliis, quæ illius tantùm collum aut ceruicem, vel partes laterales, vel contiguam, aut poſticam occupant. In quibus tamen imminuitur vis iſtius morbi, quantum minus eſt extenſionis in parte. Eſt tamen ſemper inſignis feruor ad eiuſmodi phlegmonen, vteri conſectarius ſi verè ſint & exquiſitè ſanguineæ, vel eryſipelatoſæ: aliàs vero vt in œdematoſis & ſcirrhoſis, parua eſt & ſubobſcura febris, quæ ferè medici ac ægrotantis ſenſum latet, vt ipſemet Galenus annotauit Comment. in 6. Epidem. In principio enim retunditur ſanguis, feruor à permixto humore, & putredo nonniſi ſenſim & paulatim introducitur, vt deinde in cura peculiariter explicabimus.

Quod ad cauſas autem iſtius affectus attinet, formalis tam à nobis per tumorem præter naturam expreſſa fuit materialis ſeu ſubiectiua, per vteri corpus, aut varias illius partes quæ tentari poſſunt phlegmone. Efficientes igitur & humorales

redu

reducendæ ſunt in ſenſum rerum naturalium, non naturalium, & præter naturam, quæcunque vel vterum debilitare & diſponere poſſunt, ad fluxiones iſtas ſuſcipiendas, quæ cauſæ ſunt antecedentes phlegmonam iſtarum, vel materiam in mulieribus generare & augere, quæ apta fit ad affectum committendum, vel denique vias aperire, & illam versùs vterum concitare valent, temperatum itaque fœminarum plethoricum ſanguinem aut bilioſum laxitas vteri naturalis, & viarum amplitudo, maximè diſponunt cauſas illas interiores ad affectum iſtum producendum, præcipuè cùm externa violentiora accedunt, quæ internam plethoram aut cacochymiam commouent, vt aër feruidior inflammando, frigiditas vehementior repellendo ad interiora, potiſſimùm ſi occurrat ſubitò & fluentibus aut iam fluere incipientibus: violenta etiam exercitatio idem poteſt, & quæcumque ſub illa comprehenduntur, vt coitus violentus, multus, & intempeſtiuus: compreſſio, vt ab onere, iſto caſu & ſimilibus, vel agitatio inſueta, qualis ab equo rudiore, aut à rheda fieri ſolet. Iſta enim omnia præcipitare poſſunt humores in vterum natura debiliorem, vel iam dolore aliquo aut calore infeſtatum: animi pathemata inſigniora, vt mœror, aut iracundia vehemens, hunc etiam affectum aliquando produxerunt: quibus adde aſſumpta omnia venena, aut venenata, ſummo calore & tenuitate prædita, quod de cantharidibus, non ſolùm veſicæ, ſed etiam vtero valdè infeſtis, authores noſtri annotarunt. Peſſaria etiam acriora ad concitandos menſes, vel expurgandas matricis

ſordes

ſordes diutiùs vſurpata, medicamenta etiam cathartica, aut alterantia, valentiora, qualia vt plurimùm ſolent miſeræ illæ mulierculæ vſurpare, quæ ob ſterilitatem varia conquirunt vndique à quibuſuis remedia; vnde ob illorum acrimoniam facilè in iſtam inflammationem præcipitantur. Idem dicas de alimentis quæcumque vehementiorem habent vim calefaciendi, attenuandi, & irritandi humores ad fluxionem, vt ſunt potus inſuetus vini generoſioris, aut Hippocratici, vſus aromatum, frixorum, acriorum, & ſimilium quæ vnuſquiſque facilè recenſere poterit. Iſtud autem frequentius contingit in mulieribus quibus excreta & retenta non bene procedunt ſecundùm naturam, vt enim retenta augent plethoram & cacochymiam, ſic etiam præter modum effuſa vias & ſpatia partium nimiùm laxant & diſtendunt, humoreſque versùs vterum adducunt. Notandum etiam cucurbitularum frequentem admotionem circa pubem aut hypogaſtrium, non eſſe ſatis tutam in mulieribus ſanguineis aut bilioſis, quia attrahunt violenter, atque etiam ſiſtunt humores circa regionem vteri, & huic morbo occaſionem præbent: ſic partus laborioſus, aborſus, contrectatio genitalium partium ab obſtetrice imperita, & geſtatio fœtus moleſta, potentiſſimæ ſunt cauſæ ad iſtum affectum producendum, vt eſt aphor. 43. ſ. 5. Quum verò ſanguis feruidior aut tenuior ob pondus vel compreſſionem ex grauidiore aut malè collocato fœtu attrahitur de vena caua in hypogaſtricas quæ vterum irrigant, nimia quantitate fit illius effuſio, non ſoùlm in vteri cauitatem, vnde aborſus: ſed

etiam

etiam in propriam illius ſubſtātiam, vnde phlegmone in grauidis. Atque hæc de illius cauſis. Nunc ad diagneſin.

Pars igitur affecta, affectus ſpecies, & cauſæ illius interiores ſunt dignoſcendæ. Quod ad partem affectam attinet, vterum affici & morbo idiopathico detineri demonſtrat perpetua illius afflictio cum dolore ac calore, versùs partem interiorem hypogaſtrij, vbi vterus inter veſicam & rectum inteſtinum continetur: quarum duarum partiū inflāmationes ob viciniam ſummam plurimùm difficultatis in dignotione afferre poſſunt, niſi cætera omnia accuratè conſiderentur: in inflāmatione enim vterina actiones illæ propriæ magis deprauantur, vtpote excretio conſueta ſanguinis menſtrui, qui vel omnino ſupprimitur, vel ſi diminutè fiat eſt decolor & anxioſa, vt loquitur Hippoc. nempe dolori & torminibus coniuncta: adde quòd liquores quidam putrentes & fœtidi ſolent per reſudationem ex phlegmonoſa illa vteri conſtitutione profluere, & genitalia irrigare. Quòd ſi quis interiora vuluæ ſpatia contempletur, inueniet oſculum illud interius eſſe occluſum, vel potiùs retractum cum duritie ac doloris ſenſu, & tota ceruix rubicunda, atque inflammata apparebit, cum venulis vndiquaque inſtar telæ aranearum, inquit Hipp. tumentibus. Quòd ſi totus vterus & illius fundum laboret, hæc omnia erunt vehementiora, vt dicebamus, quàm ſi vel ſola ceruix, vel eius tantùm partes laterales ſint inflammatæ, ex quarum etiam vario ſitu diſtinguendum erit quid potiſſimùm afficiatur; collo enim v. g. inflammato, calor & dolor versùs

ingui

inguina, & pudendum maximè extenduntur: ſi antica pars ſit tantùm affecta, veſicæ ſympathia maior apparet, ſin poſtica, recti inteſtini: vnde illorum functiones, nempe vrinæ & fœcum excretio, magis vel minùs violantur, & ipſe dolor versùs pubem, aut versùs lumbos magis pertingit, quàm ea pars quæ latere dextro aut ſiniſtro poſita eſt: tunc etiam omnia ſymptomata circa alterutrum inguen magis ſentiuntur, & femur κατ' ἴξιν poſitum quâdam grauitate inſolitâ & ſtupore afficitur, ipſe etiam vterus verſus eam partem retractus & quaſi conuerſus apparet quæ phlegmonem patitur, quia quantum vni accedit dimenſioni, tantum alteri dec. dat eſt neceſſe.

Speciem verò affectus oſtendunt multa, quę iſtas inflammationes internas comitari vel ſubſequi ſolent: calor enim, dolor, rubor, pulſus & renixus, quinque ſunt ſigna pathognomonice omnium phlegmonarum tam internarum quàm externarum. Internæ verò, ſi veræ aut eryſipelatoſæ, comitem habent ſtatim febrem aſſiduam, eamque ex genere ſynocharum, vt æſtimat Galenus, ob magna vaſa quæ ad vterum pertingunt, & cum vena caua facilè communicant, vel certè frequentiùs ſymptomaticam & lipyriam in quâ algentibus externis partibus, exæſtuant & vruntur interiora, horrorque perpetuus infeſtat ex Hippocrate, ob retroïtioné caloris natiui & perpetuam humorum commotionem verſus inferiora; tunc lingua nigricat & areſcit, vrget ſitis, vigiliæ, rhiptasmos & dyſouria; quod in hoc noſtro affectu valde conſpicitur, tum ob exquiſitum partis iſtius ſenſum & ſubſtãtiã

membra

membranoſam, tum etiam propter colligantiam & maximum quem habet cum reliquis noſtri corporis partibus conſenſum. Hinc autem exoriuntur in iſto affectu cardialgiæ, phrenitides, conuulſiones, Cephatalgiæ, anterioris præcipuè capitis partis, & circa radices oculorum, vrinæ & fæcum ſuppreſſio, dolor circa lumbos qui nephriticum aliquando repreſentat, cordis tremor & palpitatio cum ſudore diaphoretico, mammæ etiam, propter inſignem ſympathiam quam habent cum vtero, inflantur & dolent, immò etiam tanta aliquando dyſpnoea coniungitur propter communicatum errorem diaphragmati aut membranæ ſuccingenti, vt pleuritis eſſe videatur: Ac proinde phlegmone ſi principio præterlapſo ad augmentum peruenerit, vitata inſigni putrilagine quæ illam ſæpius occupare ſolet quando non diſſipatur, materia coniuncta, per diaphoreſin, tunc peruenit ad ſtatum in quo omnia ſymptomata multùm intenduntur, donec vel ſuppuratio, vel ſcirrhoſia ſeu induratio factæ fuerint. Ad vtramque autem remittitur quidem febris & dolor ſi puris generationem ſequitur illius effluxus cum vlcere interno, aut certè vomica quæ diſrumpenda proponitur: poſt ſcirrhoſin verò tumor & renitentia ſuper ſunt cum pondere & grauitate non ſolùm ipſius vteri, ſed etiam omnium partium circumiacẽtium, vt vix ægra commoueri poſſit, quæ omnia erunt diligenter animaduertenda, quia curandi & prædicendi rationem immutant. Cauſæ verò interiores harum diſpoſitionum inueſtigandæ erunt, tum ex ſtatu rerum externarum quibus vſa eſt Ægra, tum præſen-

tis

tis corporis &humorum conſtitutione, vt ſciamus vtrùm eiuſmodi inflammatio pendeat à vero ſanguine bilioſo, pituitoſo, vel melancholico: quod etiam detegunt ipſi affectus iam à nobis propoſiti. Superante autem ſanguine aut bile omnia ſunt vehementiora, ſoletq; color cutis, & oculorum candidum, rubore aut flauitie infectum, oſtendere quis iſtorum magis dominetur. Eryſipelatoſa enim quamuis ſit horrenda propter feruorem, patitur tamen facilè diaphoreſin: phlegmonoſa autem in ſuppuratum facilè conuertitur cum magno diſcrimine ægrotantiæ.

Quapropter aſſerere poſſumus affectum hunc ex totâ ſuâ ſpecie & naturâ valde periculoſum, præcipuè ſi veram vteri ſubſtantiam occupet. Hippocrates lib. de morbis mulierum, *paucæ, inquit, morbum iſtum effugiunt: Et aph. 30. & 43. ſect. 5. Si eryſipelas prægnanti acciderit, lethale*, quia vel ſuffocari oportet fœtum in vtero, propter inſignem illum calore, vnde ſubſequitur aborſus, cum vitæ periculo; vel matrem ipſam inediâ, & tot cruciatibus exhauſtum interire. Eſt etiam mos huius morbi malignus, propter putrilaginem illam interiorem quæ gangrænæ valde eſt obnoxia: motus etiam vehemens, ex naturâ inflammationis quæ actiuitate ſummâ prædita eſt, & facilè reliquas partes occupat. Vnde Galenus voluit in iſtis inflammationibus internis opus eſſe inſigni robore & conſtantiâ, deinde accuratâ remediorum vſurpatione in principio, vt fretum iſtud euadere poſſint antequam grauiſſima ſymptomata à nobis commemorata vrgeant. Vbi enim ſemel Cardialgiæ, ſingultus, tremores, con-

uulſiones, ſudores diaphoretici & ſimiles acciden-tium tempeſtates apparuerint, conclamatum eſt, & ſalus earum prope deſperata, vt plurimum enim pereunt circa finem augmenti, vi doloris, cùm materia tendit ad putrilaginem aut ſuppuratum. In quibus fit ſuppuratio, illæ quidem euadunt frequenter, ſed incidunt in vlcus ſordidum & diuturnum, à quo variè conflictatæ, tandem hecticæ vel hydropicæ euadunt: In quibus etiam ſcirrheſcit phlegmone, propter naturam materiæ vel impeditam tractationem: multa etiam mala patiuntur, & vt plurimum hydropem etiam vterinum incurrunt. Iam itaque de illius therapiâ cogitemus. Cùm itaque hic affectus ſit inflammatio ex affluxu materiæ ſanguineæ in vterum, habenda ratio cauſarum, tam externarum, quàm internarum, quæ hanc fluxionem concitarunt; tum etiam affectus ipſius, nempe inflammationis iam contractæ vel fientis in parte, & ſymptomatum, vt febris, doloris, & ſimilium quæ propter ſuam vehementiam aliquando curam ordinariam præuertere ſolent. In primis itaque ratione cauſarum externarum inſtituenda certa victus ratio quæ eas omnes ita diuidat, vt non ſolùm amplius nocere non poſſint, ſed etiam oppoſitæ ſint cauſis omnibus, quæ affectum iſtum augere vel fouere poſſunt:

Ideo aër hîc eligendus aut ita temperandus in domo Aegrotantis, vt nullo neque frigoris, neque caloris exceſſu: ex frigido enim impeditur diaphoreſis hîc tantopere exoptata: ex calido intenſo

tenſo inflamantur magis partes, & humores fluxionem concitantur. Sit etiam lux moderata in conclaui Aegrotantis, quia ex nimio fulgore reſoluuntur vires & ſpiritus: ex nimia caligine reuocantur humores ad interiora, & inducitur ſomnus profundior, qui in iſtis inflammationibus internis, præcipuè circa principium morbi, eſt arcendus, quia per illum humores & ſpiritus in interioribus remorantur. Paretur etiam cubile Aegrotantis, ita, vt neque durum ſit, neque valde calidum: durities enim dolenti parti ſolet eſſe valde incommoda: caliditas verò inflammationem auget. Subſternantur igitur culcitræ non quidem ex pluma confectæ, vel potius lana molliori: & ſi ardor inſignis ſentiatur, ſupponi etiam poterunt quædam refrigerantia pro varia anni tempeſtate. Nos frequenter vtimur coriis illis quæ vulgò Marroquina dicuntur, aut pannis *Camelot* dictis. Vitetur omnis motus & exercitatio, præcipuè interiorum partium & crurum. Solemus frictiones quaſdam & ligaturas in ſuperioribus partibus, vt brachiis, retractionis cauſa, exercere: ſed hoc cum cautelâ etiam fieri debet, poſt conuenienter ſcilicet vacuationes, & dum febris non eſt adeo intenſa. Idem dicas de animi pathemcitis, quæ omnia ſunt curioſè arcenda, ſummaq; tranquillitas, quantum fieri poterit, concilianda. Quòd ſi fœces non ſatis commodè vacuentur, ſollicitanda erit aluus molliter clyſteribus aut cibis ad illum affectum ac-

commodatis: & ægrotantes iſtæ ſæpius ad meiendum ſollicitantur, quia facilè in illis vrina ſupprimitur, per ſympathiam veſicæ, & retenta inflammationem augent. Cæterum victus, incipiente inflammatione, pertenuis eſſe debet: ita vt multi per triduum integrum, quod principium morbi cum latitudine vocatur, omnimodam mediam illis præſcribendam ſentiant, vt ſcilicet natura ſuo genio & quotidiano quaſi alimento defraudata, minus ſanguinis ſuppeditare poſſit ad fluxionem iſtam morboſam. Quod in aliis morbis acutis contrario modo præſcribitur ab Hippocrate in aphoriſmis. Habenda tamen ratio ſemper virium, ætatis, conſuetudinis, temporis & ſimilium: non enim corpora noſtra, præcipuè prægnantium mulierum, illas antiquorum abſtinentias ferre poſſunt. Nutriantur itaque tenuiter & meliore cibo, potu, quamdiu fluxio & inflammatio vrgent. Potus enim eſſe debet aqua fontis, vel decocta cum hordeo, eâque non actu frigida, ſed tepidiuſcula; ne impingat magis humores in iſtam partem, & reſolutionem impediat, aut etiam ſuppurationem. Quâ de cauſa pſicropoſiam formidamus in pleriſque inflammationibus internis; pleuritide & cæteris; quamuis ratione febris & doloris videretur expetanda. Vino arceantur omnino, niſi fortè ſub morbi declinatione tenue & Oligophorum concedatur, ad reliquias humorum per vrinas propellendas, & vires refouendas. Præſcribantur iuſcula pullorum conuenientibus herbis alterata, vt acetoſa, endiuiâ, lactucæ & boragine: panatellæ etiam illis confectæ, hordeata, amygdalata cum ſucco

granato

granatorum; pruna, pyra, poma cocta. Vbi iam deſinit & miteſcit inflammatio, largiore manu & cibis analepticis ſunt inſtaurandæ iſtæ ægrotantes, vt morbum omnino ſuperare poſſint. Atque hæc de diætâ.

Quod ad reliquam curationem ſpectat, perſequendæ ſunt indicationes iam propoſitæ. Cùm enim fluxio ſit ſanguinea, humoribus variis aliquando coniuncta proponitur. Illius reuulſio, deriuatio, & vacuatio, potiſſimùm venæ ſectione perficitur. Itaque poſt immiſſum molliorem & refrigerantem clyſterem, mittatur ſanguis ex venâ cubiti dextri Baſilicâ, quia coniectura eſt hoc in affectu maiorem feruentis humoris partem, ex hepate deriuari. Phlebotomia autem pro temperamento Aegrotantis bis aut ter celebrari poterit ad perfectam & reuulſionem & vacuationem humoris. Poſt venæ ſectionem reuulſoriam, laudat Galenus deriuatoriam, quæ fit apertâ poplitis venâ, aut malleoli; ſed quia per iſtas phlebotomias inferiorum partium, allicitur materia verſus vterum, vt experimur in prouocandis menſtruis, & vix celebrari poſſunt quin mulier commoueatur & erecta aliquandiu maneat: ideo melius eſt expectare donec impetus fluxionis ſit ſedatus per ſupradictam venæ ſectionem, frictiones, ligaturas ſuperiorum partium, & cucurbitulas ſcapulis, lumbis & dorſo admotas. Tunc enim, ſi ardor ingens in iſtis locis adhuc ſentiatur cum tenſione, tempeſtiuum erit iſtas ſanguinis miſſiones moliri, quæ luxuriantem circa propinqua vaſa humorem educant: in grauidis tamen abſtinendum omnino ab

iſtâ phlebotomiâ inferiorum partium, metu aborſus: poteſt tamen celebrari ex cubito per epicraſin, ſi temperamentum, vires & reliqua conſentiant: maius enim imminet periculum ex magnitudine inflammationis, quàm ex educto ſanguine qui erat porrio cauſæ morbificæ.

Quibus ita præmiſſis, ſi cacochymia dominans videatur, non erit inutile leuiorem purgationem & minimè conturbantem conſtituere, quæ excrementitios humores ex prima potiſſimum corporis regione educat, vt ex bolo caſſiæ cum pauco Rhabarbaro pulueriſato, catholicone, ſyrupo pallidarum roſarum cum infuſo Rhei aut Agarici, ex decocto Sennæ, & ſimilibus, pro varia cacochymiæ ſpecie. Vomitoriis autem agere in hoc caſu, quicquid dicat Auicenna, nunquam ſatis tutum videtur: nam, ſi blanda ſint illa vomitoria, nihil aut parum detrahere poterunt, ſi vehementiora, ex magna corporis & humorum conturbatione grauiorem ſemper noxam quàm emolumentum afferent.

Purgationi, propter inſignem febrem, ſtatim ſubnectenda erunt medicamenta præparantia & alterantia, vt iulepi refrigerantes, apozemata, emulſiones & ſimilia quæ ſæpius à nobis deſcripta: immò, ſi vigiliæ immenſæ & dolor & inquietudo ægrotantem, vt ſolet, vehementer afficiant, optimum & conſultiſſimum, illis maturè proſpicere: ſapienter enim à practicis noſtris eſt annotatum, iſtas mulierculas vt plurimum perire circa augmentum morbi, vi iſtorum ſymptomatum.

Illa

Illa igitur mitiganda diligenter, non ſolùm alterantibus vulgaribus, ſed etiam ſomniferis & narcoticis, quibus aliquam nanciſci poſſint à doloribus & vigiliis tranquillitatem, deinde ad ordinariam methodum erit redeundum.

Iam inclinante affectu, ſi adhuc excrementorum reliquiæ ſubeſſe videantur, iteranda erit purgatio & præparatio humorum. Rarò tamen in hoc affectu aperientibus & diureticis vtimur, metu nouæ fluxionis & prouocationis menſtruorum, quæ renouare poſſent iſtam inflammationem.

Quamuis igitur laudent authores noſtri in hoc affectu alui fluxum & vrinæ, quoties ſponte contingit, præcipuè poſt concoctiones: attamen, quia natura illud præſtat propriis inſtrumentis, nempe ſpirituum & caloris natiui beneficio, ideo nihil mali conciliare poteſt iſtis ægrotantibus, quod ex vſu calfacientium & attenuantium medicamentorum timemus(ſic, vix in febribus continuis vtimur ſudorificis, cùm tamen à natura in iis morbis plurimi excitentur ſudores) illis igitur meliùs eſt ſuperſedere, donec phlegmone omnino ſedata fuerit.

Annotant iterum hic practici noſtri, maximos errores in principio huius affectus committi, dum mulierculæ ipſæ ægrotantes & illis adſtantes exiſtimant dolores iſtos à flatu contingere, adhibentque & aſſumunt remedia multa calfacientia & digerentia ad illos diſcutiendos, vnde maximè ingraueſcit iſta phlegmone: ac proinde

Digitized by Google

oportet ſolertem Medicum, cognita primùm natura affectus, illa omnia reiicere, & aliam inſtituere medendi methodum quæ in generatione & curatione phlegmonarum iſtarum à Galeno præſcribitur, vt ſcilicet modicè repellentibus in principio & anodinis vtamur, dein reſoluentibus mixtis, aut ſolis, prout ſpes eſt maior diaphoreſeos vtemur: tandem ſuppurantibus, ſi materia putrefacta concoquatur & ad puris generationem tendit, ad quæ præſtanda, ſelectis potiùs remediis, quàm immenſa eorum multitudine, erit agendum.

Ad repellendum igitur in principio, & ferinum illum ardorem temperandum, inungatur regio pectinis, lumborum & laterum, prout inflammatio in hanc vel illam partem magis vergere videbitur, ex oleo roſaceo aut vnguento roſaceo, cerato Santalino aut albo cāphurato cui parum aceti immixtum fuerit. Foueantur ex decocto vel aqua roſarum, ſummitatum papaueris albi, ſolani, acetoſæ, plantaginis, & ſemperuiui, ex iiſdem fiant iniectiones in vterum per metrenchyten: comparentur peſſaria ex illarum foliis contuſis, quibus aliquando, ob doloris vehementiam, opij modicum cum vitellis ouorum, pauco croco & oleo roſaceo immiſceatur: vel etiam fiant peſſi ex philonio romano cum cotone: cataplaſma etiam paretur ex mica panis albiſſimi cum lacte cocta, cui parum olei roſacei, ſucci hyoſcyami aut ſolani, cum vitellis ouorum addatur. Iniectio ex lacte caprino recenter mulcto, cui aquæ roſaceæ modicum adiunctum fuerit, valde etiam prodeſt ad refrenandum iſtum dolorem & humorum feruorem

rem. Vbi iam iſta miteſcere incipient,tranſeundum erit ad reſoluentia modicè, & digerentia: vnde vnguentum reſumptiuum cum oleo chamæmelino & liliorum diſſolutum, decoctum ſeminis lini & fœnu græci, florum meliloti & roſarum :ad fotus vel inſeſſus & ſemicupia, ſi iam ſint alacriores, erit accommodatum; quibus, ne ſcirreſcat iſta materia, quædam emollientia, vt radix althæa, folia maluæ, parietariæ & brancæ vrſinæ adiungi poſſunt, donec perfecta reſolutio ſubſequuta fuerit. Quòd ſi natura, contrario inſtituto, ad ſuppuratum vergere videatur, iuuanda erit in hoc motu, quamuis non ſatis laudabili: ideo cataplaſma ex decocto ficuum cum farina tritici & pauco oxymelite erit maximè accommodatum, vel ex vnguento Dialthææ cum butyro, axungia gallinæ & pauco oleo liliorum. Poſt ſuppurationem factam, quæ omnia ſymptomata reddit mitiora, ſi natura ſuo iure non vtatur in diſruptione abſceſſus & puris vacuatione, iuuanda erit motu & concuſſione corporis ægrotantis, admotis cucurbitulis & frictionibus in inferiore parte, iniectionibus detergentibus & aperientibus; imò etiam cataplaſmate ſupra ſcripto cui addatur ſtercoris columbini modicum. Iam erumpente purulenta materia & facto vlcere, recurrendum erit ad propriam illius curationem, quam in ſequentibus proponemus. Idem dicas quando phlegmone iſta in ſcirrhoſam diſpoſitionem degenerat, ſi mulier fuerit grauida aut aborſum nuper paſſa, aut inſignem per vterum hæmorragiam, parciùs iſta omnia erunt vſurpanda & cum maiori cautione, erit tamen aliquid au-

dendum,ne videamur illarum ſalutem omnino neglexiſſe: ſæpè enim natura adiuta illud præſtat quod vix fuiſſemus auſi ſperare.

De hydrope vteri.

CAPVT VIII.

SVPERIORE capite tumores vteri præter naturam calidos explicuimus,iam de frigidis agendum,tam pituitoſis quàm melancholicis. Quoniam verò hydrops & inflatio vteri inter illos valde ſunt cõſpicui & memorabiles;ideo ſub eorum tractatione omnes alios qui à pituitâ pendent complectemur, quia eorum curatio facilè ad hanc reuocari poteſt. Hydrops igitur alius vniuerſalis, alius particularis: vniuerſalis rurſum vel talis dicitur ratione ſubiecti, quia ſcilicet totum corpus & præcipue exteriorem habitum occupat; vel ratione principij ſiue fontis illius à quo pendet facultas aimatopoietiqui, nempe hepatis, cuius imminuta & deprauata coctio, nihil aut parum deinceps laudabilis ſanguinis producit quo nutriri poſſint partes; eiſque tabeſcentibus, augetur in immenſum abdominis moles, flatu vel liquoribus diſtenta. Sic & particularis hydrops, vel ſolitarius eſt aliquando & per ſe ſubſiſtens, vt quando ex malâ concoctione membri alicuius, aut illius obſtructionibus, vitiatur proprium alimentum & res

crudeſcit

crudeſcit in ſerum, pituitam, aut flatum. Vnde apud Hippocratem memorantur hydropes pulmonum, capitis, vteri & ſimilium partium quadam cauitate præditarum, ſine vniuerſali noxa aliarum partium: Aliàs verò eiuſmodi particularis hydrops coniunctus eſt cum vniuerſali, vt quando ſenſim violatur hepatis ipſius temperies, aut quando per ſympathiam aliarum paulatim aſſicitur. Sic enim, inclinante calore natiuo, incipiunt apparere in extremis partibus, vt in cruribus & manibus, œdematoſæ quædam inflationes, vel etiam in internis partibus, in vtero debiliori, iam rudimenta iſtius peſſimæ ſanguificationis apparent.

Eſt igitur hydrops vteri, tumor præter naturam ex collectione pituitæ, ſeri, aut flatus intra illius cauitatem, aut propriam ſubſtantiam & membranas propter debilitatum calorem natiuum & malam proprij alimenti coctionem. Dicitur tumor præter naturam hic affectus, quia eſt magnitudo ſenſibiliter aucta, actiones lædens iſtius partis, quo reſpectu diſtinguitur ab imprægnatione: & quia illi complicata eſt inſignis intemperies cum ſolutione continui, ob diſtentionem & compreſſionem quæ ſequitur ad illam repletionem: fit autem iſta intemperies ſeu collectio, ex triplici materia, ſimplici vel compoſita, id eſt, ſola vel inuicem complicata, nimirum pituitæ frigidæ quidem & lentæ, quæ propriè hydropem anaſarcum dictum repræſentat, quando illa pituita œdematis inſtar imbuit propriam vteri ſubſtãtiam & mẽbranas, ſeri, id eſt liquorum ſiue aquoſi humoris implẽtis cauitatem vteri inſtar vtris, & ſic hydropẽ

aſciten

aſciten propriè repreſentat; vel etiam inter ipſas membranas aut veſiculas quaſdam poſiti vt ſentit Aëtius: denique flatus, qui in vtero collectus, illum tympani inſtar diſtendit, & hydropis tympanitis dicti ſpeciem refert; qui etiam aliquando, vt accidit inteſtinis in dolore colico, inter ſpacia propria & tunicas matricis continetur, eaſque diuellendo inſignem cruciatum excitat. Hic oritur dubitatio non contemnenda: Cùm enim dixerimus iſtos flatus aut ſerum, contineri in ſubſtantia, id eſt inter membranas ipſius vteri, vel in ipſius cauitate, dubitari poteſt quomodo iſta materia ibi coërceri poſſit, cùm illi pateat continuus effluxus per vteri oſculum & ceruicem ad exteriora, ita vt non videatur veriſimile ſerum aut flatus, qui perpetuò mouentur & fluunt niſi alieno termino contineantur, intra matricis clauſtra ita aperta, vt neque in vtre aut dolio perforato contineri poſſint. Hanc difficultatem agnouit Ætius, &, vt illam effugeret, voluit ſerum illud quod attollit vterum in hydropem aſciti ſimilem, non contineri in ipſo cauo vteri, diffluens, ſed intra veſiculas quaſdam quaſi folliculos coërcitum, qui excitati fuerint ex irrumpente eiuſmodi materia in vteri ſubſtantiam, eamque diſtendente & leuiter corrumpente, quemadmodum Hippocrates etiam voluit aliquando ad hydropem abdominis hydatidas quaſdam hepatis cõcurrere. Mercatus verò non, vt Ætius, exiſtimat illas veſiculas fieri ex propria ſubſtantia vteri membranoſa diſtenta, quia ſic iam putrefactus & quaſi corruptus eſſet vterus & ſemper vlceratus, ſed potiùs ex humore ipſo pituitoſo influente primùm circa

oſcula

oſcula ſiue extremitates vaſorum per quæ menſtrua purgantur, excitari quaſi pelliculam quandam, quæ oblinens interiorem vteri ſuperficiem, vt contingit in fœtus generatione, deinceps mucore iſto & liquoribus, ichoribus, quaſi ſuſpenſis, impleatur. Verùm non videtur tantopere laborandum in inueſtigando modo per quem retinetur iſtud ſerum aut flatus in vteri cauitate, quibus hydrops ille excitatur: Cùm enim rariſſimus ſit hic affectus, non dubito quin aliquando ita conſtringi & coarctari poſſit præter naturam interius illud oſculum vteri, vt iſti materiæ non pateat exitus: quemadmodum enim ſecundùm naturam exactè clauditur in prægnantibus, vt ne ſpecillo quidem, inquit Hippocrates, pateat ingreſſus in interiorem cauitatem: ſic etiã poſt tumores ſcirrhoſos circa inferiorem potiſſimùm illius partem, poſt phlegmonoſos per reſolutionem induratos, per illius contorſiones ſiue peruerſiones, certum eſt ita conſtringi illud oſculum, vt nihil facilè ex cauo foras effluere. Quod ſi contrectatum eiuſmodi orificium, patens & liberum appareat, ſignum erit aquam iſtam & ſerum, non in cauitate, ſed potiùs in ſubſtantia & inter ipſas tunicas poſitam eſſe. Nam, quod alicui dicunt à grumo ſanguinis obſtrui, poſt aborſum aut laborioſum partum ibi concreti, non placet etiam, quia eiuſmodi ſanguis grumoſus in aliqua parte contentus vel putreſcit breui tempore & inflammatur, vel congelatur quaſi amiſſo calore natiuo: ex vtroque accidente grauiſſima oriuntur ſymptomata, quæ non permittunt tam diuturnam moram ægrotanti, vt in generatione & duratione iſtius hydropis ſiue flatuoſi.

Reſp

Digitized by Google

tuoſi, ſiue aquoſi requiritur. Vltimò in definitione noſtra dicebamus, hydropem iſtum vteri fieri propter debilitatum calorem natiuum, ſiue ſit hoc in toto, ſiue in fonte humoris gratioſi & nectarei, nempe hepate, ſiue tantùm in ipſo vtero, ob malam illius coctionem, quando intemperie, vlcere, aut ſimilibus præter naturam affectibus proprium nutrimentum alterat, corrumpit, & loco veræ alimoniæ, in flatum, pituitam aut ſeroſitates conuertit: quod authores noſtri per ſynathriſmum & congeſtionem ſignificarunt. Cauſæ igitur iſtius affectus tam internæ, quàm externæ, ſunt ea omnia quæ calorem natiuum ita debilitare & infringere poſſunt, ſiue in toto, ſiue in hepate, aut ipſo vtero tantùm, vt deinceps bonæ coctioni ſtudere nequeat. In calore autem natiuo ſiue primigenio non ſolùm qualitates ſpectamus, ſed etiam ſubſtantiam cui innititur, nempe humidum & oleoſum & pingue radicale vocant, & ſpiritum inſitum à quo functiones omnes corporis noſtri exercentur. Quæcunque igitur, ſiue per ſbeſin, ſiue per maranſin iſta oppugnare valent, ſiue per ſe, ſiue per accidens, illa omnia hydropem accerſere poſſunt. In cenſu itaque rerum naturalium, valde erunt diſpoſitæ mulieres ad hunc morbum contrahendum, quæcunque temperamento humidiore frigidioreque præditæ ſunt, & habent vterum ferè ſemper ſcatentem humiditatibus: bilioſæ verò, dum propter caloris vehementioris potentiam abſumunt ſpiritus & humidi primigenij ſubſtantiam ante debitum

bitum ætatis decurſum, potiſſimùm ſi vtero ſint debiliori, & frequentioribus partubus defatigato.

Ex parte verò rerum non naturalium, ipſe aër multum hîc poteſt, frigidior quidem aut humidior, per ſe, feruentior quidem, per accidens, dum ſubſtantiam partium exhaurit. Frequenter etiam euadunt mulieres hydropicæ ex vtero, quando natationibus aut manſionibus in aqua frigidiori indulgent, vel balneo humectante & relaxante frequentiùs vtuntur. Ad idem multam vim habet immenſus aquæ, aceti, ſucci limonum, granatorum, & ſimilium, alimentorum etiam crudiorum, vt olerum, fructuum horæorum, piſcium, & iuſculorum diuturnior ac largior vſus, ſomnus etiam profundior poſt longas vigilias quæ corpus valde exagitarunt, vt contingit chorearum tempore, quia tunc violenter exercentur ſtatim poſt paſtum, deinde ingurgitant ſeſe potu aquæ frigidioris, & intempeſtiuè coguntur vigilare & dormire, cum variis animi pathematis. Sed inter alias cauſas procatarcticas generandi huius hydropis vterini, præcipua exiſtit vehemens & diuturna menſtruorum fluxio, per quam hepar valde refrigeratur & pabulum caloris natiui exhauritur, vel menſtruorum nimia ſuppreſſio, quã diutiùs perſeuerante, ſuffocantur calor natiuus præ multitudine humorum qui paulatim in vtero colliguntur. Idem dicas de quauis alia ex quacunque parte hæmorrhagia liberaliore, quæ ſi

ſi non tam ſubitò, attamen idem ſucceſſu temporis præſtare poteſt, atque etiam de vrinæ indebitâ retentione, aut alui inuſitata duritie, propter quàm refluunt materiæ in vterum & vicinas partes. His adiunge externa & fortuita, & res contra naturam, vt caſus, vulnera, partus laborioſos, frequentes aborſus, intemperies grauiores totius aut partium principum & coctioni dicatarum, ipſius vteri vlcera & quoſcumque tumores præter naturam. Nam vt ſcirrhoſus & œdematoſus refrigerando & obſtruendo id præſtant: ſic etiam eryſipelatoſus & phlegmonoſus, diſſipando humidi primigenij ſubſtantiam, tum etiam, ſi indurentur, conſpiſſando ductus & poros. Atque hæc de cauſis.

Partem affectã in hoc morbo nullus dubitat eſſe vterum in tumorem & diſtentionem præter naturam à materiâ ibi collecta eleuatum, ſed diſtinguendum eſt in primis, vtrùm primariò vel ſecundariò ibidem genita ſit hæc materia, quæ eſt continens illius cauſa, & vtrum illa contineatur in cauitate, vel membranarum ſpatiis quæ vterum conſtituunt. Quòd ad primùm igitur attinet, ſi quidem apparentes ſint notæ totius corporis malè affecti, vt per febres acutas vel diuturnas, per hæmorrhagias immoderatas, ſi ſint inſignes quærelæ ipſius capitis fluxionibus laborantis, ventriculi imbecillioris, lienis grandioris, & potiſſimum hepatis malè affecti ac valdè debilitati, cum quibus inceperit hic noſter affectus, cum illis augeatur, & miteſcat, tunc maxima erit coniectura ſympathiæ per communicationem materiæ, vterum ſcilicet non tam vitio ſuo, quàm partium rheumatiſmo ſuſcepiſſe cauſas

iſtas

iſtas præter naturam. Contrà verò, ſi iſta omnia abſint, & rectè, aut ſaltem mediocriter valente reliquo corpore iſte tumor acciderit, poſt particulares affectus ipſius vteri, vt laborioſos partus vel abortus, ſuppreſſiones menſium vel eorumdem nimias profuſiones, vlcera, tumores phlegmonoſos vel ſcirrhoſos; tunc non erit dubium quin particularis iſta diſpoſitio prima rudimenta iecerit illius hydropis in vtero per congeſtionem, deprauatâ, ſcilicet illius coctione, aut impeditâ ſuperfluæ humiditatis excretione, aut flatuoſæ ſubſtantiæ illic genitæ. Quòd ad ſecundum ſpectat, vtrùm ſcilicet illa materia pituitoſa, ſeroſa, aut flatuoſa poſita ſit intra vteri cauitatem, vel ipſius ſubſtantiam & membranas, ita deſtingui poſſe exiſtimo: quòd ſcilicet dum eſt in cauo, multò maiorem eleuationem ac tumorem facit in illâ regione hypogaſtrij quàm dum eſt inter membranas vteri, quia multò maius eſt ſpacium vbi contineatur: deinde, quod aliquam fluctuationem repræſentat dum eſt in cauitate, quando non eſt exactè diſtenta ſero, & minores infert cruciatus in illâ cauitate quàm dum eſt inter tunicas, vbi diuulſiones ſunt maiores & in parte magis ſenſibili, vt patet de dolore colico; deinde, quia, vt dicebamus, quando eiuſmodi flatus & ſerum continentur in cauo vteri, oportet adeſſe aliquas obſtructiones aut conſtrictiones orificij illius interioris, vt retineatur interiùs; quæ, ſi omnino abſint, vt contrectanti obſtetrici & chirurgo patebit, credibile erit materiam illam non in cauitate, ſed in ſpatiis tunicarum eſſe poſitam. Vbicumque igitur illa materia contineatur,

dignoſcendum rurſus vtrum ſit pituitoſa,ſeroſa, vel flatuoſa; quanquam nunquam ita ſint ſolitariæ, quin inuicem permiſceantur,vt in hydrope vniuerſali docetur.Quod ad pituitoſã ſpectat quæ ad anaſarcæ naturam magis accedit, mollem reddit & cõtactui digitorum cedentem non ſolùm vterum, ſed etiam vicinas omnes partes Hypogaſtrij,pubis,perinæi & lumborum, ſine vllo dolore aut diſtentione partis iſtius, quæ in dies magis ac magis flacceſcit, niſi conuenienti remediorũ vſu emendetur: Seroſa autem & flatuoſa inſignem faciunt eleuationẽ partis,ac renitentiam, potiſſimùm ſi in cauo retineantur,cum dolore aliquo, flatuoſa (quam ideo græci empneumatoſin vocant) quidem cum maiore pondere & fluctuatione;ſeroſa, cum illis,vt ſæpe aſcitẽ vniuerſalem repræſentet: percuſſa tamen iſta pars, ſi flatu ſit diſtenta, inſtar tympani reſonat, ſi ſero, inſtar vtris aqua aut alio liquore referti. Denique reſpiciendæ erunt cauſæ quæ ad iſtas materias producendas aptæ ſunt:etenim, ſi vera ſint quæ ab authoribus noſtris tradũtur,certum eſt à minori multò frigiditate excitari,quàm pituitam & ſerum;certum eſt etiam cauſas internas & externas, vt alimẽtorum varia genera & ſimilia quibus vſæ ſunt reſpondere,cui materiæ producendæ magis diſpoſitæ fuerint.Verùm,ſupereſt adhuc quomodo particularis iſte hydrops diſtingui poſſit à vera impregnatione quã ſæpe mẽtitur ab hydrope abdominis, qui aſcites & tympanites vocatur,atque ab aliis tumoribus qui in vtero fieri poſſunt. Quod ad imprægnationem ſpectat,ſi quidẽ ſanæ & vegetæ fuerint mulieres,fœcundo cõcubitu vtentes,quibus vterus ſen-

ſim

ſim in molem attollitur,cũ motu proprio & ſenſibili embryonis,nulla eſt dubitatio quin is affectus ſit ſecundum naturam,& vera grauiditas:ſed quoniam contingit mulieres malè ſanas & coloratas infinitiſque ſymptomatis vexatas, aliquando etiam impragnari, fit ſæpe,vt non ſolum muliercula & obſtetrices, ſed etiam Medici fallantur in diſtinguenda vera impraegnatione ab iſtis affectibus præter naturam, quando in vtriſque menſtrua per aliquod tempus ſupprimuntur : imò ipſe Aëtius putauit cum ipſo hydrope ,vteri ipſum conceptum accidere poſſe, quod tamen ego non exiſtimo eſſe admittendum de vero conceptu qui ad perfectionem fœtus peruenire poſſit, ſed tantùm ſeminis virilis quadam retentione per aliquod tempus, quia embryonem inter hos nouem menſes poſſe nutriri cõmodè & retineri in vtero cum tanta aquarũ illuuie aut flatuum copia,omnino eſt impoſſibile. Grauiditatem itaque verũ ab hydrope vteri in muliere incommoda valetudine vexata,ita diſtinguemus, primũ,quòd vera grauiditas non facit tumorẽ præter naturã ita æqualem vt iſte hydrops, ſed acuminatũ & quaſi faſtigioſum,cũ hydrops ſit extenſus vniformiter per vteri corpus:ſecundò quòd in grauiditate, poſt aliquot menſes meliùs ſe habere ſolẽt mulieres vt plurimũ,quia grandior fœtus iã abſumit maiorẽ partẽ humorum qui illi negotiũ faceſſebant, cũ per iſtos tumores præter naturã,quò diuturnior eſt progreſſus,eò magis ſymptomata intendantur & vires imminuãtur,deinde quòd in impraegnatione,motus infantis ſenſibiliter poſt tertium aut quartũ mẽſem percipitur,non ſolùm à grauida muliere, ſed etiam

ab obſtetrice & medico qui ventri manum diutiùs admouerit, iſque, non vt in ſola palpatione quam flatus etiam excitare poteſt, ſed oblongior & vniformis, ſub quo ſentitur maior renitentia quàm dum ſubeſt tantum flatus vel aqua. Terriò denique, quòd conſtitutio mammarum omnino alia eſt in grauidâ muliere quàm in eâ quæ iſtos vteri tumores patitur: etenim in grauida mammæ tumidiores, rotundiores, lacte prægnantes redduntur, quæ in iſtis affectibus flacceſcunt, omnino decolorantur, & omni ſucco ſaltem alibili deſtitutæ apparent. Hydrops verò vniuerſalis abdominis, ſiue aſcites, ſiue tympanites, ſic dignoſcetur ab iſto hydrope particulari matricis, tam flatuoſo quàm ſeroſo, ſi ſit ſolitarius, aliàs enim pereunt omnia ſigna diſtinctiua vtriuſque: quia humor iſte magis eſt poſitus in aqualiculo & fundo ventris, ſiue hypogaſtrio vbi eſt vterus ſitus, quàm in ſuperiore abdominis parte à qua potius incipit vniuerſalis hydrops; actiones totius ſanguificationis & nutritionis in corpore nõ apparẽt hîc ita læſæ vt in vniuerſali, nec tãtopere aut tam ſubitò decolorantur iſtæ mulierculæ, aut extenuatæ partibus ſuperioribus: ſitis illa & ariditas linguæ quæ ſequitur hydropem abdominis non ita vrget, & alia omnia ſymptomata ſunt valde mitiora. Quòd ſi hydrops iſte vteri ab aquoſo humore pendeat, ferè effluit huius aquæ quædam portio per vulnam, quâ irrigantur perpetuò genitalia: ſi à flatuoſo exiſtat, etiam per interualla quidam flatus quaſi ſtrependo, per vteri orificium: Denique non eſt tãta fluctuatio in aquoſo dum conuertuntur ad latera, neque renitentia in flatuoſo

flatuoſo per totum ventrem, vt in vniuerſali hydrope, quibus notis ab inuicem ſatis ſecernentur. Denique ab aliis tumoribus vteri diſtinguitur hydrops, tum à phlegmonoſo & eryſipelatoſo, quòd febris, dolor intenſus, & inflammatio partium genitatium abeſt: tũ ſcirrhoſo, cancroſo & ſimilibus, quòd non ſit ea durities quæ tangenti digito reſiſtat, ſed cedat potiùs & quaſi in foueam deprimatur: Habet enim ſuam propriam idæam quam ſolers medicus animo concipiens, non falletur circa particularem iſtam diagnoſin, dequâ ſatis ſuperque dictum ſit.

Quòd ad *prognoſin* verò, non eſt dubium quin iſte affectus ex totâ ſuâ ſpecie ſit valde pertimeſcendus, quia iſti particulares hydropes, vel denotãt ruinam integram functionum naturalium in mẽbris iſtis, quorum vſu vita diu carere nequit: vnde accerſunt vniuerſalem cachexiã & hydropem, vel certè oſtẽdunt iam conſenſum quendam partium principum, vt iecoris, lienis, ventriculi: propter quorum prauas concoctiones, incipit grauiter labefactari œconomia naturalis. *Qualis eſt vterus im muliere*, inquit Aetius, *tale eſt vt plurimùm reliquum corpus*. Vt igitur inflatio hæc vteri hydropiformis, velociora habet & vehementiora ſua incrementa, cum ſymptomatum magnâ ſyndrome, præcipuè ſi iuncta ſit pertinax menſium ſuppreſſio, aut hæmorrhagia inſignis, eò maiorem portendit noxam, quia virium robur illas deficit: quod in hoc morbo chronico & pertinaci requiritur.

Ad Curationem iam accedamus, in quâ eò breuiores erimus, quod eius therapia ferè ſimilis eſt illius quæ fuſè proponitur in curâ hydropis vni-

uerſalis. Si quid igitur magis eſt peculiare, præcipuè à nobis erit annotandum. Quod ad victus ergo rationem ſpectat, cùm poſitum ſit hunc affectum pẽdere ab intemperie frigidiore,& collectione materiæ pituitoſæ, ſeroſæ vel flatuoſæ, omnia calfaciẽtia & exſiccantia plus minùs, pro conditione humoris dominantis, tenuantia, aperientia, detergentia & reſoluentia erunt ex vſu iſtis ægrotãtibus. Interdicenda ſunt igitur alimẽta aquoſa, frigidiora,& quæ concoquendo negotiũ faceſſunt calori natiuo, ſomnus diuturnior arcendus, exercitandæ aut fricãdæ, conuenienter omnes aliæ vacuationes naturales ad curſum ordinarium reuocandę,& ab iniuria cœli frigidioria, pluuioſi & auſtrini, quantũ fieri poterit, prohibendæ: deinde de maioribus remediis cogitãdum, inter quæ, cũ phlebotomia & purgatio principatũ obtineãt, quæritur primò, vtrũ venæ ſectio iſtis mulierculis hydrope vterino laborantibus cõueniat. Partẽ affirmantem Paulus Aetius& Auicennas, quia exiſtimant pręcipuã huius affectus cauſam & magis ordinariã cœpiſſe à menſtruorũ ſuppreſſione. Quod quãuis illis concedamus, nõ eſt tamen ita generaliter pronunciãdum de vſu iſtius remedij in hoc affectu, in quo calor adeſt valde imminutus, obſtructiones pertinaces ab humore frigido, & metus hydropis vniuerſalis, ac proinde, ſi incipiente morbo, cõſtantibus viribus & ſuppreſſis menſtruis appareat in venoſo genere inſignis plenitudo, nõ denegabimus hoc auxiliũ iſtis ægrotãtibus, modò ex vena cubiti, ſi humorũ quãtitas illud manifeſtè expoſcat, modò ex venis crurum, ſi ex vtero ſit tantũ deriuandũ: In aliis caſibus meliùs eſt à phlebotomia omnino abſti-

nere

nere & vacuationi huius cacochymię incũbere potiſſimùm. Hoc autẽ fiet catharticis & phlemagogis & hydragogis frequẽter repetitis,& à nobis ſæpius commemoratis: Inter quæ, ſemen ebuli,ſoldanella, mechoacam,puluis radicis bryonię,ſuccus ireos noſtratis,elaterium;agaricus, Hiera Galeni & turbith principatum obtinent:ex quibus iunctis cum alterãtibus & præparantibus,attenuantibus ſcilicet, aperientibus,detergentibus & reſoluentibus,parari poterunt ſyrupi magiſtrales,Apozemata, opiatæ laxãtes,potiones catharticę,& ſimilia ex aliis locis repetenda:quibus adiungenda erunt roborantia,tabellæ ſcilicet aut pulueres cardiaci & hepatici,ad colligẽdas vires quæ hìc facilè dilabuntur. Et quemadmodum veris catharticis illa illuuies cauſæ antecedẽtis diligenter erit expurganda:ſic etiam illis adiungẽda erunt diuretica & menſes prouocantia,quæ conuenientes iſtas vias reſerare,& materiam in vtero cõtentam propellere & deriuare poſſint, necnõ ſudorifica erunt vſurpanda, quorũ caliditate & tenuitate reſoluatur maior pars huius humoris in vtero cõtenti & per ſudores ſenſibiliter vacuabitur. Quorũ omniũ exempla copioſè repeti poſſunt ex tractatu de fœdis mulierum coloribus. Neque ſolùm internis,ſed externis remediis eadem attenuãdi & reſoluẽdi facultate prędicis erit oppugnãdus hic affectus. Cucurbitulas laudãt practici circum & ſupra locum frequẽter admotas cum multa flamma. Itẽ fotus ex filtris quę bullierint in cineribus ſarmẽtorũ & lixiuio cũ pulegio,origano,foliis ebuli& ſemine fœnugręci, quę bene expreſſę& calẽtia applicẽtur antè & retrò,vt ſudet,ſi poſſit,in lecto,vel in ſtupha cõmodè

paratâ. In hydrope flatuoſo, fiat fotus iſtis ſiccis ex ſacculis calenti arenâ aut cineribus refertis, vel aliis rebus tenuantibus & reſoluētibus, in ſartagine frixis, & ſimiliter admotis, tegatur deinde locus emplaſtro de baccis lauri, vel de ſtercore caprino aut bouino cum ſemine cumini, dropace, vel ſinapiſmo: aut veſicatorio, vbi rebellior eſt affectus. Recentiores laudāt aquam ſtillatitiam Nicotianæ per octo aut decem dies ad ℥ iiij. cum pauco ſaccharo ſumptam: alij vinum album cum infuſione cinnamomi & limaturæ chalybis. Quæ omnia, tam purgantia, quàm tenuantia & incidentia, in vterum etiam, ſi fieri poſſit, per methrenchyten infundenda, aut in formam peſſarij adhibenda, poſt vniuerſales purgationes & præparationes. Si coniunctus inſignis dolor ſit huic morbo, commendat imprimis Amatus aquam vel decoctum florum chamæmeli pari quantitate ſumptum, balnea item ſulphurea & nitroſa à pleriſque in hoc affectu laudantur, tam potu, quàm fotu, modò inſignis feruor iecoris aut totius corporis non ſit illis coniunctus. Tutiſſimum etiam eſt in hoc affectu, potiſſimum humorali, fontanellas cruribus admouere, vt illa vteri ſentina paulatim exhauriatur. Hippocrates verò lib. de natura mulieris cōmēdat medicamentum quod ex cantharide & felle paratur: peplij ſuccum, quod hoc tempore non eſt vſitatum: reliqua facilè repeti poterunt ex tractatu vniuerſalis hydropis, vt diximus.

De

De Scirrho & Cancro vteri.

CAPVT IX.

A Tumoribus pituitoſis & mollibus, ad melancholicos & duros tranſeundum eſt, quos, breuitatis cauſa, vnico hoc capite complectemur. Eſt igitur propoſitus affectus, tumor vteri durus, ab exſiccatione nimia, vel melancholici & atrabilarij humoris ſynathriſmo pendens, quem grauitatis ſenſus & contractio inſignis comitantur. Dicimus eſſe tumorem vteri durum, quoniam in omnibus iſtis eleuationibus ſentitur manifeſta renitentia & durities, quæ, cùm à triplici cauſa fieri dicatur à Galeno, nimirum ſiccitate inſigni, repletione, & congelatione, hîc omnes iſtæ cauſæ concurrunt, aliquando ſolæ & ſimplices, aliquando coniunctæ, vt pote in ſcirrho vero, ex humoris melancholici cōgeſtione, adeſt propria & quaſi natiua humoris ſiccitas, propter quam, pars natura ſua exanguis & membranoſa, magis ac magis deſiccatur, adeſt inſignis repletio, vnde tumor ille cum grauitatis ſenſu & pondere: & quia, cùm pars affecta, tum ipſe humor ad frigidam vergunt intemperiē. Ideo materia illa concreſcit in illo loco & quaſi congelatur. In ſimplici verò ſcirrhoſi, quæ eſt durities quæcunque partis, ſiue ſcleroma, vt loquitur Ætius, adeſt aliquādo ſiccitas, propter reſolutionem tenuiorum partiū factam in aliis tumoribus pręter naturam qui degenerare poſſunt in ſcirrhū, vt phlegmonoſo & œde-

matoſo cũ repletione. Quemadmodũ ſi ipſius partis ſubſtantia, ſine vlla fluxione aut cógeſtione, ſit proprio ſuo humido defraudata, tunc durities illa pédet à ſimplici ſiccitate. In cancro autẽ repletio, & tumefactio inſignis, quaſi tuberoſa, duritiẽ illam præſtat. Vnde poſita eſt à nobis in noſtra definitione iſta diſtinctio cauſæ efficientis, nẽpe exſiccatio ſimplex, & cógeſtio humoris melãcholici vel atrabilarij, vt omnes tumorũ iſtorũ differentias cóplecti poſſemus. Diximus etiã eſſe tumorẽ vteri, nõ quòd totũ vteri corpus occupare ſoleat: quia humor iſte craſſus vix poſſet diſpergi per omnem ſubſtantiã vteri ſolidã & denſam. Sed quia iſte affectus vbicunque inſideat, ſiue fundo illius, vt dicebamus de phlegmone; ſiue lateribus, ſiue ceruici, perpetuò totius partis operationes ſenſibiliter lædit, addimus etiã in noſtra definitione, cum grauitatis, ſeu ponderis ſenſu & inſigni illius contractione: quia iſta duo accidentia comitantur ſemper duos iſtos affectus, grauitas quidẽ, quia materia hęc craſſa & terreſtris multum addit ponderis huic parti & circũiacentibus: vnde onus aliquod inſuetum perſentiunt, quãdo potiſſimũ tumores iſti incrementũ adepti ſunt: contractio verò; quia vbi pars iſta, vel tota, vel ſecundũ aliquã eius portionem exſiccata fuerit aut referta iſto humore, tantundem oportet vni decedere dimẽſioni longitudinis vel profunditatis, quantũ accedit latitudini eleuatæ vel diſtentæ, ita vt in huiuſmodi tumoribus perpetuò obſeruemus vterum retrahi & quaſi conuelli verſus illam partem quæ eſt tumore affecta. Omiſimus verò dolorem in hac noſtra definitione, quia hoc ſymptoma triſtis ſenſationis non competebat ſimpliciter omnibus ſub illã cóprehenſis: nam

in ſimplici exſiccatione per reſolutioné, in tumore phlegmonoſo vel œdématoſo indurato, in ſcirrhoſo etiã exquiſito,dolor nullus aut valde exiguus, qui facilè referri poteſt ad moleſtiam illam quæ ex grauitatis ſenſu percipitur: in ſcirrho autẽ non exquiſito,qui fit à permixtione leui alterius humoris cum melancholico, eſt quidẽ dolor aliquis, ſed non atrox aut ita moleſtus,qui ægro haud meritò negocium faceſſere debeat. Cõtrà in carcinomate & tumore quouis cancroſo,potiſſimũ vbi ſæuire & exaſperari incipit,vel hauſto incendio ab externis medicamentis,tãta eſt doloris aliquãdo ſæuitia & horrendus cruciatus, vt illi tanquã vrgẽtiori,omnibus aliis indicationibus relictis, cótinuò ſit proſpiciendum,ita vt hoc capite habeamus tria potiſſimũ ſpectanda, ſclirosin ſcilicet,quæ eſt induratio,vel partis,vel cuiuſcunq; humoris;ſcirrhum,qui eſt tumor à melancholico ſucco naturali,& cãcrum vteri qui fit ab atrabilario & maligno humore ibid.collecto.

Quæ ſint igitur cauſæ iſtorũ affectuũ imprimis eſt inquirendũ ſolita methodo. Quòd ad ſclirosin ſpectat,indurationẽ ſcilicet humoris phlegmonoſi aut œdemate ſi: certũ eſt illud cõtingere duplici errore, prętèr vitiũ partis & materiæ quæ aliquãdo craſſior & cõtumacior exiſtit. Primus error fit in principio cuiuſcunq; inflãmationis,propter vſum immodicũ refrigerantiũ,repellentiũ & aſtringẽtiũ:ex his enim cõculcatus humor & violẽter repreſſus,qui regredi amplius non poteſt:fit vt adhæreat magis in ipſam ſubſtantiam partis condenſatam : vnde illa durities ſcirrhoſa ſuccedit. Secundus error propter quem eiuſmodi ſclirosis contingit , fit in progreſſu & declinatione iſtorum tumorum , quando ſci-

licet vehementi aut diuturniore calfacientium & reſoluentium medicamentorum vſu,partes tenuiores ita ſubitò & violenter diſſipantur, vt nihil niſi fæx & craſſamentum quoddam remaneat, cuius diſcuſſio deinceps fieri nequit, ſed in calloſam & quaſi lapideam naturam degenerat. Quòd manifeſtiſſimè apparet in pituita nimium circa articulos exſiccata, quæ grandinis iſtar ibi concreſcit, & ſcirrhos albos ab authoribus noſtris vocatos conſtituit.Scirrhus autem propriè ſumptus ſiue exquiſitus & indolens, cùm ſit ſoboles humoris melancholici puri & naturalis in alicuius partis, vt vteri ſubſtantiam effuſi, ea omnia agnoſcit ad ſui generationem idonea, quæcunque materiam huic humori producendo aptam ſuppeditant, quæ illius expurgationem conuenientem impediunt, & partem ac vias fluxioni huic ſuſcipiendæ diſponunt. Spurius autem ſcirrhus & quidam dolori coniunctus,permixtas habet cauſas,quæ poſſunt huic materiæ melancholicæ portionem aliquam alterius humoris permiſcere, præcipuè ſanguinei, biliosi aut atrabilarij: nam quando pituita melancholiæ coniungitur, non facit differentiam ſaltem ſecundum doloris ſenſum, ſed colorem & partis conſiſtentiam variat. Ex parte igitur rerum naturalium, temperamentum melancholicum aut ſanguineum humores iam adurens,quale eſt fuſcarum & nigricantium, vel rubore ſaturato perfuſarum, inclinans ætas, circa quadrageſimum quintum annum, victus ratio laborioſa, vſus alimentorum craſſorum & dyſpepton, incontinentia, vt in malacia, & voracitas, vt in buliſmo, quibus ſunt valde obnoxiæ

aëris

aëris inclementiæ vehementiores & diuturnæ, vt ſiccitas æſtate præterita, mœrores aut metus diuturni, quales fuerunt his noſtris bellis ciuilibus, quibus vidimus etiam infinita morborum genera, vt ſcrophulas, olim inauditas in Galliam irrepſiſſe: ſed præcipuè retentio vacuationum ſolitarum, per quas recoctis quaſi humoribus & incraſſatis, facilè exiſtit generatio iſtorum humorum ſcirrhoſorum, tam ſimplicium, quàm compoſitorum in vtero, potiſſimùm ſi ab aliquâ cauſâ externâ, vt percuſſione, caſu, ictu, fuerit debilitatus: vel internâ, vt intemperie inſigni, obſtructionibus, vlceribus, aborſu, partu laborioſo, poſt quem non ſatis commodè expurgata fuerint lochia ſiue ſuperfluitates à fœtu collectæ: Denique hepar aut lien malè affecta, quæ vt plurimùm omnibus iſtis morbis humoralibus primam originem ſuppeditare ſolent. Hæc omnia aut pleraque ſi concurrant apta ad melancholici humoris ſimplicis vel compoſiti generationem, ſcirrhos producent in vtero & aliis partibus calore, dolore vel ſummâ debilitate affectis, prout variè contingit: ſin vero magis tendat ad productionem humoris atrabilarij ob intentiorem calorem, & quaſi aliorum humorum aduſtionem & incinerationem, fient carcinomata ſiue cancri in partibus non ſolùm externis, quod plerumque ſolet, ſed etiam internis, vt vtero, qui occulti ab hippocrate vocantur, præcipuè quando non ſunt vlcerati. Item iſta carcinomata & cancroſa vlcera facilè exoriuntur ex aliis tumoribus, vt phlegmonoſis, ſcrophuloſis, ſed potiſſimùm ſcirrhoſis, vel ob permixtionem alicuius ſucci acrioris, vel certè quando imperitâ medicatione

tione exaſperantur, vt ipſemet docuit Hippocrates. Videamus igitur quibus ſignis deprehendere poſſimus iſtiuſmodi affectus in vtero. Factã igitur ſclyroſin in vtero ex præcedente inflammatione ſimplici aut tumore phlegmonoſo oſtendent ea quæ prædictas primùm affectus præceſſiſſe ſignificant, vt ſuprà diſputauimus, & quod ceſsãtibus huiuſmodi inflammationibus pars neque leuior neque liberior reddita ſit, ſed grauior cum inſigni ponderis aut duritiei ſenſu, nec non contractior & quaſi anguſtior verſus illam partem vbi iſta exſiccatio & induratio potiſſimùm facta eſt. Quòd ſi ſit ſcirrhus à vera melancholiâ per fluxionem aut congeſtionem genitus præceſſerunt, vel adhuc ſunt ea omnia quæ iam à nobis fuere commemorata ad eius generationem neceſſaria. In principio incrementi illius, fluere poſſunt immoderatè mẽſtrua, ſed aquoſa, tenuia & quaſi tranſcolata relicto intus craſſamẽto & quaſi fæce ſanguinis: in progreſſu ſupprimũtur, cùm grauatur vterus cum circumiacentibus partibus, coarctatur plus minus pro ratione partis in quâ ſitus eſt: nam ſi in fundo hæreat, repræſentat quaſi molam carnoſam quæ in eo gigni ſolet, ſæpeque medicis atque ægrotantibus imponit, niſi diligenter alia conſiderentur: nam per ſcirrhum vteri, mulier attenuatur, mammæ gracileſcunt & lacte omnino deſtituuntur, neque, dum ſtat, prouoluitur ita tumor verſus os pubis, quemadmodum mola. Si in lateribus hæreat ſcirrhus, intumeſcit magis ea pars, & ad eam reliquæ quaſi contrahuntur, ſi in ceruico, obſtruit, & tactu atque etiam oculis deprehendi poteſt, vbi, neque dolorem inſignem,

gnem, nec, aut ſaltem effatu dignam, neque aliam moleſtiam, niſi fortè grauitatis, vt diximus, inferre ſolet, vt narrat Hippocrates libro 5. Epidemion de illa Gorgiæ vxore,in qua fuiſſe videtur coniuncta mola cum fœtu.

Carcinoma autem in vtero radices poſuiſſe,quod ad tumorem ſimpliciter & grauitatem ſpectat, eadem oſtendent, & in qua vteri parte,quæ de phlegmonoſis tumoribus & ſcirrho dicta fuerũt: At verò ſi viſum aut tactum conſulas, multùm diſcrepantia.Nam dum oculis cerni poteſt,apparet tumor inæqualis & tuberoſus ex liuido, vt plurimum nigricans,& venarum propaginibus, quaſi radicibus infeſtiſſimis adhęrens parti affectæ; ſi verò ſenſum tactus conſulas, hìc adeſt inſignis dolor quaſi acuũ per interualla pungentium; inſignis etiam grauitas & partis contractio moleſtior. Quæ omnia exacerbantur, ſi vlcerari incipiat,feruente ſcilicet, & dilatato humore iſto,qui eròdens tandem ſubſtantiã partis,eructat ſaniem quandam tenuem nigram vel fuluam & grauiter olentem,initio etiam aliquando ſanguinem, quando contingit vas aliquod grandius abradi, cui comes eſt febricula, inquietudo, nauſea,pudendorum ardor, & ſimilia, quibus malignitas peſſimi huius affectus deprehenditur.

Nam, vt ad Prognoſin veniamus, nullus eſt morbus qui maiorem afferat naturæ & medico curandi difficultatem, quam illi qui pendent à ſumma exſiccatione humoris melancholici & atrabilarij: quæ enim ſummè exſiccata ſunt, vt in ſcliroſi, vel propter ignauiorem humectantium, vim, vel quia calor natiuus in illis partibus

eſt

eſt pene exhauſtus, vix vmquam reſtitui poſſunt: quæ valde ſunt dura, vt ſcirrhi, ob humoris ſicci & frigidi dominium, non poteſt niſi emollientium & reſoluentium viribus quis oppugnare, ab emollientibus impendet metus putrilaginis malignæ, ab reſoluentibus & calfacientibus periculum eſt ne ferueant, & in atrabilarium ſuccum permutentur, vnde carcinomata, vel nimiùm exſiccata magis ac magis indurentur: adde quòd propter menſtruorum in hoc affectu ſuppreſſionem aut imminutionem, multa in corpore mala exoriuntur, à quibus tandem conſequitur hydrops vteri, vel abdominis, quando lien & hepar conſentiunt. Quòd ad cancros verò, ex Hippocrate aph. 38. ſect. 6. potiſſimùm occultos, propter ſummam illius humoris feritatem, melius eſt non curare, quia curati, id eſt, tentata eorum curatione, exaſperantur vt plurimùm, & citiùs pereunt ægrotantes, quàm non tractati ope medica, niſi in illis partibus ex quibus radicitus extirpari põſſunt. Quæ omnia nobis facient ad ſequentem therapiam.

Quod ad curationem igitur ſpectat, in primis inſtituendum regimen vitæ conueniens, quod dominio humoris melancholici vel atrabilarij aduerſetur. Abſtineant igitur ab iis omnibus quæ vel materiam vel adiumentum aliquod illius generationi præſtare poſſunt, qualia ſunt alimenta craſſi ſucci & viſcidi, itemque frigida & ſicca, vel etiam calidiora, ob exſiccationem quam inducant, vt pote panis ater & furfuraceus, carnes ſuillæ, bouinæ, caprinæ, leporinæ, anatum & reliquarum auium paluſtrium, piſces grandiores & cetacei glutinoſa carne

ne præditi, legumina, tubera, bulbi, caſeus acris & inueteratus, omnia ſalſa, piperata, frixa, &, inter oleracea, cæpe & braſſica, vinum merum, craſſum, nigrum, vetus aut fumoſum, muſtum, ſinapi & ſimilia, quæ capite de malancholia accuratiùs tractantur. Hoc, inquam, ſuppoſito, duos deinde ſcopos habere debemus: vnum ad materiam antecedentem quæ affectum auget vel fouet quantitate vel qualitate aut motu: deinde alium ad cauſam coniunctum, quæ cum ipſo morbo peculiariter eſt oppugnanda.

Quod ad primum itaque ſcopum, materia illa antecedens quantitate peccans, vacuatione indiget, quæ, ſi ſit permixta cum maſſa ſanguinaria, vt ex tumentibus nigricantibuſque venis ac totius corporis colore apparebit, non ſolùm purgantibus medicamentis, ſed etiam phlebotomia perficietur, tum ex vena vtriuſque cubiti mediana, quæ vtramque plethoram exhauriat, tum etiam ex venis popliteis & cruralibus, præcipuè quando ſuppreſſa ſunt menſtrua, vel hæmorrhoides & eo vergere videtur natura. Neque etiam contemnenda venæ ſectio ſaluatellæ, quæ inter minimum & annularem digitum excurrit, tum quia longiùs reuellit à parte affecta, tum etiam quòd minori virium diſpendio aperitur, eoque in educendo ſanguine audaciores & liberaliores erimus, quò ille ſanguis nigricantior & fœculentior apparebit, quia talia tunc educuntur, qualia oportet venæ ſectioni ſuccedanea, præſtabunt operam cucurbitulæ cum ſcarificatu variis partibus admotæ, hirudines & cauteria cruribus

impacta,vt fiant velut fonticuli ſuperuacaneorum humorum. Pharmaceutica verò erunt purgantia, alterantia tum manifeſtis,quàm occultis qualitatibus, & aperientia, ratione obſtructionum huic valde complicatarum. Purgantium itaque metanagogion claſſes hîc ſunt percurrendæ tum ſimplicium,quàm compoſitorum : vt ſcilicet in principio & ante præparationem humorum, benignioribus : poſt modum vehementioribus agamus, vt puluere lapidis lazubi & pilulis: antimonio infuſo, radice eſulæ, helleboriſmo & ſimilibus, dummodo vires & reliqua conſentiant: melius eſt tamen & tutius mediocribus frequenter repetitis illud per epicraſin præſtare, potiſſimùm in cancroſo tumore.Alterantia verò in ſcirrho ſyncero, erunt humectantia & modicè calfacientia, vel potiùs temperantia,vt humor iſte auſterus & rebellis, illorum benignitate paulatim ſuperetur, ſi ad atram bilem vergat, vt in ſcirrho impuro & carcinomate, etiam refrigerantia erunt ex vſu, ne materia illa ferociens grauiora inferat ſymptomata. Itaque ſyrupos ex ſucco boraginis & pomorum redolentium : decoctum lupulorum, cichorij, fumariæ & epithymi : ſerum lactis, balnea humectantia & variarum partium linimenta præſcribere ſolemus ad refrenandas illas intemperies. Sunt qui ex proprietate commendant ad cancroſas materias puluerem ſapphyri & ſmaragdi veri, ad grana tria, cum aqua ſcabioſæ, ſumptum per aliquot dies. Quod eodem modo dicunt de lapide noſtro Bezahardico. Aperientia verò & diſſoluentia humores iſtos in viis vteri collectos, poſt

conue

conuenientem purgationem, duo potiſſimùm recenſentur; nempe trochiſci ex viperina carne confecti: quorum ℥ j. exhibenda manè per totos quadraginta dies, iuſculo pulli, vel decocto cancrorum fluuiatilium in aqua boraginis facto. Aliud eſt ad aperiendum commendatum, chalybs ſcilicet ſæpe extinctus in aqua graminis aut vino albo oligophoro: vel eiuſdem limatura conuenienter præparata, vt habetur ſuperiori noſtra tractatione de fœdis mulierum coloribus. Atque hæc de primo ſcopo. Quod ad ſecundum ſcopum, qui cauſam coniunctam & ipſum morbum reſpicit, ad remollitionem & humectationem ſcleroſeos in vteri propria ſubſtantia, vel ab induratis aliis tumoribus contractæ, non eſt opus aliis remediis aut methodo, quàm in vero ſcirrho, de quo hîc eſt agẽdum. Durus igitur hic tumor emolliẽtia cum tenuitate partium, humoris craſſities, modicè calfacientia & digerẽtia expoſcit. Neque enim ſimpliciter emollientibus & humectantibus vtendũ, metu putredinis, neque ſimpliciter calfacientibus, attenuantibus, aut reſoluentibus, ne contracto incendio degeneret in atram bilem aut per nimiam diaphoreſin tenuiorum partium reliquæ magis exſiccentur & indurentur. Ideo conſulunt authores noſtri, vt iſtis remediis vel inuicem permixtis, aut quaſi alternatim vſurpatis agamus. In hoc igitur vterino ſcirrho, formulæ remediorum topicorum conſignari poterũt per fotus, inſeſſus, iniectiones, linimenta, emplaſtra, ſuffumigia & peſſaria prædictis viribus prędita, prout magis commodum videbitur, vt,

Acc. rad. alth hæ ę lilor. & fœn. añ. ℔ iiij. Mal. cũ toto

violariæ & Brancæ vrſin.an̄.M.iij.ſummitatum nepetæ & Artemiſ. an̄. M.j.ſemin. lini & fœnugræc. leuiter cōtuſ.an̄.℥ j.flor.Chamemel.melilot.geniſt. & maluar. an̄. M. ſ. fiat omnium decoctiò in aqua dulci vel iure capitis & inteſtinorum veruecis, aut in eodem decocto. diſſolue olei lilior. & hypericonis. an̄. ℥ iiij. vtatur pro ſemicupio, fotu, iniectione & ſimilibus. Ex cuius reſidentiâ contuſâ & cribratâ, addendo farinæ ſemin. lini ℥ ij. pulueris ireos florentiæ ʒ ij. croci ℈j. Butyri recent. aut pinguedinis Gallinæ ℥ j. Olei amygdalar. q. ſ. fiat cataplaſm. admouend. regioni lumb. & oſſis ſacri, quibus incumbit vterus. Quo remoto poſt aliquot horas,ne diuturniore morâ exſiccetur, apponi poterit emplaſtrum de mucilaginibus aut diachyl. ireati oleo lumbricorum diſſolutum: vel fiat ex gummi bdellio & ammoniaco liquatis cum pauco aceto aut vino albo. Exiſtimant foliâ & radices capparum in hydromelite ad putrilaginem decocta, tam in fotu quàm cataplaſmate maximam obtinere vim ad ſcirrhos iſtos perdomandos. Galenus in rebelli materiâ vtitur fumigio lapidis pyritis igniti & aæto acerrimo irrorati, vino albo, aut decocto maluarum & parietariæ. Recentiores lutum bituminoſum balneorum naturalium, qualia ſunt noſtra balerucana, valde commēdant ad molliendum & digerendum. Iſta autem omnia ſummo iudicio & prudentiâ erunt moderanda, ne, vt iam dictum eſt, aut magis induretur ſcirrhus, aut, quod multò peius,in cancrum degeneret: Quod omnes practici verentur ex inconſideratâ aut diuturniore auxiliorum adminiſtratione, à quâ, melius per interualla
deſiſtere

deſiſtere, vt eorum ſucceſſus appareat. Fruſtra enim pugnatur, quando ſcirrhus omnino indolens in lapideam naturam degenerauit. Ad cancri verò particularem curationem nihil habent authores noſtri præcipuum, quàm ſi ſecari aut aduri cum ſuis radicibus non poſſit, penitùs illius incrementum impedire ac ferocitatem compeſcere. Ac proinde in cancro non vlcerato omnia moliuntur, ne exulceretur: in exulceratione, ferociat & augeatur, ac in vtroque. doloris atrocitas temperetur. Impediunt igitur illius vlcerationem, quæ moderatè refrigerant & aſtringunt ſine vlla mordacitate; inter quæ, metallilica bene præparata principatum obtinent. vt, Acc. Olei myrtin. & roſacei añ. ℥ij. ſucci ſolan. aut ſemperuiui ℥ j. Agitentur omnia in mortario marmoreo ad ſolem cum piſtillo plumbeo, donec nigreſcant: Deinde adde litargyri & ceruſæ, aqua ſcabioſæ lotor. añ. ℨiij. Tuthiæ præpar. ℨ j. Caphuræ ℈ j. fiat linimentum quo inunguatur, ter aut quater in die. Deinde lauetur leuiter aceto roſaceo, ſero lactis, aut hydromelite, vel ſi dolor vrgeat, decocto maluarum & papaueris albi, lacte muliebri tepente & ſimilibus eadem iniici, in vterum poterunt, aut etiã aqua ſolani aut nymphææ diutius in mortario plumbeo agitata, aut decoctũ cancrorum fluuiatilium, quorum puluis prædicto vnguẽto addi poterit. Quidã pro ſecreto habent ad huiuſmodi cancros. Herbæ roberti vſum intus & extrà, alij ranas lotas decoctas & contuſas in formam cataplaſmatis, aut etiã fotu & iniectione adhibere. Vbi iam vlcerari incipit Cancer, melius eſt medico honeſtam fugam capeſcere, quàm in malo deplorato

oleum & operam perdere:niſi fortè ſymptomatum ſedandorum cauſſa expetatur. Atque de propoſitis affectibus.

De vteri procidentia.

CAPVT X.

NAtura vterum non modò toti per ligamenta communia, venas, arterias, nervos: ſed etiam per ligamenta propria, ne facilè in motibus violentis pendulus excideret, oſſibus alligauit: laxa tamen ſunt omnia conſtructa, vt dum operationibus ſuis incumbit vterus, vnà cum ipſo extendi, & ipſum ſequi citra dilacerationem poſſint. ne tamen nimiùm vltra naturalia ſitus limites extendatur vterus, ſæpe per totum ventrem oberrant, iſta ſatis firma & membranoſa contexuit natura,& partibus oſſeis vicinis alligauit; nihilominus tamen, non raro ipſe vterus contra naturam, ſitum naturalem prædictum mutat,nũc ſurſum, nunc ad latera conuulſus;modò ad inferiora præ laxitate ſæpe deciduus.De motu vteri ad ſuperiora, abundè ſatis colligere eſt ex capite de ſuffocatione hyſterica.De reclinatione autem illius ad latera, tractatu de tumoribus præter naturam quibus aliquando afficitur, & ex preſenti tractatu facilè cognitio illius & curatio haberi poterit. Eſt igitur propoſitus affectus, diſpoſitio præter naturam vteri organica,quando ſecundùm ſuum ſitum & connexum vitiatus deſcendit plus minùs ad inferiora,propter ligamentorum relaxationem aut eorundem diſruptionem. Dicimus eſſe diſpoſitionem vteri præter naturã organicam in ſitu & connexu,

vt diſtinguam⁹ ab eo motu naturali, quo refert Ariſtoteles lib.1.de hiſto.animal.deferri vterum verſus oſculum pudendi,appetitu coeundi vel prolectandi ſeminis virilis,quia ille deſcēſus,vel conceſſo coitu, aut peracto, poſt eiaculationem ſeminis, ſponte ſua ſedatur. Eſt autem morbus organicus in ſitu & connexu,non diſſimilis herniæ inteſtinali, aut ani procidentiæ: quia ſedes naturalis vteri eſt intra abdominis inferiorem partem ſub oſſe pubis,inter inteſtinum rectum & veſicam: ibique manere debet,vt functiones ſuas rectè obire poſſit, putà menſtruorum expurgationem, ſeminis eiaculationem, conceptum & pueri vſque ad debitum tempus geſtationem: ideoque à natura in illo loco validiſſimis ligamentis præter vaſa illa,neruos ſcilicet,venas & arterias, quibus principibus partibus connectitur, fuit firmatus & annexus, quò opus ſuum ſpeciei propagationi neceſſarium commodè poſſit peragere. Vbi igitur iſte connexus violatur, quia grauitate ſua naturaliter ad inferiora deuoluitur,vt reliquæ omnes corporis noſtri partes,ibidē varias paris procidētiæ differētias ſentiat.Quod in noſtra definitione intelleximus per illud,plus minùs:aliquando enim ſola ceruix interior prouoluitur in vuluā: aliàs totum quidem corpus & fundum illius procidit, ſed non prominet extra concauum vuluæ, ſed in ea apparet velut glans virilis rubēs cū ſuo foramine, aut anſeris ouum perforatū:quod eſt interius matricis orificiū:aliàs deniq; tāta eſt illius præcipitatio,vt fundo etiam inuerſo deuoluatur ad femora vſque,& propendeat inſtar virilis ſcroti rugoſa matrix,aut ouo ſtruthiocameli ſimilis,cum aſperitate.

Diximus itaque in definitione noſtra ſitum & connexum vitiari, quoties ligamenta quibus vterus firmatur, præter naturam afficiuntur. Vincula iſta ſunt primò membrana omnibus ventris inferioris partibus communis à peritonæo orta, omnium cra ſſima & robuſtiſſima, deinde tendines ſeu ligamenta duo admodum laxa, quæ à lateribus apophyſeon orta & oſſi pubis annexus, deinde ad inguina vſque excurrunt. Vbi igitur iſtorum vinculorum conſtitutio naturalis vitiata fuerit, ita vt vterum in proprio ſuo loco continere nequeant, tunc affectus iſte maximè moleſtus & turpis contingit. Oportet autem iſta ligamenta idem pati quod videmus in rebus externis contingere: tunc enim res inter ſe colligatę diſſoluuntur, quãdo huiuſmodi vincula vel ſunt diſrupta vel diſſoluta & elongata, propter ſummam molliciem & humectationem. Ergo duæ erunt cauſæ immediatæ huius affectus, quarum vna diſruptio, ſeu ſolutio continui manifeſta dicetur, altera, relaxatio ſeu reuulſio ligamentorum vteri. Oportet autem illam reuulſionem ſeu relaxationem & ruptionem contingere vtique ligamento antagoniſtæ & ipſi peritonæi tunicæ, ſcilicet vt prolapſus iſte vteri fiat ad interiora, quia ſaluo vno & incolumi vterus adhuc ab eo retentus non poſſet præcipitari deorſum, ſed tantum ad latus. Alterutrum reclinari, vt conſideranti patet.

Quæ igitur rurſum ſint cauſæ iſtarum duarum diſpoſitionum præternaturam in vtero & ligamentis propriis, eſt inueniendum, vt conuenientior deinde therapia inſtituatur. Quod ad ruptionem ſpectat, quæ eſt ſpecies ſolutæ vnitatis, quaſi apoſ-

paſma

paſma quoddam, omnia vehementer commouentia & concutientia, vel diſſecantia id præſtare poſſunt: vnde ictus, caſus ex alto, ſaltus, oneris ſubleuatio vel geſtatio, compreſſio abdominis violenta, curſus in decliui loco, tuſsis vehemens & diuturnior, ſternutatio violenta in puerperio, aut poſt, reſpirationis & ſpiritus diuturna cohibitio vt aliquid per inferiora expellatur, compulſo diaphragmate & muſculis abdominis: vehementer, vt fit in deiectione laborioſa, aluo dura, teneſmo, geſtatione moleſta multorum fœtuum, & etiam difficili partu, auulſio violentia fœtus aut ſecũdinarum ab obſtetrice imperita vel audaciori, vehemens conatus vteri ad expellendum aliquid ſibi moleſtum, vt demortuo fœtu, mola aut materia aliqua præternaturam, tunc enim idem contingit vtero, ex Galeni ſententia li. 3. de facultatibus, quod duobus athletis, qui cum ſe ſe mutuò deiicere conantur, vterque in terram prolabitur, frequens cucurbitularum admotio fœmoribus, maiorum ſcilicet, & cum multa flamma, violenter attrahere vterum ad inferiora in debilioribus potiſſimùm mulierculis & in quibus, ob frequentes partus vel aborſus, membra iſta iampridem infirmiora fuerunt reddita, nauigatio periculoſa, agitando; imò animi pathemata, aliquando iſtud præſtitiſſe animaduerſum eſt, vt vehemens ira & terror: multæ enim ex repentino & malo nuncio ita conturbatæ fuerunt, vt compulſis violenter ad inferiora ſpiritibus, ipſum etiam vterum, diuulſis ligamentis excuſſerint.

Relaxatio verò ſeu elongatio prædictorum ligamentorum, quæ eſt altera deſcenſus vteri cauſa, à

multis etiam produci &augeri poteſt tam externis, quàm internis cauſis: temperamentum enim pituitoſum valde, & cruditatibus obnoxium, cuius impuritates per vteri vaſa tanquam ſentinam ordinariè vacuantur: in fluore albo vix euitari poteſt hoc periculum; vt etiam quæ magnis obnoxia ſunt catarrhis, quorum portio defertur ad hypogaſtrium, & partes illas copioſè irrigat: Quod in vetulis plerumque contingit, aut illis, quæ ob vitæ rationem perpetuò in balneis, flumine, aut aqua frigidiore quoquomodo diutiùs degunt. Sæpiſſimè poſt partum, niſi ſedulò protegatur vterus ab ingreſſu externi aëris humidioris & auſtrini, aut ſi regionem paluſtrem accolant, contingere ſolet hic affectus, quemadmodum ex humidioribus alimẽtis, largiore potu, medicamẽtis emolliẽtibus tam ſumptis, quàm admotis diuturniore tẽpore, ſuppreſſione menſium longam, aut alterius vacuationis conſuetæ, vt ſæpe obſeruauimus in fontanellis ſeu cauteriis ſubitò occluſis, otio, gaudio, ſomno prolixiore: ab iſtis enim omnibus commouẽtur, vel generantur cauſſæ illæ interiores tam antecedentes, quàm coniunctæ; nempe humores ſeroſi aut pituitoſi quibus iſtæ partes copioſiùs irrigantur, vt quaſi particularis in vtero paralyſis & effœminatio contingat. Eſt etiam aliquando hęc elongatio, ſeu mollities vteri & ligamentorũ dependẽs à putredinoſa illius conſtitutione, quã pręgreſſę diſpoſitiones, vt inflãmationes, tumores pręternaturam, vlcera, & ſimilia induxerunt, ſed rariùs & cuius pene eſt curatio deplorata. Vnde non immorabimur diutiùs in deſcribenda illius eſſentia & cauſſis iam ſatis ex ſuperioribus notis.

Quare

Quare ad diagnoſin accedamus. Signa in hoc affe-ctu tam partis affectæ, quàm cauſarum ex ſolita methodo innoteſcent: nam ipſe affectus, nempe motus vteri ſitus, cognoſcitur ex ſenſibili mutatione, quæ contingit extra illius locum naturalem, vt dicebamus. Si ceruix ſola procidat, apparebit extra vuluam, vel etiam intra, exiguus tumor quaſi extenſæ pellis & conuolutæ, ſine magna moleſtia. Quòd ſi ipſum corpus decidat: apparet velut ouum anſeris aut ſtruthiocameli, vt dicebamus, in cuius ima parte apparet foramen, quod eſt interius vteri orificium, ita depreſſum verſus ipſam ceruicem, per quod etiam effunduntur menſtruæ purgationes in iſtis mulierculis ſuo tempore. Hoc autem foramen perit, quando tota matrix inuerſa ab ipſo fundo, velut ſcrotum pendet extra vuluam, ſed ipſa ceruix tunc ſuperior ſupremam partem quodammodo coarctat, inſtar cucurbitularum illarum, quas viatores circumgeſtare ſolent. In principio affectus, inſignis eſt dolor circa pubem, inguina & lumbos, ob auulſa huiuſmodi ligamenta & peritonæum: aliquando etiam cõuulſio, febris, & hæmorrhagia, propter diſrupta vaſa aliquot, putà neruos, venas & arterias quibus adhæret vterus. Vbi autẽ iam eſt aſſuetus, miteſcũt iſta omnia, & ſola ponderis vel obſtructionis moleſtia torquentur, ita vt difficulter ambulẽt, vt aliquando ad cõpreſſionẽ fœces & vrina ſupprimãtur. Vtrũ verò à relaxatione ligamẽtorũ & peritonæi, vel eorumdẽ ruptione illud cõtingat, ita erit diſtinguendũ. Primò ex generationis modo, quia in relaxatione, paulatim & longo tempore contingit

iſta

iſta procidentia, ſenſimque augetur, niſi illi com- mode proſpectum fuerit, donec totus ſimul vterus foras exiliat. In ruptione verò ſubitò & confertim contingere ſolet, magno cum dolore & vehementioribus ſymptomatis iam commemoratis. Secundo, quòd cauſæ violentæ diſrumpentes & diuellentes in corpore bene habito & ſine vlla huius morbi ſuſpicione producunt iſtam procidentiam vteri per ruptionem, vt contingit in hernia inteſtinorum: eam verò quæ fit à relaxatione, præcedunt corporis totius, vel ipſius vteri conſtitutio humidior & mollior: laxitas in prædictis partibus ſumma apparet, tandemque reſolutis aut delongatis eiuſmodi partibus, voluitur vterus ad exteriora, perpetuoque quaſi humore & ichoribus madet, ſi fiat à ſimplici humore: ſin verò ob putredinem & corruptelam, effluit quædam virulentia aut ſanies, cum fœtore, atque ſæpius febricula quadam & omnium rerum faſtidio detinentur,

Quòd ad prognoſin verò; hic affectus ex ſua ſpecie non eſt lethalis, acutus, vel periculoſus: ſed chronicus & valde moleſtus, quia & deambulationem, & venereum opus, & conceptionem, commodamque menſtruorum effluxionem impedit: aliquando tamen, vt de primo dicebamus, ob concomitantia ſymptomata, dolorem, febrem, conuulſionem & hæmorrhagiam, ſubitò necem inferre poteſt, præcipue in puerperiis. Periculoſior & curatu difficilior qui fit à ruptione quàm ab elongatione, niſi adſit putredo: item moleſtior in quo inuertitur fundum, ob ſummam vteri inferioris refrigerationem, quàm dum manet conglobatus: in ſenibus, & vbi

& vbi inueterauit, quemadmodum inteſtinalis hernia, nunquam curatur: in iuuenibus autem, non ſine difficultate; aliquando, ex imperita contrectatione, violenta repulſione ad interiora, aut ambientis frigiditate, fit vt gangræna procidentem vterum occupet, quæ metu maioris periculi, exciſionem expoſcit. Atque hæc de prognoſi.

Iam igitur curationem iſtius affectus fœdiſſimi & mulierculis moleſtiſſimi, quantùm erit poſſibile moliamur. Prima igitur & principalis indicatio petatur à cauſa affectus, quæ, ſi ſit relaxatio ex humiditate, exſiccantia, aſtringentia & roborantia, vſurpanda eſſe ſuadebit: Si ex ruptione agglutinantia, ſarcotica & epulotica, vt in ramice inteſtinorum. Secunda petatur à ſpecie ſeu natura ipſius affectus, quæ, cùm poſita ſit in malo ſitu & connexu partium, imprimis reponendum eſſe ſuadet vterum in ſuum locum naturalem, & vicinis partibus quaſi reſtituendum: mox ibidem retinendum & coërcendũ, ne rurſum prolabatur. Tertia denique indicatio petetur à ſymptomatis & morbis cõcomitantibus hunc affectum, dolore videlicet, febre, conuulſione, hæmorrhagia, vlceribus, gangręna, & ſimilibus, quæ mitiganda & remouenda erũt, quantùm fieri poterit, relicta aliquando curâ principali, vt loquuntur: cuius cùm ſæpe ſublata ſit ſpes, proponitur conſeruatio vteri prolapſi, ne vitium contrahat, aut tandem ſphacoliſmum, quo graſſante in hanc partem, vſurpanda poëtæ ſententia, ſcilicet enſe reſecandum, aut igne abſumendum illud quod putrefactum eſt, & aliquando totus

vterus

vterus exſcindẽdus,ne pars ſyncera trahatur,& mulieri internecionem afferat. Quod caſtratores iſti vulgariter in canibus,porcis,& aliis animalibus, ſine vllo eorum periculo, quotidie exercent, & in mulieribus ſimiliter tutò fieri poſſe, vbi prociderit omninò & putruerit vterus,veriſimile exiſtit.

Incipiamus itaque à prima indicatione, quæ diætam in hoc morbo conuenientem præſcribi ſuadet, potiſsimùm quando ab humiditate & relaxatione proficiſcitur. Sic aër ſponte aut arte comparetur calidior, ſiccior: vitent balnea & omnem pedum aliarumque partium lotionem, neque degant in regione aut domo vliginoſa, paludibus aut flumini vicina: Corpore & animo ſint quieto: omnem moleſtiam, terrorem, iram, vociferationem, tuſsim, & maximè ſternutationem, quantùm fieri poterit, ſupinæque in lecto, obleuatis cruribus iaceant: ventre ſint molli, ne ex ſiccioribus excrementis comprimatur vterus, &, dum laborant in deiectione, foras denuò protrudatur, non tamen laxo & nimiùm profluente, quia ſic magis rigarentur iſta ligamenta & humectarentur. Cibo vtantur potuque calfaciente, exſiccante & modicè adſtringente: parcè igitur bibant ex vino rubro & generoſo, aqua fontis, vel in qua ſemen coriandri bullierit, lymphato: abſtineant à iuſculis, oleribus, fructibus horæis, leguminibus, piſcibus, lacticiniis, & ſimilibus humidis & flatum generantibus. Carnes ſint aſſæ potiùs quàm elixæ: panis biſcoctus & aniſatus & ſimilia, niſi quid obſtiterit, vt infirmitas virium, vel alterius morbi vrgentioris complicatio. His ita conſtitutis, cogitandum erit de repoſitione

vteri quàm plurimùm fieri poterit , ne ab aëris externi contactu alteretur , vel ex compreſsione inflammetur & intumeſcat , ac proinde , immiſſo priùs leui clyſtere aut verminante ſi flatuum copia adfuerit , & aluo aſtricta atque vrina excreta, ſiquidem lotium diutius in veſica moratum fuerit collocanda , ita erit ægra vt in lecto ſupina iacens , capite ſubmiſſo , coxis altioribus , Hipp. lib. 2. de morbis mulierum , vult pedes ad ſcalam alligari, vt caput deorſum vergat & reflexis poplitibus & cruribus diſiunctis faciliùs recipiat in ſuum locum prolabētem vterum chirurgi aut obſtetricis manu blandè tractatum,& repulſum,quòd ſi iam intumuerit,aut indurauerit ex refrigeratione, oleo liliorum tepente, butyro recenti vel axungia gallinæ erit inungendus,vel leui decocto,foliorũ betæ,maluarum,ſem.lini,fœnug.& ſimilium fouendus erit:ſi inflammatus fuerit,expectandum erit, donec inflãmatio fuerit repreſſa , quæ dolorem in repoſitione maximum excitaret, vbi verò reponenti reſiſtit nimium & in ſinu pudoris diutiùs hæret,docuit Hipp. lanam conuolutam tenui linteo circumdatam, aut bombacem circumponere baculo , cuius extremitas craſſior & plana,reſpõdeat ferè vuluæ magnitudini, deinde in locũ illũ intromittere,ſucco aliquo aſtringente perfuſam, vt blandè & citra violentiam reprimi poſſit tota vteri moles intra ſuam ſedẽ propriã. repoſito ſic vtero, omni poſtmodũ arte cõtinẽd⁹ eſt in ſuo loco tum rectè figurata muliere, vt ſcilicet in lecto reſidẽs & reclinata,cruribus entẽſis molliter & ita coaptatis, vt vnũ alteri incũbat per aliquot dies in hoc ſitu moraretur immiſſione lanæ & bombacis,

cis, vel etiam ſpongiæ fruſtulo in ſinum vuluæ, qui irrigatus fuerit vino auſtero aut ſucco acaciæ aut hypocyſtidos aqua roſarum diſſoluto: interea admoueantur frequéter cucurbitulæ cum multa flamma ſub regione mammarũ & vmbilico,& vtriſque partibus:naribus bene olentia auferantur, genitalibus verò fœtida niſi ſit obnoxia hyſterica paſſioni & aliqua adſtringentia & roborantia per os exhibeantur, continuando ſimiles fotus ex philtris aut ſpongiis nouis, per aliquot dies,admouendo cataplaſmata aut emplaſtra contra rupturam & iiſdem viribus prædita ſuper regioné pubis & lumborum: nam quòd ad balnea & ſemicupia ſpectat, quæ à practicis quibuſdam in hoc caſu vſurpantur, non videntur admittenda, quia ex illo ſitu & mora in balneo neceſſaria, periculum erit ne denuò prouoluatur vterus potiſſimùm in principio,cum adhuc eſt recens affectus,vbi autem diutiùs ægrotantem detinuerit,& conuenienti ſubligaculo præmunita,non omnino interdicimus,quòd ad ſubligaculum iſtud ſpectat, ſiue zonam Hippocratis dictam certum eſt in precipitatione vteri maximè ob rupturam nihil eſſe præſtantius ad continendum vterum in ſuo loco, imò pleraſque (niſi ſingulo iſto muniantur) nunquam eſſe ſecuras ab iſta procidentia, qua in re ſedula chirurgi induſtria erit imploranda,vt artificioſo iſto ſubligaculo compenſet ligamentorum ruptorum vel extéſorum defectum, & in illis etiam quibus vterus procidens nullo modo reſtitui poteſt, certum eſt nihil eſſe preſtantius iſto cingulo, cui annexa fuerit conueniens per ad illum ſuſtinendum & conuoluendum: alij vt Parens

rꝗus in deploratis iſtis procidentiis patua quædam peſſaria ex ſubere ſatis oblonga, quæ cera ſuperliminine funiculo alligata in profundiſſimam vuluæ partem immittunt, cùm enim non poſſint facilè retromittere eiuſmodi peſſaria, vterum coërcent, & in ſua ſede ſubſiſtere cogunt, vt ibi tantùm reliquorum remediorum opera agglutinetur & ſtabiliatur, quod Hipp. lib. 2. de morbis mulierum expreſſiſſe videtur, per malum punicum perforatum, quod immittendum ſuadet, ſed magis mirabile eſt noſtri Roſceti artificium, qui ad deploratas procidentias inuerſo penitùs vtero, & frequentiùs decidente compingit rotulas quaſdam ex ſubere ſatis amplas & latas cera incraſſatas, quas in penitiſſimum vteri fundum intromittit, & ſic illius prolapſum obſtante eiuſmodi corpore impedit. Hæc igitur omnia ipſum affectum & cauſam eius proximam ſpectare videntur: quod ad antecedentem ſpectat, cùm ex remotiſſimo cerebri, aut alterius partis totius corporis plethora, vel inſigni humiditate pendet iſta ligamentorum & vteri relaxatio, quum etiam alij morbi, aut ſymptomata huic complicantur, vt febris, conuulſio, dolor & hæmorrhagia, apparet, non negligenda etiam remedia, quæ iſtis omnibus rectè medeãtur, vnde per inſignes plethoras, aut menſium ſuppreſſiones, vel etiam hæmorrhagias potiſſimùm præsẽte febre, ſolemus phlebotomiam hîc vſurpare: in dominatu verò excrementorum pituitoſorum & aquoſorum purgationes cõuenienter inſtituere, quæ tamen non ſunt conturbanter & violenter agitantes & operantes, quia metus eſſet, ne de nouo vterum per agitationes foras

præcipitarent, & nimis in illam partem deductis humiditatibus, irrigarent, & implerent, vnde multi vomitum in hoc affectu præſtabiliorem eſſe exiſtimãt, vt fiat reuulſio ad ſuperiora, quod nos in aſſuetis & ad vomitum comparatis non denegamus; aliæ tamen non ſunt iſto purgationis modo & auxilio omnium deſtituendæ, dummodò fiat cum decenti cautione: præter purgantia, poſſunt in iſta procidentia ab inſigni totius vel vteri humiditate vſurpari ea, quæ calfaciendo, attenuando, & reſoluendo inſenſibiliter per habitũ, aut ſenſibiliter per ſudores, totum corpus exſiccare, qualia ſunt ſtuphæ, thermæ ſulphureæ, vt noſtræ balerucanæ decoctum ſudorificum ex lino coaiamio, aut haſaphras per viginti aut plures dies inſtitutum, ex cuius vſu multas conualuiſſe compertum habemus, ſi interea cõuenientibus topicis relaxatus vterus confirmetur. Non ſunt etiam omittenda, ea quæ ex proprietate ad hunc affectum curandum vtilia eſſe creduntur, vt muſci quercini decoctum cum pauco vino albo ſumptum & admotum, vel decoctum cornu cerui, ni, foliorum lauri & myrthi, cum vino auſtero, alliũ tritum genitalibus impoſitum, vrtica recens contuſa, & vmbilico adhibita, althæa cum oleo & adipe coturnicis cocta, adeps coturnicis illitus lana, arietis nigri fumigata, ouum antiquum ex nido gallinæ raptum conquaſſatum & impoſitum, aculeus paſtinacæ marinæ vtero admotus apud Aëtium quæ vſus in praxi ordinaria obſeruare poteſt: nos verò ad alios affectus vterinos tranſeamus.

De

De vteri clauſura , cohalitu & diſtortione.

Capvt XI.

Perseqvamvr vteri morbos organicos , qui in vſum praxeôs medicis occurere ſolent , cùm enim ſuperiùs de malo illius ſitú & connexu egerimus , iam ad meatus eius viciatos accedendum eſt. ſciendum autem in primis à pudendo muliebri,quod vuluam vocant, extendi productionem quandam membranoſam vſque ad proprium matricis oſculum , quod vteri ceruicem vocant , & in cuius cauitatem membrum virile coitus tempore intromitti debet, vt genituram illius excipere poſſit, & deinde ſuo tempore fœtus certa magnitudine præditus conuenienter erumpere, atque etiam menſtrua purgatio ſuis periodis effluere ; oportet etiam,vt iſta munia ritè exerceantur, & orificia iſtius partis eſſe conuenienter apta , & ſecundùm rectitudinem poſita, vt eiaculatione ſeminis virilis , directè ad internum vſque oſculum recipere valeant , tum etiam menſtruo fluori & fœtui conuenientem exitum præbere , vnde patet , quoties iſti meatus & orificia peruertuntur , complicantur , obturantur , implentur aut coaleſcunt, paulò ante non ſolùm prædicta

munera impediri, ſed etiam maximum periculum, & grauiſſimos morbos & dolores in muliebri corpore excitari, proinde nõ ſine cauſa ſuſcepimus horum affectuũ tractationem; quocirca definiemus, vt ſint vitia ſiue affectus orificiorũ ac meatuũ vteri, aut ceruicis illius propter obſtrictionẽ aut adſtrictionẽ in illis factã: diximus eſſe vitia ſiue affectus prædictarum partiũ: quãuis enim aliquãdo ab ortu contingant eiuſmodi clauſuræ & obſtrictiones (quas vocamus imperforatas) tamen certũ eſt illas diſpoſitiones, quamuis congenitas, eſſe vitioſas & prę̃ter intentũ generantis naturæ; quæ non minus incommodi afferunt, quã illæ quæ ex accidenti & poſt ortum accidunt: Idem videndum eſt in podice puerulorum clauſo, & in virgæ meatu obſtricto, & ſimilibus affectibus quos Phimôbees appellãt; poteſt autẽ hæc obturatio tribus in locis fieri potiſſimũ, nempe in [illegible] interno vteri orificio & meatu remotiore. Deinde in ductu ſeu ſpatio ceruicis , in quam deſi[illegible] meatus vrinarius & membrum virile inſeritur: poſtremo in [illegible] muliebris pudẽdi parte ſiue [illegible] vulnam appellamus. Iſtam autem clauſuram [illegible] vocant completam; & incompletam: illam quidẽ totũ meatum perfecte obturantem, hanc vero [illegible] adhuc aliquis aditus ingreſſui & [illegible] admodum [illegible] tunica pudicitiæ ſeu virginali, quæ ſiue ſit [illegible] & membranæ corrugatio, ſeu peculiaris quædã [illegible] primo hymenæo ſeu cõgreſſu venereo dirumpi debet: diximus deinde iſta vitia fieri propter adſtrictionem vel obſtructionem, vt deſignaremus naturam ſiue ſpeciem

Digitized by Google

propriam affectuum, qui hæc incommoda pariũt poſſunt: alij enim id præſtant, quia reddunt partem anguſtiorem ſine vllo corpore interiecto, quod Græci ſtecnôſin propriè vocant, vt fit in diſtorſione, complicatione, ſimplici cohalitu, parietum induratione & ſiccitate iſtius loci, vt eſt aph. 54. ſ. 5. & omni ſtrictura, ſympathicôs facta, vt quum grandius vel pinguius omentum aph. 45. ſectio. 5. comprimit & coarctat oſculum illud interius vteri, conceptionemque impedit, crura etiam & fœmora contorta aut diuaricata idem aliquando efficiunt, quia diſtorquent pudendi ceruicem vel nimis ad interiora comprimunt: ex oſſe ſacro vel coxige luxato, vel malè conformato idem ſæpe contingere poteſt, quemadmodum ex veſica calculoſa aut inteſtino recto tumore aliquo præter naturam affecto: alia verò ſpecies obſtrictio dicitur, quæ ſemper idiopathicôs cõtingit propter intermedium ſeu interiectũ quoddam corpus iſtis ductibus & orificiis adhæreſcens, veluti membranam carnoſam quadam ſubſtantia, aut phymata ibidem progenita, ex vlceribus quidem duplex fieri poteſt modus ſtricturæ in iſtis partibus, vnus quidem ex ſupercreſcẽte inutili & fungoſa carne, qui affectus carnali virga hoc noſtro ſæculo valde eſt familiaris: alius verò quum propter excoriationem aut exulcerationem vtriuſque lateris pudendi parietes mutuò coaleſcũt & vniuntur, qui ad adſtrictionem referendus eſt, atque hæ ſunt proximæ diſpoſitiones quibus iſti ductus ſeu orificia vterina impediũtur. Harum rurſus aliæ cauſæ poſſunt aſſignari, tum poſt ortũ iſtos affectus producentiũ tam ſympathicôs quàm idio-

multis etiam produci &augeri poteſt tam externis, quàm internis cauſis: temperamentum enim pituitoſum valde, & cruditatibus obnoxium, cuius impuritates per vteri vaſa tanquam ſentinam ordinariè vacuantur:in fluore albo vix euitari poteſt hoc periculum; vt etiam quæ magnis obnoxia ſunt catarrhis, quorum portio defertur ad hypogaſtrium, & partes illas copioſè irrigat: Quod in vetulis plerumque contingit, aut illis,quæ ob vitæ rationem perpetuò in balneis, flumine, aut aqua frigidiore quoquomodo diutiùs degunt. Sæpiſſimè poſt partum, niſi ſedulò protegatur vterus ab ingreſſu externi aëris humidioris & auſtrini, aut ſi regionem paluſtrem accolant, contingere ſolet hic affectus, quemadmodum ex humidioribus alimẽtis,largiore potu,medicamẽtis emolliẽtibus tam ſumptis,quàm admotis diuturniore tẽpore,ſuppreſſione menſium longam,aut alterius vacuationis conſuetæ, vt ſæpe obſeruauimus in fontanellis ſeu cauteriis ſubitò occluſis, otio, gaudio, ſomno prolixiore: ab iſtis enim omnibus commouẽtur,vel generantur cauſſæ illæ interiores tam antecedentes, quàm coniunctæ, nempe humores ſeroſi aut pituitoſi quibus iſtæ partes copioſiùs irrigantur, vt quaſi particularis in vtero paralyſis & effœminatio contingat.Eſt etiam aliquando hęc elongatio,ſeu mollities vteri & ligamentorũ dependẽs à putredinoſa illius conſtitutione,quã pręgreſſę diſpoſitiones,vt inflãmationes,tumores pręter naturam,vlcera,& ſimilia induxerunt, ſed rariùs & cuius pene eſt curatio deplorata. Vnde non immorabimur diutiùs in deſcribenda illius eſſentia & cauſſis iam ſatis ex ſuperioribus notis.

Quare

Quare ad diagnoſin accedamus. Signa in hoc affe-ctu tam partis affectæ, quàm cauſarum ex ſolita methodo innoteſcent: nam ipſe affectus, nempe motus vteri ſitus, cognoſcitur ex ſenſibili muta-tione, quæ contingit extra illius locum naturalem, vt dicebamus. Si ceruix ſola procidat, apparebit extra vuluam, vel etiam intra, exiguus tumor quaſi extenſæ pellis & conuolutæ, ſine magna moleſtia. Quòd ſi ipſum corpus decidat: apparet velut ouum anſeris aut ſtruthiocameli, vt dice-bamus, in cuius ima parte apparet foramen, quod eſt interius vteri orificium, ita depreſſum verſus ipſam ceruicem, per quod etiam effun-duntur menſtruæ purgationes in iſtis mulierculis ſuo tempore. Hoc autem foramen perit, quan-do tota matrix inuerſa ab ipſo fundo, velut ſcro-tum pendet extra vuluam, ſed ipſa ceruix tunc ſuperior ſupremam partem quodammodo coar-ctat, inſtar cucurbitularum illarum, quas viato-res circumgeſtare ſolent. In principio affectus, inſignis eſt dolor circa pubem, inguina & lumbos, ob auulſa huiuſmodi ligamenta & peritonæum: ali-quando etiam cõuulſio, febris, & hæmorrhagia, pro-pter diſrupta vaſa aliquot, putà neruos, venas & ar-terias quibus adhæret vterus. Vbi autẽ iam eſt aſſue-tus, miteſcũt iſta omnia, & ſola ponderis vel obſtru-ctionis moleſtia torquentur, ita vt difficulter ambu-lẽt, vt aliquando ad cõpreſſionẽ fœces & vrina ſup-primãtur. Vtrũ verò à relaxatione ligamẽtorũ & pe-ritonæi, vel eorumdẽ ruptione illud cõtingat, ita erit diſtinguendũ. Primò ex generationis modo, quia in relaxatione, paulatim & longo tempore contingit

iſta

iſta procidentia, ſenſimque augetur, niſi illi commode proſpectum fuerit, donec totus ſimul vterus foras exiliat. In ruptione verò ſubitò & confertim contingere ſolet, magno cum dolore & vehementioribus ſymptomatis iam commemoratis. Secundo, quòd cauſæ violentæ diſrumpentes & diuellentes in corpore bene habito & ſine vlla huius morbi ſuſpicione producunt iſtam procidentiam vteri per ruptionem, vt contingit in hernia inteſtinorum: eam verò quæ fit à relaxatione, præcedunt corporis totius, vel ipſius vteri conſtitutio humidior & mollior: laxitas in prædictis partibus ſumma apparet, tandemque reſolutis aut delongatis eiuſmodi partibus, voluitur vterus ad exteriora, perpetuoque quaſi humore & ichoribus madet, ſi fiat à ſimplici humore: ſin verò ob putredinem & corruptelam, effluit quædam virulentia aut ſanies, cum fœtore, atque ſæpius febricula quadam & omnium rerum faſtidio detinentur,

Quòd ad prognoſin verò; hic affectus ex ſua ſpecie non eſt lethalis, acutus, vel periculoſus: ſed chronicus & valde moleſtus, quia & deambulationem, & venereum opus, & conceptionem, commodamque menſtruorum effluxionem impedit: aliquando tamen, vt de primo dicebamus, ob concomitantia ſymptomata, dolorem, febrem, conuulſionem & hæmorrhagiam, ſubitò necem inferre poteſt, præcipue in puerperiis. Periculoſior & curatu difficilior qui fit à ruptione quàm ab elongatione, niſi adſit putredo: item moleſtior in quo inuertitur fundum, ob ſummam vteri inferioris refrigerationem, quàm dum manet conglobatus: in ſenibus,

& vbi

& vbi inueterauit, quemadmodum inteſtinalis hernia, nunquam curatur: in iuuenibus autem, non ſine difficultate; aliquando, ex imperita contrectatione, violenta repulſione ad interiora, aut ambientis frigiditate, fit vt gangræna procidentem vterum occupet, quæ metu maioris periculi, exciſionem expoſcit. Atque hæc de prognoſi.

Iam igitur curationem iſtius affectus fœdiſſimi & mulierculis moleſtiſſimi, quantùm erit poſſibile moliamur. Prima igitur & principalis indicatio petatur à cauſa affectus, quæ, ſi ſit relaxatio ex humiditate, exſiccantia, aſtringentia & roborantia, vſurpanda eſſe ſuadebit: Si ex ruptione agglutinantia, ſarcotica & epulotica, vt in ramice inteſtinorum. Secunda petatur à ſpecie ſeu natura ipſius affectus, quæ, cùm poſita ſit in malo ſitu & connexu partium, imprimis reponendum eſſe ſuadet vterum in ſuum locum naturalem, & vicinis partibus quaſi reſtituendum: mox ibidem retinendum & coërcendũ, ne rurſum prolabatur. Tertia denique indicatio petetur à ſymptomatis & morbis cõcomitantibus hunc affectum, dolore videlicet, febre, conuulſione, hæmorrhagia, vlceribus, gangręna, & ſimilibus, quæ mitiganda & remouenda erũt, quantùm fieri poterit, relicta aliquando curâ principali, vt loquuntur: cuius cùm ſæpe ſublata ſit ſpes, proponitur conſeruatio vteri prolapſi, ne vitium contrahat, aut tandem ſphacoliſmum, quo graſſante in hanc partem, vſurpanda poëtæ ſententia, ſcilicet enſe reſecandum, aut igne abſumendum illud quod putrefactum eſt, & aliquando totus

vterus exſcindẽdus,ne pars ſyncera trahatur,& mulieri internecionem afferat. Quod caſtratores iſti vulgariter in canibus,porcis,& aliis animalibus, ſine vllo eorum periculò, quotidie exercent, & in mulieribus ſimiliter tutò fieri poſſe, vbi prociderit omninò & putruerit vterus,veriſimile exiſtit.

Incipiamus itaque à prima indicatione, quæ diætam in hoc morbo conuenientem præſcribi ſuadet, potiſsimùm quando ab humiditate & relaxatione proficiſcitur. Sic aër ſponte aut arte comparetur calidior, ſiccior: vitent balnea & omnem pedum aliarumque partium lotionem, neque degant in regione aut domo vliginoſa, paludibus aut flumini vicina: Corpore & animo ſint quieto: omnem moleſtiam, terrorem, iram, vociferationem, tuſsim, & maximè ſternutationem, quantùm fieri poterit, ſupinæque in lecto, obleuatis cruribus iaceant: ventre ſint molli, ne ex ſiccioribus excrementis comprimatur vterus, &, dum laborant in deiectione, foras denuò protrudatur, non tamen laxo & nimiùm profluente, quia ſic magis rigarentur iſta ligamenta & humectarentur. Cibo vtantur potuque calfaciente, exſiccante & modicè adſtringente: parcè igitur bibant ex vino rubro & generoſo, aqua fontis, vel in qua ſemen coriandri bullierit, lymphato: abſtineant à iuſculis, oleribus, fructibus horæis, leguminibus, piſcibus, lacticiniis, & ſimilibus humidis & flatum generantibus. Carnes ſint aſſæ potiùs quàm elixæ: panis biſcoctus & aniſatus & ſimilia, niſi quid obſtiterit, vt infirmitas virium, vel alterius morbi vrgentioris complicatio. His ita conſtitutis, cogitandum erit de repoſitione

vteri quàm plurimùm fieri poterit, ne ab aëris externi contactu alteretur, vel ex compreſsione inflammetur & intumeſcat, ac proinde, immiſſo priùs leui clyſtere aut verminante ſi flatuum copia adfuerit, & aluo aſtricta atque vrina excreta, ſiquidem lotium diutius in veſica moratum fuerit collocanda, ita erit ægra vt in lecto ſupina iacens, capite ſubmiſſo, coxis altioribus, Hipp. lib. 2. de morbis mulierum, vult pedes ad ſcalam alligari, vt caput deorſum vergat & reflexis poplitibus & cruribus diſiunctis faciliùs recipiat in ſuum locum prolabétem vterum chirurgi aut obſtetricis manu blandè tractatum, & repulſum, quòd ſi iam intumuerit, aut indurauerit ex refrigeratione, oleo liliorum tepente, butyro recenti vel axungia gallinæ erit inungendus, vel leui decocto, foliorũ betæ, maluarum, ſem. lini, fœnug. & ſimilium fouendus erit: ſi inflammatus fuerit, expectandum erit, donec inflãmatio fuerit repreſſa, quæ dolorem in repoſitione maximum excitaret, vbi verò reponenti reſiſtit nimium & in ſinu pudoris diutiùs hæret, docuit Hipp. lanam conuolutam tenui linteo circumdatam, aut bombacem circumponere baculo, cuius extremitas craſſior & plana, reſpódeat ferè vuluæ magnitudini, deinde in locũ illũ intromittere, ſucco aliquo aſtringente perfuſam, vt blandè & citra violentiam reprimi poſſit tota vteri moles intra ſuam ſedẽ propriã. repoſito ſic vtero, omni poſtmodũ arte cõtinẽd⁹ eſt in ſuo loco tum rectè figurata muliere, vt ſcilicet in lecto reſidẽs & reclinata, cruribus entẽſis molliter & ita coaptatis, vt vnũ alteri incũbat per aliquot dies in hoc ſitu moraretur immiſſione lanæ & bomba-

cis,

cis, vel etiam ſpongiæ fruſtulo in ſinum vuluæ, qui irrigatus fuerit vino auſtero aut ſucco acaciæ aut hypocyſtidos aqua roſarum diſſoluto: interea admoueantur frequẽter cucurbitulæ cum multa flamma ſub regione mammarũ & vmbilico, & vtriſque partibus: naribus bene olentia auferantur, genitalibus verò fœtida niſi ſit obnoxia hyſterica paſſioni & aliqua adſtringentia & roborantia per os exhibeantur, continuando ſimiles fotus ex philtris aut ſpongiis nouis, per aliquot dies, admouendo cataplaſmata aut emplaſtra contra rupturam & iiſdem viribus prædita ſuper regionẽ pubis & lumborum: nam quòd ad balnea & ſemicupia ſpectat, quæ à practicis quibuſdam in hoc caſu vſurpantur, non videntur admittenda, quia ex illo ſitu & mora in balneo neceſſaria, periculum erit ne denuò prouoluatur vterus potiſſimùm in principio, cum adhuc eſt recens affectus, vbi autem diutiùs ægrotantem detinuerit, & conuenienti ſubligaculo præmunita, non omnino interdicimus, quòd ad ſubligaculum iſtud ſpectat, ſiue zonam Hippocratis dictam certum eſt in precipitatione vteri maximè ob rupturam nihil eſſe præſtantius ad continendum vterum in ſuo loco, imò pleraſque (niſi ſingulo iſto muniantur) nunquam eſſe ſecuras ab iſta procidentia, qua in re ſedula chirurgi induſtria erit imploranda, vt artificioſo iſto ſubligaculo compenſet ligamentorum ruptorum vel extẽſorum defectum, & in illis etiam quibus vterus procidens nullo modo reſtitui poteſt, certum eſt nihil eſſe preſtantius iſto cingulo, cui annexa fuerit conueniens per ad illum ſuſtinendum & conuoluendum: alij vt Parens

rẹus in deploratis iſtis procidentiis parua quædam peſſaria ex ſubere ſatis oblonga, quæ cera ſuperlinimine funiculo alligata in profundiſſimam vuluæ partem immittunt, cùm enim non poſſint facilè retromittere eiuſmodi peſſaria, vterum coërcent, & in ſua ſede ſubſiſtere cogunt, vt ibi tantùm reliquorum remediorum opera agglutinetur & ſtabiliatur, quod Hipp. lib. 2. de morbis mulierum expreſſiſſe videtur, per malum punicum perforatum, quod immittendum ſuadet, ſed magis mirabile eſt noſtri Roſceti artificium, qui ad deploratas procidentias inuerſo penitùs vtero, & frequentiùs decidente compingit rotulas quaſdam ex ſubere ſatis amplas & latas cera incraſſatas, quas in penitiſſimum vteri fundum intromittit, & ſic illius prolapſum obſtante eiuſmodi corpore impedit. Hæc igitur omnia ipſum affectum & cauſam eius proximam ſpectare videntur: quod ad antecedentem ſpectat, cùm ex remotiſſimo cerebri, aut alterius partis totius corporis plethora, vel inſigni humiditate pendet iſta ligamentorum & vteri relaxatio, quum etiam alij morbi, aut ſymptomata huic complicantur, vt febris, conuulſio, dolor & hæmorrhagia, apparet, non negligenda etiam remedia, quæ iſtis omnibus rectè medeãtur, vnde per inſignes plethoras, aut menſium ſuppreſſiones, vel etiam hæmorrhagias potiſſimùm præsẽte febre, ſolemus phlebotimiam hîc vſurpare: in dominatu verò excrementorum pituitoſorum & aquoſorum purgationes cõuenienter inſtituere, quæ tamen non ſunt conturbanter & violenter agitantes & operantes, quia metus eſſet, ne de nouo vterum per agitationes foras

præcipitarent, & nimis in illam partem deductis humiditatibus, irrigarent, & implerent, vnde multi vomitum in hoc affectu præſtabiliorem eſſe exiſtimãt, vt fiat reuulſio ad ſuperiora, quod nos in aſſuetis & ad vomitum comparatis non denegamus; aliæ tamen non ſunt iſto purgationis modo & auxilio omnium deſtituendæ, dummodò fiat cum decenti cautione: præter purgantia, poſſunt in iſta procidentia ab inſigni totius vel vteri humiditate vſurpari ea, quæ calfaciendo, attenuando, & reſoluendo inſenſibiliter per habitũ, aut ſenſibiliter per ſudores, totum corpus exſiccare, qualia ſunt ſtuphæ, thermæ ſulphureæ, vt noſtræ balerucanæ decoctum ſudorificum ex lino coaiamio, aut haſaphras per viginti aut plures dies inſtitutum, ex cuius vſu multas conualuiſſe compertum habemus, ſi interea cõuenientibus topicis relaxatus vterus confirmetur. Non ſunt etiam omittenda, ea quæ ex proprietate ad hunc affectum curandum vtilia eſſe creduntur, vt muſci quercini decoctum cum pauco vino albo ſumptum & admotum, vel decoctum cornu ceruini, foliorum lauri & myrthi, cum vino auſtero, alliũ tritum genitalibus impoſitum, vrtica recens contuſa, & vmbilico adhibita, althæa cum oleo & adipe coturnicis cocta, adeps coturnicis illitus lana, arietis nigri fumigata, ouum antiquum ex nido gallinæ raptum conquaſſatum & impoſitum, aculeus paſtinacæ marinæ vtero admotus apud Aëtium quæ vſus in praxi ordinaria obſeruare poteſt: nos verò ad alios affectus vterinos tranſeamus.

De

De vteri clauſura, cohalitu & diſtortione.

CAPVT XI.

PERSEQVAMVR vteri morbos organicos, qui in vſum praxeôs medicis occurere ſolent, cùm enim ſuperiùs de malo illius ſitú & connexu egerimus, iam ad meatus eius vitiatos accedendum eſt. ſciendum autem in primis à pudendo muliebri, quod vuluam vocant, extendi productionem quandam membranoſam vſque ad proprium matricis oſculum, quod vteri ceruicem vocant, & in cuius cauitatem membrum virile coitus tempore intromitti debet, vt geniturам illius excipere poſſit, & deinde ſuo tempore fœtus certa magnitudine prædicus conuenienter erumpere, atque etiam menſtrua purgatio ſuis periodis effluere; oportet etiam, vt iſta munia ritè exerceantur, & orificia iſtius partis eſſe conuenienter apta, & ſecundùm rectitudinem poſita, vt eiaculatione ſeminis virilis, directè ad internum vſque oſculum recipere valeant, tum etiam menſtruo fluori & fœtui conuenientem exitum præbere, vnde patet, quoties iſti meatus & orificia peruertuntur, complicantur, obturantur, implentur aut coaleſcunt, paulò ante non ſolùm prædicta

propriam affectuum, qui hæc incommoda pareſt poſſunt: alij enim id præſtant, quia reddunt partem anguſtiorem ſine vllo corpore interiecto, quod Græci ſtecnôſin propriè vocant, vt fit in diſtorſione, complicatione, ſimplici cohalitu, parietum induratione & ſiccitate iſtius loci, vt eſt aph. 54. ſ. 5. & omni ſtrictura, ſympathicôs facta, vt quum grandius vel pinguius omentum aph. 45. ſectio. 5. comprimit & coarctat oſculum illud interius vteri, conceptionemque impedit, crura etiam & fœmora contorta aut diuaricata idem aliquando efficiunt, quia diſtorquent pudendi ceruicem vel nimis ad interiora comprimunt: ex oſſe ſacro vel coxige luxato, vel malè conformato idem ſæpe contingere poteſt, quemadmodum ex veſica calculoſa aut inteſtino recto tumore aliquo præter naturam affecto: alia verò ſpecies obſtrictio dicitur, quæ ſemper idiopathicôs cõtingit propter intermedium ſeu interiectũ quoddam corpus iſtis ductibus & orificiis adhæreſcens, veluti membranam carnoſam quadam ſubſtantia, aut phymata ibidem progenita, ex vlceribus quidem duplex fieri poteſt modus ſtricturæ in iſtis partibus, vnus quidem ex ſupercreſcẽte inutili & fungoſa carne, qui affectus carnali virga hoc noſtro ſæculo valde eſt familiaris: alius verò quum propter excoriationem aut exulcerationem vtriuſque lateris pudendi parietes mutuò coaleſcũt & vniuntur, qui ad adſtrictionem referendus eſt, atque hæ ſunt proximæ diſpoſitiones quibus iſti ductus ſeu orificia vterina impediũtur. Harum rurſus aliæ cauſæ poſſunt aſſignari, tum poſt ortũ iſtos affectus producentiũ tam ſympathicôs quàm idio-

iſta procidentia, ſenſimque augetur, niſi illi commode proſpectum fuerit, donec totus ſimul vterus foras exiliat. In ruptione verò ſubitò & confertim contingere ſolet, magno cum dolore & vehementioribus ſymptomatis iam commemoratis. Secundo, quòd cauſæ violentæ diſrumpentes & diuellentes in corpore bene habito & ſine vlla huius morbi ſuſpicione producunt iſtam procidentiam vteri per ruptionem, vt contingit in hernia inteſtinorum: eam verò quæ fit à relaxatione, præcedunt corporis totius, vel ipſius vteri conſtitutio humidior & mollior: laxitas in prædictis partibus ſumma apparet, tandemque reſolutis aut delongatis eiuſmodi partibus, voluitur vterus ad exteriora, perpetuoque quaſi humore & ichoribus madet, ſi fiat à ſimplici humore: ſin verò ob putredinem & corruptelam, effluit quædam virulentia aut ſanies, cum fœtore, atque ſæpius febricula quadam & omnium rerum faſtidio detinentur,

Quòd ad prognoſin verò; hic affectus ex ſua ſpecie non eſt lethalis, acutus, vel periculoſus: ſed chronicus & valde moleſtus, quia & deambulationem, & venereum opus, & conceptionem, commodamque menſtruorum effluxionem impedit: aliquando tamen, vt de primo dicebamus, ob concomitantia ſymptomata, dolorem, febrem, conuulſionem & hæmorrhagiam, ſubitò necem inferre poteſt, præcipue in puerperiis. Periculoſior & curatu difficilior qui fit à ruptione quàm ab elongatione, niſi adſit putredo: item moleſtior in quo inuertitur fundum, ob ſummam vteri inferioris refrigerationem, quàm dum manet conglobatus: in ſenibus,

& vbi

& vbi inueterauit, quemadmodum inteſtinalis hernia, nunquam curatur: in iuuenibus autem, non ſine difficultate; aliquando, ex imperita contrectatione, violenta repulſione ad interiora, aut ambientis frigiditate, fit vt gangræna procidentem vterum occupet, quæ metu maioris periculi, exciſionem expoſcit. Atque hæc de prognoſi.

Iam igitur curationem iſtius affectus fœdiſſimi & mulierculis moleſtiſſimi, quantùm erit poſſibile moliamur. Prima igitur & principalis indicatio petatur à cauſa affectus, quæ, ſi ſit relaxatio ex humiditate, exſiccantia, aſtringentia & roborantia, vſurpanda eſſe ſuadebit: Si ex ruptione agglutinantia, ſarcotica & epulotica, vt in ramice inteſtinorum. Secunda petatur à ſpecie ſeu natura ipſius affectus, quæ, cùm poſita ſit in malo ſitu & connexu partium, imprimis reponendum eſſe ſuadet vterum in ſuum locum naturalem, & vicinis partibus quaſi reſtituendum: mox ibidem retinendum & coërcendũ, ne rurſum prolabatur. Tertia denique indicatio petetur à ſymptomatis & morbis cõcomitantibus hunc affectum, dolore videlicet, febre, conuulſione, hæmorrhagia, vlceribus, gangręna, & ſimilibus, quæ mitiganda & remouenda erũt, quantùm fieri poterit, relicta aliquando curâ principali, vt loquuntur: cuius cùm ſæpe ſublata ſit ſpes, proponitur conſeruatio vteri prolapſi, ne vitium contrahat, aut tandem ſphacoliſmum, quo graſſante in hanc partem, vſurpanda poëtæ ſententia, ſcilicet enſe reſecandum, aut igne abſumendum illud quod putrefactum eſt, & aliquando totus

vterus

vterus exſcindẽdus,ne pars ſyncera trahatur,& mulieri internecionem afferat. Quod caſtratores iſti vulgariter in canibus,porcis,& aliis animalibus , ſine vllo eorum periculò, quotidie exercent , & in mulieribus ſimiliter tutò fieri poſſe, vbi prociderit omninò & putruerit vterus,veriſimile exiſtit.

Incipiamus itaque à prima indicatione , quæ diætam in hoc morbo conuenientem præſcribi ſuadet , potiſsimùm quando ab humiditate & relaxatione proficiſcitur. Sic aër ſponte aut arte comparetur calidior, ſiccior: vitent balnea & omnem pedum aliarumque partium lotionem, neque degant in regione aut domo vliginoſa, paludibus aut flumini vicina: Corpore & animo ſint quieto: omnem moleſtiam, terrorem, iram, vociferationem, tuſsim, & maximè ſternutationem, quantùm fieri poterit , ſupinæque in lecto , obleuatis cruribus iaceant: ventre ſint molli, ne ex ſiccioribus excrementis comprimatur vterus, &, dùm laborant in deiectione, foras denuò protrudatur, non tamen laxo & nimiùm profluente, quia ſic magis rigarentur iſta ligamenta & humectarentur. Cibo vtantur potuque calfaciente, exſiccante & modicè adſtringente: parcè igitur bibant ex vino rubro & generoſo, aqua fontis, vel in qua ſemen coriandri bullierit, lymphato: abſtineant à iuſculis, oleribus, fructibus horæis, leguminibus, piſcibus, lacticiniis, & ſimilibus humidis & flatum generantibus. Carnes ſint aſſæ potiùs quàm elixæ: panis biſcoctus & aniſatus & ſimilia, niſi quid obſtiterit, vt infirmitas virium, vel alterius morbi vrgentioris complicatio. His ita conſtitutis , cogitandum erit de repoſitione

vteri quàm plurimùm fieri poterit, ne ab aëris externi contactu alteretur, vel ex compreſsione inflammetur & intumeſcat, ac proinde, immiſſo priùs leui clyſtere aut verminante ſi flatuum copia adfuerit, & aluo aſtricta atque vrina excreta, ſiquidem lotium diutius in veſica moratum fuerit collocanda, ita erit ægra vt in lecto ſupina iacens, capite ſubmiſſo, coxis altioribus, Hipp. lib. 2. de morbis mulierum, vult pedes ad ſcalam alligari, vt caput deorſum vergat & reflexis poplitibus & cruribus diſiunctis faciliùs recipiat in ſuum locum prolabẽtem vterum chirurgi aut obſtetricis manu blandè tractatum, & repulſum, quòd ſi iam intumuerit, aut indurauerit ex refrigeratione, oleo liliorum tepente, butyro recenti vel axungia gallinæ erit inungendus, vel leui decocto, foliorũ betæ, maluarum, ſem. lini, fœnug. & ſimilium fouendus erit: ſi inflammatus fuerit, expectandum erit, donec inflãmatio fuerit repreſſa, quæ dolorem in repoſitione maximum excitaret, vbi verò reponenti reſiſtit nimium & in ſinu pudoris diutiùs hæret, docuit Hipp. lanam conuolutam tenui linteo circumdatam, aut bombacem circumponere baculo, cuius extremitas craſſior & plana, reſpõdeat ferè vuluæ magnitudini, deinde in locũ illũ intromittere, ſucco aliquo aſtringente perfuſam, vt blandè & citra violentiam reprimi poſſit tota vteri moles intra ſuam ſedẽ propriã. repoſito ſic vtero, omni poſtmodũ arte cõtinẽd⁹ eſt in ſuo loco tum rectè figurata muliere, vt ſcilicet in lecto reſidẽs & reclinata, cruribus entẽſis molliter & ita coaptatis, vt vnũ alteri incũbat per aliquot dies in hoc ſitu moraretur immiſſione lanæ & bombacis,

cis, vel etiam ſpongiæ fruſtulo in ſinum vuluæ, qui irrigatus fuerit vino auſtero aut ſucco acaciæ aut hypocyſtidos aqua roſarum diſſoluto: interea admoueantur frequēter cucurbitulæ cum multa flamma ſub regione mammarũ & vmbilico,& vtriſque partibus:naribus bene olentia auferantur, genitalibus verò fœtida niſi ſit obnoxia hyſtericæ paſſioni & aliqua adſtringentia & roborantia per os exhibeantur, continuando ſimiles fotus ex philtris aut ſpongiis nouis, per aliquot dies,admouendo cataplaſmata aut emplaſtra contra rupturam & iiſdem viribus prædita ſuper regionē pubis & lumborum: nam quòd ad balnea & ſemicupia ſpectat, quæ à practicis quibuſdam in hoc caſu vſurpantur, non videntur admittenda, quia ex illo ſitu & mora in balneo neceſſaria, periculum erit ne denuò prouoluatur vterus potiſſimùm in principio,cum adhuc eſt recens affectus,vbi autem diutiùs ægrotantem detinuerit,& conuenienti ſubligaculo præmunita,non omnino interdicimus,quòd ad ſubligaculum iſtud ſpectat, ſiue zonam Hippocratis dictam certum eſt in precipitatione vteri maximè ob rupturam nihil eſſe præſtantius ad continendum vterum in ſuo loco, imò pleraſque (niſi ſingulo iſto muniantur) nunquam eſſe ſecuras ab iſta procidentia, qua in re ſedula chirurgi induſtria erit imploranda, vt artificioſo iſto ſubligaculo compenſet ligamentorum ruptorum vel extēſorum defectum, & in illis etiam quibus vterus procidens nullo modo reſtitui poteſt, certum eſt nihil eſſe preſtantius iſto cingulo, cui annexa fuerit conueniens per ad illum ſuſtinendum & conuoluendum: alij vt Parens

rẹus in deploratis iſtis procidentiis patua quædam peſſaria ex ſubere ſatis oblonga, quæ cera ſuperlinimine funiculo alligata in profundiſſimam vuluæ partem immittunt, cùm enim non poſſint facilè retromittere eiuſmodi peſſaria, vterum coërcent, & in ſua ſede ſubſiſtere cogunt, vt ibi tantùm reliquorum remediorum opera agglutinetur & ſtabiliatur, quod Hipp. lib. 2. de morbis mulierum expreſſiſſe videtur, per malum punicum perforatum, quod immittendum ſuadet, ſed magis mirabile eſt noſtri Roſceti artificium, qui ad deploratas procidentias inuerſo penitùs vtero, & frequentiùs decidente compingit rotulas quaſdam ex ſubere ſatis amplas & latas cera incraſſatas, quas in peditiſſimum vteri fundum intromittit, & ſic illius prolapſum obſtante eiuſmodi corpore impedit. Hæc igitur omnia ipſum affectum & cauſam eius proximam ſpectare videntur: quod ad antecedentem ſpectat, cùm ex remotiſſimo cerebri, aut alterius partis totius corporis plethora, vel inſigni humiditate pendet iſta ligamentorum & vteri relaxatio, quum etiam alij morbi, aut ſymptomata huic complicantur, vt febris, conuulſio, dolor & hæmorrhagia, apparet, non negligenda etiam remedia, quæ iſtis omnibus rectè medeātur, vnde per inſignes plethoras, aut menſium ſuppreſſiones, vel etiam hæmorrhagias potiſſimùm præſēte febre, ſolemus phlebotimiam hîc vſurpare: in dominatu verò excrementorum pituitoſorum & aquoſorum purgationes cōuenienter inſtituere, quæ tamen non ſunt conturbanter & violenter agitantes & operantes, quia metus eſſet, ne de nouo vterum per agitationes foras

præcipitarent, & nimis in illam partem deductis humiditatibus, irrigarent, & implerent, vnde multi vomitum in hoc affectu præſtabiliorem eſſe exiſtimãt, vt fiat reuulſio ad ſuperiora, quod nos in aſſuetis & ad vomitum comparatis non denegamus; aliæ tamen non ſunt iſto purgationis modo & auxilio omnium deſtituendæ, dummodò fiat cum decenti cautione: præter purgantia, poſſunt in iſta procidentia ab inſigni totius vel vteri humiditate vſurpari ea, quæ calfaciendo, attenuando, & reſoluendo inſenſibiliter per habitũ, aut ſenſibiliter per ſudores, totum corpus exſiccare, qualia ſunt ſtuphæ, thermæ ſulphureæ, vt noſtræ balerucanæ decoctum ſudorificum ex lino coaiamio, aut haſaphras per viginti aut plures dies inſtitutum, ex cuius vſu multas conualuiſſe compertum habemus, ſi interea cõuenientibus topicis relaxatus vterus confirmetur. Non ſunt etiam omittenda, ea quæ ex proprietate ad hunc affectum curandum vtilia eſſe creduntur, vt muſci quercini decoctum cum pauco vino albo ſumptum & admotum, vel decoctum cornu cerui, foliorum lauri & myrthi, cum vino auſtero, alliũ tritum genitalibus impoſitum, vrtica recens contuſa, & vmbilico adhibita, althæa cum oleo & adipe coturnicis cocta, adeps coturnicis illitus lana, arietis nigri fumigata, ouum antiquum ex nido gallinæ raptum conquaſſatum & impoſitum, aculeus paſtinacæ marinæ vtero admotus apud Aëtium quæ vſus in praxi ordinaria obſeruare poteſt: nos verò ad alios affectus vterinos tranſeamus.

De

De vteri clauſura, cohalitu & diſtortione.

CAPVT XI.

PERSEQVAMVR vteri morbos organicos, qui in vſum praxeôs medicis occurere ſolent, cùm enim ſuperiùs de malo illius ſitú & connexu egerimus, iam ad meatus eius vitiatos accedendum eſt. ſciendum autem in primis à pudendo muliebri, quod vuluam vocant, extendi productionem quandam membranoſam vſque ad proprium matricis oſculum, quod vteri ceruicem vocant, & in cuius cauitatem membrum virile coitus tempore intromitti debet, vt genituram illius excipere poſſit, & deinde ſuo tempore fœtus certa magnitudine præditus conuenienter erumpere, atque etiam menſtrua purgatio ſuis periodis effluere; oportet etiam, vt iſta munia ritè exerceantur, & orificia iſtius partis eſſe conuenienter apta, & ſecundùm rectitudinem poſita, vt eiaculatione ſeminis virilis, directè ad internum vſque oſculum recipere valeant, tum etiam menſtruo fluori & fœtui conuenientem exitum præbere, vnde patet, quoties iſti meatus & orificia peruertuntur, complicantur, obturantur, implentur aut coaleſcunt, paulò ante non ſolùm prædicta

munera impediri, ſed etiam maximum periculum, & grauiſſimos morbos & dolores in muliebri corpore excitari, proinde nõ ſine cauſa ſuſcepimus horum affectuũ tractationem; quocirca definiemus, vt ſint vitia ſiue affectus orificiorũ ac meatuũ vteri, aut ceruicis illius propter obſtrictionẽ aut adſtrictionẽ in illis factã: diximus eſſe vitia ſiue affectus prædictarum partiũ: quãuis enim aliquãdo ab ortu contingant eiuſmodi clauſuræ & obſtrictiones (quas vocamus imperforatas) tamen certũ eſt illas diſpoſitiones, quamuis congenitas, eſſe vitioſas & prẹter intentũ generantis naturæ; quæ non minus incommodi afferunt, quã illæ quæ ex accidenti & poſt ortum accidunt: Idem videndum eſt in podice puerulorum clauſo, & in virgæ meatu obſtricto, & ſimilibus affectibus quos Phimôbees appellãt; poteſt autẽ hæc obturatio tribus in locis fieri potiſſimũ, nempe in propriore [illegible] interno vteri orificio & meatu remotiore: [illegible] in ductu ſeu ſpatio ceruicis, in quam [illegible] [illegible]rinarius & membrum virile [illegible] muliebris pudẽdi parte [illegible] vulua [illegible] appellamus. Illam autem clauſuram [illegible] complicatam, & incompletam [illegible] quidẽ totũ meatum perfecte obturantem, hanc vero quam [illegible] adhuc aliquis aditus ingreſſ[illegible] [illegible] admodum [illegible] tunica [illegible] ſeu virginali, quæ ſiue ſit [illegible] corrugatio, ſeu peculiaris quædã [illegible] hymenæo ſeu cõgreſſu venereo [illegible] debet: diximus [illegible] iſta vitia fieri propter adſtrictionem vel obſtructionem, vt deſignaremus naturam ſiue ſpeciem

propriam

propriam affectuum, qui hæc incommoda parere poſſunt:alij enim id præſtant, quia reddunt partem anguſtiorem ſine vllo corpore interiecto, quod Græci ſtecnôſin propriè vocant, vt fit in diſtorſione, complicatione, ſimplici cohalitu, parietum induratione & ſiccitate iſtius loci, vt eſt aph. 54. ſ. 5. & omni ſtrictura, ſympathicôs facta, vt quum grandius vel pinguius omentum aph. 45. ſectio. 5. comprimit & coarctat oſculum illud interius vteri, conceptionemque impedit, crura etiam & femora contorta aut diuaricata idem aliquando efficiunt, quia diſtorquent pudendi ceruicem vel nimis ad interiora comprimunt: ex oſſe ſacro vel coxige luxato, vel malè conformato idem ſæpe contingere poteſt,quemadmodum ex veſica calculoſa aut inteſtino recto tumore aliquo præter naturam affecto:alia verò ſpecies obſtrictio dicitur, quæ ſemper idiopathicôs cõtingit propter intermedium ſeu interiectũ quoddam corpus iſtis ductibus & orificiis adhæreſcens,veluti membranam carnoſam quadam ſubſtantia,aut phymata ibidem progenita, ex vlceribus quidem duplex fieri poteſt modus ſtricturæ in iſtis partibus, vnus quidem ex ſupercreſcẽte inutili & fungoſa carne, qui affectus carnali virga hoc noſtro ſæculo valde eſt familiaris: alius verò quum propter excoriationem aut exulcerationem vtriuſque lateris pudendi parietes mutuò coaleſcũt & vniuntur, qui ad adſtrictionem referendus eſt, atque hæ ſunt proximæ diſpoſitiones quibus iſti ductus ſeu orificia vterina impediũtur.Harum rurſus aliæ cauſæ poſſunt aſſignari,tum poſt ortũ iſtos affectus producentiũ tam ſympathicôs quàm idio-

pathicôs,vt ſint cauſę,verbi gratia,craſſioris oměti, contortorū femerū , diuulſi vteri aut ligamětorum productæ membranæ vel ſubſtantiæ carnoſæ,geniti vlceris,vel tumor præter naturam in hac parte, vberi vel tumoris præter naturā in hac parte , quæ omnes ex aliis capitibus erunt repetendæ: ſufficiat hîc differentias tantùm,quę ad praxim faciunt,breuiter annotaſſe,verbi gratia,ex tempore generationis vnde iſtiuſmodi ſtricturæ dicuntur congenitæ & naturales, & poſt ortum contractæ ſiue accidendentariæ; à loco autem ſeu poſitu vario iſtius affectus in orificiis & ductu vteri rriplex eſt diſtentio, vt ſuprà diximus,à ſpecie affectus ſimplex ſtrictura cohalitus, vel diſtorſio eſt, eius verò ſympathica vel idiopathica, alia eſt clauſura cū materia è corpore obturante multiplici: denique iſta clauſura completa eſt,vel incōpleta, ex quibus variæ curandi rationes emergunt, nunc ſigna illarum paucis perſtringamus. Diagnoſis in hoc affectu erit facilior, quoniam participat quodammodo naturam affectus externi qui viſu vel tactu percipitur ſimpliciter adhibito inſtrumento illo quod diopticum ſeu ſpeculum matricis vocant: ſunt tamen alia ſigna, quæ & partem affectam & affectus ſpeciem, eiuſque cauſas demonſtrant, cùm iſtud membrum in mulieribus vſum præſtet ad menſtrui ſanguinis expurgationem,ad coitū & conceptum,quādo iam ætate ſunt matura,ſiquidem menſtruæ purgationes retineantur,ita vt certis periodis ingraueſcat dolor cum pōdere & eleuatione iſtarū partium,tunc credibile eſt,ſi aliàs benè habita ſit mulier impedimentum illud non à cachexia aut obſtructionibus pēdere,vt fit in aliis caſibus, ſed ab impedimětis iſto-

:um orificiorũ aut meatus,per quem foras erũpere ſolent,quanquã perſeuerante hoc affectu diutiùs inquit Hipp. intumeſcat tandem vterus, totũ corpus grauetur,& quaſi liuore afficiatur,aut etiã in ſuppuratũ hæc materia retẽta aliquãdo abeat,vnde mortis periculũ & mala infinita exoriri poſſunt, quòd ſi præter dictã menſtruorũ retentionẽ, eiuſmodi fœmina nõ poſſit vti etiã coitu,ſed impediatur in ipſo limine ingreſſus membri virilis, aut in ipſo ductu coniiciemus,quo in loco pudendi mulieris poſitum ſit impedimẽtũ iſtud:in eis verò,quæ admittũt quidẽ cõgreſſum virilẽ, ſed nullo modo ſemen retinẽt maſculũ, & ſtatim à coitu emittunt, neque proprii ſeminis perfuſionẽ percipiũt,credibile erit ſtricturã iſtã eſſe è ſupremo illo orificij interiori meatu, qui perlectando & permiſcendo virili ſpermati cũ muliebri dicatus eſt,vnde nunquã tales cõcipere cõtingit:quòd ad affectus verò ſpeciẽ, cauſas & differentias attinet,ſiquidẽ ſit ſymptomaticus tantũ ex partium vicinarum incommodis extractus, facile erit coniicere ex earũ contẽplatione,vt omento, v.g.ex aqualiculo grãdiori,coxis diſtortis,veſica calculoſa, & ſic de reliquis;cũ quibus hic affectus ortũ habet ſuũ & incrementũ, quàm à nullo perceptibili morbo aut affectu præter materiam prægreſſo,nullaque ſympathiæ ſuſpicione tale ſit incommodum in eis partibus, veriſimile eſt illud originem à prima generatione duxiſſe ex primo conformationis vitio, vbi verò dinexatę fuerint priùs quibuſdam morbis, qui natiuam conſtitutionem illarum partium lædere poſſunt. ſiquidẽ ſint immateriales & ſine humorum afflaxu, tunc durities, exſiccatio, ſtrictura ex

diſtorſione & ſimil.quæ anguſtiam ſolùm pariunt; erunt accuſandæ, quod ſi materia aliqua aut humor in eas diutiùs confluxerit, vel erit cum manifeſta ſolutione continui, vt in vlceribus, niſi vulnera ſubſequantur, quod ipſa excrementa ſubſequentia indicant: vel ſine ſolutione continui, ac diſtentione, ex quibus humores & phymata ibi genita præter naturam eſſe apparebit. Ex his etiam patet ſolutio quarundam dubitationum, quæ hîc fieri ſolent: vtrum ſcilicet per eiuſmodi affectus mulieres poſſint aliquando concipere, & vtrùm menſtrua etiam poſſint ſua periodo effluere: ex eo enim, quod diximus, iſtas obſtrictiones & adſtrictiones aliquãdo eſſe completas, aliquando incompletas, & eſſe in variis pudendi muliebris partibus, demum per incompletos affectus dari quidem quendam exitum mẽſtruo ſanguini, vt patet in prægnantibus ſed diuturnum & moleſtum, dari etiam quendam ingreſſũ ſemini virili, præcipuè ſi illud impedimentum ſit in ſolo meatu, ita vt aliquando concipere poſſint, ſed cum inſigni vitæ periculo, quia ſi tales permaneant non poterunt conceptus fœtus neque per aborſum, neque per verum partum excludere, ac proinde diligenter procurandæ, antequàm matrimonio iũgantur, aut incumbant operi generationis. Eſt igitur hic affectus ex natura ſua moleſtus, & curatu difficilis, potiſſimùm ab ortu contractus, niſi in puellulis, aut ſaltem iuuenculis maturè agnoſcatur antequàm grandiores factæ præ pudore non audeant vitium iſtud confiteri, donec magnis tandem incommodis ac vitæ periculo perculſæ cogantur vt in retentione diuturna ſanguinis menſtrui in vteri cauitatem

tatem effuſi & put.eſcentis:in ſympathica autem ſtrictura vel diſtorſione pudendi muliebris,ſi natiua ſit ex confractione vicinarum partium,vt in diuaricatione crurum, depreſſione coxigis & ſimilibus, non eſt ſperanda curatio,eiuſmodi enim mulierculæ cœnobio potiùs,quàm matrimonio dicandæ: in aliis autem accidentariis caſibus,vt pote vlceribus, carne ſuperflu,amembrana extenſa,ſubſtantia cartiliginoſa vel carnoſa,tumoribus præter naturam,tãtò erit facilior, vt difficilior ſublatio, quantò iſtæ duæ morbificæ minùs vel magis erunt confractę & ex propria ſua ſpecie tractabiles, ac proinde citò & quàm primùm ad conuenientem therapiam accedendum,ne inueteratæ deploratum inferant effectum.Iam igitur de curando agamus,in quo erimus breuiores, quòd omnis affectus iſtius curandi ratio ferè ad ſuperiores iam explicatos vel poſtea tractandos referenda ſit, quemadmodum,ſi ſit ſympathica, ad ſubleuationem primariarum diſpoſitionum in aliis partibus poſitarum,vel certè quia tota vis iſtius curationis pendet potiſſimùm à debita exorezi ſiue chirurgica operatione. Dicamus igitur breuiter,medicum ad haſce mulierculas ſanandas vocatum, imprimis contemplari debere, ex qua cauſa iſte affectus originem duxerit, ſi ſit ſimpliciter ſympathicus, videat quomodo & quatenus poſſit mederi diſpoſitionibus partium vicinarum, vt naturalis ſua conformatio vnicuique reſtituatur:Sin verò ſit idiopathicus ob ſtricturam, cohalitum, vel diſtorſionem in ſtrictura, quæ vt plurimùm fit à duritie vel ſiccitate,agat,humectan-

tibus,mollientibus & laxantibus, ſemicupiis, fotibus,linimentis & peſſariis,ſicque relaxata parte vt deinceps iſtud orificium & meatus tentantur,aperta immittatur cannula ex argento,auro, plumbo, cerá alba vel ligno ſolidiore commodè conſignata,& irrigata oleo molliēte aut butyro quam geſtet perpetuò vel ſaltem de nocte dum decumbit: interdiu verò immittatur hembotum ſpongia aut peſſus ex cotone conuenienter conſtructus & inunctus vnguēto reſumptiuo dialthæa aut ſimili: idem agendum in diſtorſione, ea tantùm lege, vt quæ immittetur cānula,ita ſit concinnata, vt in contrariam diſtorſionis partem deflectat molliter, ſicque ad debitum ſuum locum vteri ceruicem paulatim reuocet,quoniam verò ob exulcerationes præcedentes vteri parietes vtriuſque lateris cohaluerunt, antequam callum ibi obducant eodem modo reſcindandæ immiſſo ſpecillo aut ſpatula chirurgica quæ dilatet iſtū ductū,ibique per canniculā plumbeā contineat,aut quibuſdam poſſit exſiccantibus & epeuloticis:idem erit præſtandum,tandiúque in eis perſiſtendum, donec firma & ſolida cicatrix induta fuerit: in tumoribus autem præter naturam curandis, quia aliquando hunc locum obturant, eadem erit methodus obſeruanda, quæ in ſuperioribus capitibus fuit tradita; niſi ex eorum ſint genere, qui ſcapello aut cauterio auferri in totum & aboleri poſſunt, quod non ſemel fieri iuſſimus in tumoribus pudendi muliebris ad naturam atteromatis, theatomatis, aut meriſieridis accedentibus: eodem modo in carne fungoſa & flaccida, quæ diuturnis vlceribus

ſupercreſcere ſolet excisione aut vſtione agendum erit, ſi locus ſit ad manum poſitus. Supereſt igitur illius obturationis curatio, quæ ſit à membrana vel carnoſa ſubſtantia meatum iſtum obturante: ad hanc itaque curandam accedentes, ſiquidem cacochymica aut plethorica apparet, ſi vires & ætas permittant, venæ ſectio & purgatio præmittendæ erunt: imò ſi res ita expoſcere videatur materia iſta obſtruens ob duritiem vel craſſitiem conuenientibus balneis & fotibus mollienda, laxanda & attenuanda erit, antequàm ad operationem aggrediamur, quę nil aliud eſt quàm ſectio ſeu diæreſis illius obiectæ materiæ & quaſi noua perforatio, cuius rationem eleganter docuit Albucraſis, Ælius, Paulus & inter recentiores Paræus. hoc tantùm habemus notandum in iſta operatione opus eſſe periti & ſolertis Chirurgi induſtria, quia ſi incidat eiuſmodi ſubſtantiam obſtruentem, ſed non perfectè, maximum creabit ægrotanti periculum, quia deinceps vtetur quidem coitu, & concipiet ſi fœcunda ſit, ſed in parte ſũma erit difficultas, quia ex eiuſmodi ſuperſtite quaſi vinculo nõ poterit vteri ceruix aperiri, & dilatari commodè ad excipiendum & excludendum fœtum; ſin verò nimiùm & imprudenter incidat, ita vt ad partes ſenſiles vſque, & ipſius ceruicis vteri ſubſtantiam perueniat inducet maximos dolores, hæmorrhagias, vulnera curatu difficilia, & aliquando conuulſiones; perfectą igitur operatione euacuandæ, deinceps omnes ſordes & excrementa, atque etiam ipſe ſanguis menſtruus, ſi intus retenta fuerint: Deinde vulnus

ita

ita tractandum, vt ſedata hæmorrhagia, parietes vtrimque firma cicatrice obducantur, diuque prædictis iam topicis, ſed præcipuè plumbea fiſtula deducti tendantur, quod ſi poſt ſectionem, potiſſimũ vbi ſubſtantia eſt carnoſa aut cartiliginoſa, ſuperſint grandiora quædam fruſta, ex quibus ſit metus noui cohalitus & obturationis, tunc conari debet illos abſumere cathæreticis medicamentis, aut potius ignito ferro, vt integra & perfecta curatio ſubſequatur, quæ hic exoptanda eſt ob cauſas iam à nobis adductas, atque iſta de propoſito affectu ſufficiunt.

De abſceſſu & vlcere vteri.

Capvt XII.

ABSOLVIMVS ſuperioribus capitibus tractationem particularium vteri affectuum, qui ad morbos ſimulares & organicos pertinent: iam ſupereſt vt morbos communes, ſiue continui ſolutiones, quæ illic contingunt perſequamur, quatenus ad præſentem noſtram exigiſin faciunt. Cùm igitur quatuor ſint præcipuæ ſolutæ vnitatis ſpecies ex cauſarum varietate, & diuerſo curandi morbo petitæ, nempe ſectio, contuſio, diuulſio & eroſio, relictis tribus primis differentiis, vt pote vulneribus, & aliis, quæ à cauſarum externarum violentia præcipuè pendent, de vltima nempe eroſione, principaliter eſt nobis agendum, ſub qua abſceſſus & vteri vlce

vlcera complectemur.

Eſt igitur propoſitus affectus ſolutio continui ex ſuppuratione materiæ cuiuſuis,in vteri ſubſtantiam effuſæ, & eiuſdem eroſione cum saniei & ſordium effuſione, quibus verbis naturam iſtius affectus, eiuſdem cauſas & quæ ſequuntur propria ſymptomata,expreſſiſſe videmur, etenim cùm omne vlcus vel primarium ſit,vt loquũtur practici,vel ſecundarium,vtrumque noſtra definitione complexi ſumus, primarium enim deſignauimus per eroſionem ſubſtantiæ vteri factam à variis cauſis, quum ſcilicet nullo alio prægreſſo in hac parte morbo exoritur paulatim iſta ſolutio continui, ob acris materiæ & variorum excrementorum ex diuerſis partibus confluxum,vel etiam à rebus externis ſumptis vel admotis illud idem efficere valentibus: hæc enim omnia primariũ conſtituere poſſunt in vtero vlcus; quoties verò ex vulnere, caſu, contuſione, tumoribus præter naturam & ſimilibus contingit materiam quandam purulentam colligi, ex cuius effuſione excitatur ſenſibilis iſta & manifeſta ſolutio continui, cùm effluxu eiuſmodi excrementorum, tunc etiam vlcus genitum eſſe in vtero apparet, ſed ſecundarium, quod nomine abſceſſus ſeu ſuppurationis denotare voluimus.

Ex his itaque facilè patebit,quæ ſint iſtorum vteri vlcerum cauſæ à rebus tam externis,quàm internis repetitæ: omnia enim contundentia,diuellentia,vt ſunt partus & aborſus laborioſi, extractio ſecundinæ aut fœtus demortui violenta, inordinatus & effrænis concubitus, caſus ex alto, & percuſſio dum propriam ſubſtantiam vteri comprimunt,

munt diuellunt,aut alienam materiam in illam adducunt:cauſſæ ſunt inflammationis & putrefactionis,ad quam ſequitur generatio materiæ purulentæ vel ſanioſæ.quæ per diapodeſin non potuit diſſipari, dein erodendo proprium & genuinum vlcus conſtituit, ſic etiam ſæpe ex aſſumptis venenatis & cathæreticis,vt ſublimato & cantharidibus,& ſimilibus. Imò etiam ex diureticis vehementioribus aut menſes vomentibus, peſſariis acrioribus & iniectionibus abradi & exulcerari iſta loca aut diutiùs detentis contingit, quod etiam miro modo præſtat concubitus ille impurus ex luis venereæ contagio, cùm enim cum ſeminis virilis effluuio in vteri ſinum eiaculati maligna illa labes fœminæ communicatur, corrumpit primùm ſpiritus & humores ſibi obuios, à quibus concepta virulentia excitatur in vaſis ſpermaticis, teterrima & diuturna gomorrhœa, ob cuius proluuiem inflammantur iſtæ partes primùm, tandem abradun-tur & exulcerantur, quòd multò faciliùs contingit, quoties externæ iſtæ cauſæ incidunt in corpora huic affectui obnoxia, cacochyma ſcilicet ex proprio temperamento,vel ex malo vitæ regimine, vt alimentorum vſu deprauato, quibus cauſæ antecedentes iſtius affectus multiplicantur,excrementa ſcilicet biliosa, exuſta, ſalſa, acria, aut etiam putredinoſa, ex quibus confluentibus in communem hanc corporis muliebris ſentinam, excitantur fluores illi albi & verſicolores, diuturni & maleolentes, ex quibus facilè alteratur vteri ſubſtantia, & ſi nimiùm perſeuerent aut negligantur, exoriuntur peſſima vlcera in puden-

do

do mulicbri, eodem modo voluit Hipp. 2. genicion ex Lochiis diu poſt puerperium retentis, aut etiam menſtruis in vteri fundum emiſſis, & ibi ſubſiſtentibus propter varias cauſas aliquando contingere ſuppurationes, quæ ſi vita tandiu ſuperſtes eſſe poſſit propter inſignem putrilaginem, ita vterum afficiunt, vt peſſima vlcera inde incurrant: denique ad generationem iſtorum vlcerum vteri præcipuè ſecundariorum, ea omnia concurrere poſſunt quæ ad tumores præter naturam producendos apta eſſe à nobis ſuprà fuit annotatum.

Præcipuè igitur iſtarum exulcerationum vteri differentiæ oriuntur à ratione ſeu varietate loci affecti, propria eſſentia, & complicatione cum aliis affectibus: ratione quidem loci, nempe variarum partium vteri, modò illius vlcus eſt in illius ceruice aut orificio, quod potiſſimùm in partu laborioſo contingit, modò in ipſius corpore ſiue fundo, modò in exteriori illius ſuperficie, vnde apud Hipp. quum eiuſmodi abſceſſus vteri in ſuppuratione verſi corrumpuntur, materia illa ſanioſa irrumpit in varias partes ſiue per reſudationem & poros inſenſiles, qui in viuentibus valde ſunt aperti, ſiue per ecmneſin, quum ſcilicet eiuſmodi exulceratio vicinis partibus communicatur per inteſtina, itaque & per ipſam veſicam ſanies iſta ſæpe vacuatur, vel ſi ſubſiſtat in cauo abdominis aut laterales magis vteri partes afficiantur, quatenus iſchio, ſiue coxæ incumbit, exoritur abſceſſus circa inguina, de quo intellexit idem Hipp. aph. 47. ſect. 5. ſubſequi vlcus emmoton, profundum ſcilicet

&

& ſinuoſum, quod in inguine apertum indiget, deinceps turumbis ſeu penicillis longioribus ex linamento confectis, vt commodiùs expurgari poſſit.

Quod ad eſſentiam verò vlceris vterini ſpectat ratione quantitatis aliquando manus vel extenſa, aliàs parua ſeu contracta, dicuntur prout multùm vel parum ſpatij in vtero occupantur, quæ etiamſi leuia & ſuperficiaria pariunt differunt à ſcabie & pruritu, ſi verò ſint grauia & profunda ſæpe in fiſtulas degenerant, ex quorum conſideratione Hipp. iſta vlcera vterina modò ad aphthas, ſi ſint leuia, feruida & pruriginoſa, modò ad nomas quando ſunt grauiora & veluti depaſcentia referre ſolet. Sic reſpectu figuræ iſta vlcera dicuntur rotunda, oblonga, ſinuoſa, aut alio modo conformata: ratione verò complicationis, ſi coniuncta ſint cum ſuis cauſis, dicuntur cacochyma, venenata, contagioſa, præcipuè ex luis venereæ qualitate infecta, ſi verò morbis intemperata, phlegmonoſa, cancroſa, & ſic de reliquis, cum ſymptomatis verò dolorifica, conuulſoria, ſanioſa, virulenta, pallida, nigricantia, & ſic de reliquis, quæ omnia cùm ad diuerſam medendi methodum ſpectent, ideò accuratè per ſua ſigna erunt dignoſcenda.

Vlceris itaque in vtero geniti ſiue primarij, ſiue ſecundarij certæ erunt notæ ex ſenſu doloris, & quaſi perpetua mordicatione in illo loco, quæ ſenſim augetur & maiorem moleſtiam ægrotantibus parit, prout ipſe affectus intenditur, adeſt vt plurimùm totius corporis horror frequenter repetens, & capitis oculorumque grauitas ex ſympathia illarum

rum partium potiſſimùm, quando eſt in parte vteri interna, quæ exquiſitiori ſenſu prædita eſt, ſi ſit primarium vlcus, illud exortum erit abſque vllo alio morbo particulari ipſius vteri prægreſſo, perſeuerante tamen aliqua fluxione acrioris ſucci ex aliis partibus, vt dictum eſt de fluore albo, de retentis lochiis aut menſtruis, aut præceſſit certè vſus rerum acriorum & erodentium ſumptarum aut admotarum, vel etiam concubitus impurus, ad quem ſequuta ſit gonorrhæa violenta, & ſic de reliquis, ſin verò ſit ſecundarium, adfuerunt vel adhuc præſentia ea omnia ſigna, quæ ad tumores ſuppuratos, vulnera & contuſiones ſubſequi & anteuertere ſolent, quorum doctrinam abundè ſuperiùs tradidimus. Signa verò particularia loci, in quo huiuſmodi vlcus poſitum eſſe poteſt repetenda erunt ex variis vteri partibus, & ex earum ſitu, nam in ceruice, viſu & tactu ſatis comprehenduntur; imò etiam in ipſo interiore orificio, ſi admoueatur organum illud, quod vulgo ſpeculum matricis vocant; in fundo verò dolor infeſtat inferiorem abdominis partem verſus os pubis, & excrementa præſtare ſolent copioſiora, propter maiorem craſſitiem iſtius partis & humorum ibi contentorum copiam, quòd ſi exulceratio poſita ſit, aut etiam penetret ad externam ſuperficiem, fit effluxus, vt dicebamus modò, in abdominis cauitatem, vbi ſentitur quædam fluctuatio, & cum eleuatione & mollitie verſus inguina, modò in veſicam, aliàs in inteſtina penetrat, & tunc vrinæ & deiectiones ſanioſæ apparent: huius autem materiæ profluentis diuerſitas in quantitate, colore, odore & conſiſtentia va-

rietatem etiam affectus & cauſarum manifeſtabit: primus enim multum & album ex rupto vt plurimùm abſceſſu phlegmonoſo,ſanioſum autem,virulentum,fœdum ex aliis tumoribus malè concretis,aut peſſimo quouis humore proficiſcitur. vnde fluidum nimis & citrinum birioſo humori & ſeroſo, nigricans & craſſum atrabiliario, quemadmodum albicans pituitoſo adſcribitur; vlcus verò ex lue venerea contractum deſignatus gonorrhæa virulenta, quæ præceſſit,aut adhuc perſeuerat, totius corporis pallor & defœdatio inſueta, cùm rebelli vlcerum iſtorum conſtitutione, quæ non poſſunt ad curationem vulgatis remediis deduci, priuſquam ipſius luis venereæ alexipharmaca, vt Guaiacum, aut hydargyrum vſurpata fuerint ad profligandam illam qualitatem malignam: reliquæ autem cauſſæ iſtorum vlcerum ex cenſu rerum naturalium, non naturalium & præter naturam erunt inueſtigandæ.

In hoc affectu præſagium Hipp. lib. 1. Gynæc. tale eſt, nullum vlcus vteri eſſe contemnendum, quia fit in parte exquiſiti ſenſus, quæ ſympathiam habet maximam, cum præcipuis corporis muliercularum partibus,vnde varij morbi,variaque ſymptomata exoriri poſſunt, hydropes, febres tabidæ, conuulſiones, dolores acerbi &c. item quia pars iſta eſt neruoſæ ſeu ſpermaticæ ſubſtantiæ, cuius reparationem & cohalitum valde eſſe difficilem, aut omnino impoſſibilem ex intentione prima, vt loquuntur practici, notiſſimum eſt, vnde vel non coaleſcũt eiuſmodi vlcera vteri,aut ſi claudatur cicatrix fit ex leuigata interiori ſuperficie illius,

quem

quemadmodum contingit per dyſſenteriam in inteſtinis: iſtæ mulierculæ non poſſunt amplius retinere ſemen virile ad conceptum, aut certè non poſſunt commodè expurgari occluſis maiori ex parte meatibus illis, per quos ſanguis ille menſtruus periodicè effunditur: denique, quia hoc vlcus fit in parte ſuſcipiendi humorum & excrementorum influxibus accommodata, quæ illius deterſionem & exſiccationẽ impediunt & remorantur. Adde quòd in loco concluſo facilè contrahitur inflammatio & putredo, cum quibus impoſſibile eſt vlcerationes curare, vbi verò ſemel iſta vlcera fiſtuloſa, ſinuoſa, cancroſa, aut phagednica facta ſunt rarò ad perfe-ctam ſanitatem perducuntur, ſed per totum vitæ ſpatium miſeram ægrotanem variis ærumnis exercent, quæ in ceruice vteri poſita ſunt, quia tangi poſſunt, & remedia localia excipere, faciliùs etiam curantur; quæ verò in ipſis inguinibus apparent, quia ſunt externa, difficilè tamen curantur, quia vt plurimùm penetrant totum corpus, quia ſanie illa perfundunt vicinas partes, & citò in fiſtuloſam & calloſam ſubſtantiam degenerant. Signum eſt perfectæ valetudinis in iſtis ægrotantibus quando concipere incipiunt, & ſemen virile commodè excipere, aut etiam menſtrua conuenienter & ſine dolore profundere. Eſt igitur opus commoda & matura curatione, vt totus affectus expurgari poſſit.

Itaque vt therapiæ incumbamus, videndum erit imprimis quænã cauſæ externæ & internæ, tam antecedentes quàm coniunctæ hunc affectum fouere & arte ſeruare valeant, vt illis priùs ſecundùm

ordinariam methodum remotis,deinde ad peculiarem vlceris curationem accedere valeamus,& ſymptomata, ſi quæ fuerint vehementiora,mitigemus, ad cauſas igitur exteriùs reſpiciẽtes, conuenientem diætam primò inſtituemus, quæ corporis ſtatum in meliorem diſpoſitionem reducat, & antecedẽtibus materiam ad iſtum affectum augendum præcipitat, ac proinde quoad regimen vitæ ſpectat,quæcunque mulierculæ iſtis vberibus vterinis vexãtur,munditiei ſtudere debent admodũ,vt & domus,& veſtes, & linteola omnia ſordibus bene ſint repurgata,atq; ipſe aër lympidus & tenuis ad ſiccitatem vergens hauriatur ſine vlla caliditatis, aut frigoris exuperantia: vt enim frigidum vlceribus mordax apud Hippocratem, ſic etiã caliditas nimia valdè diſponit vlcera ſuſcipiendæ inflamationi & putrefactioni: ſecundùm igitur varietatem regionum moderandus erit aër, aut loci mutatione alter cõuenientior comparandus, balneorum atque humidiorum & mollientium vſum vitent, ne pars iſta relaxetur magis,& fluxioni idonea reddatur, niſi fortè inſtet tabes vel febris hectica, aut diluendi ſint acriores ſucci & temperandi,vt docet Hippocrates.Laconicorum autem & ſtupharum ad concitandos ſudores vſum illis aliquando præſcribere ſolemus ad exhauriendam materiam ſeroſam, quæ verſus partem affectam defertur, & vlcus exſiccandum: alimenta verò quæcunque dyſpepta & cacochyma pro vario ſuperantis excrementi genere ſummopere vitanda, potiſſimùm acria, ſalſa, piperata, frixa,cæpe, allia, braſſica cum reliquis oleribus calidioribus, caſeus etiam acrior & iam inueteratus, acetum, & omnia

aceto condita, quia pungunt partes vlceratas, & vtero ſunt inimica: imò ex Hippocratis ſententia vino etiam abſtinere debent propter fluxionis metum, quoniam ſunt ſtomacho calidiore & calido temperamento, in cuius locum bibent aquam fontis: aut decoctam cum radice acetoſæ, vel ſi ſint debiliores, dilutam cũ pauco vino oligophoro & adſtringente: piſcibus & omnibus iuſculis, vt potè nimiùm humectãtibus interdicendæ ſunt, carnibuſq; aſſis potiùs quàm elixis, pane bis cocto, & ſimilibus exſiccantibus veſcãtur, niſi iam atrop ſia immineat, quia tum victus analepticus, ratione totius corporis erit concedẽdus, ſic etiam mediocritas ſomni & vigiliæ, & requieſcant, vt plurimùm in lecto molli quidem ad indolentiam, ſed non valdè calfaciente metu inflammationis: animi paſſiones, quantũ fieri poterit, vitẽtur propter varios motus humorũ, quos agitare ſolent, neq; exerceatur corpus, quietè enim curãtur vlcera, niſi fortè frixiones ſuperiorum partium ex vſu videãtur per interualla ad reuellẽdum, & vacuãdum inſenſibiliter, aluus ſit modicè fluida, omnéſque reliquæ vacuationes naturales & ſolitæ conuenienter procurẽtur, excepta purgatione menſtrua, quam ego potiùs in hoc affectu minuendam eſſe aut certè reuellendam & auertendã puto, quàm procurandam in vlceribus vterinis, ne ab materia ſanguinea variis excrementis, vt ſolet, permixta, proluatur de nouo vterus & ſanies ac ſordes multiplicentur, quod hîc valdè dignum eſt animaduerſione & indiget ſolertia medici prudentioris, nos ad reliqua pergamus.

In eiuſmodi igitur affectu rebelli & diuturno cùm non ſufficiat pleru mq; recta victus ratio, niſi maioribus remediis adiuta, quæ plethoram & cacochymiam frequenter illi coniunctam vacuent, fluxiones humorum reuellant & inflammationem, ſi fuerit illis in locis, temperent, ideò in corporibus plethoricis & putredini obnoxiis, atque in vlceribus, quæ coniunctam habent phlogoſin, non eſt dubium quin curatio ab ipſa ſanguinis miſſione ex cubiti vena ad reuulſionem inchoanda ſit, atque etiam ex venis cruralibus ad deriuationem & particularem vacuationem materiæ in vtero contentæ, imò phlebotomia toties erit repetenda, quoties nouæ fluxionis periculum inſtare videbitur, atque etiam ad minuendam vel ſupprimendam menſtruam purgationē circa illius periodum, illud eodem modo præſtari poterit ligaturis & frixionibus dolorificis ſuperiorum partium: item admotis cucurbitulis ſub mãmarum regione & vtroque hypocondrio, vt fluxiones verſus vterum reuellantur. De purgatione autem & præparatione humorũ, non eſt hic exigua dubitatio: quamuis enim cacochymia & excremẽtorum abundantia illam ſæpius expoſcere in hoc affectu videatur, attamen ſitus partis valdè repugnat, quia per deiectionem commotis excremẽtis ad inferiora, videntur exaſperari & ſordeſcere magis iſta vlcera, ita vt purgatio quæ per vomitionē exercetur, hîc potiùs eligenda videatur ſi ægrotãtes ad vomitum ſint paratæ: Attamen non eſt verẽdum aliquando cathartica benigniora & roborandi facultate prædita illã tentare, ne videlicet cacochymia multiplicata multò ma

rò maius damnum inferat, itaque rhubarb. pulvis & infuſum decoctum foliorum ſennæ, ſyrupus roſatus ſolutiuus, electuaria diapr. & diaſem. ſimplex, catholicon & vtraque trifera hîc maximè conuenient vitatis diagrediatis: aut ſi velis paretur ſyrupus magiſtralis in ſequentem modum. Accipe rad. conſolidæ maioris, polipodij querni recentis & contuſi paſſularum & liquiritiæ raſæ añ. ℥. j. & ß. corticis citri ſicci ʒ. vj. fol. plantag. vnicæ permicæ, ſaniculæ, acetoſæ & capilli veneris añ. m. 1. fol. ſem. mundatorum ʒ. vj. ſem. melo. & aniſi añ. ʒiij. ſem. carthami contuſi ℥ ij. agarici recenter trochiſcati in ligatura poſiti ʒ. decem epithymi florũ cordial. & anthos añ. p. 1. fiat omnium decoctio in aqua hordei, in cuius portione infunde rhubarbari electi ℥. ß. cinam. electi. ʒ. j. in colaturæ libra j. & ß. diſſ. ſucci roſati optimi ℥. iij. ſacch. quantum ſuffi. it, ſyrupus perfectè coctus, de quo capiat ℥. ij. vel iij. ſemel vel bis in menſe diſſolutas cum decocto agrimoniæ & plantaginis, vel infuſo rhubarbari in aqua endiuiæ.

Ad præparationem verò humorum nihil accommodatius per interualla quàm quoddam vulnerarium vulgo dictum vſurpare in formam apozematis cum ſacch. concinnare, cuius deſcriptionem ampliſſimam in collectione formularum ad hoc neceſſariarum tibi licebit reperire. Vel fiant iulepi pro variis indicationibus ex affectu & complicatione cauſſarum & morborum repetitis, vbi vrget febris & maxima adeſt ſaniei copia,

nihil erit vtilius quàm magnam ſeri caprini copiã manè ad ℥ viij. ſumere, adde mellis roſacei vel ſacchari parum. quod ſi iam quædam corporis conſumptio appareat cum veſtigio febris hecticæ, licebit eas ad vſum lactis potiſſimùm aſinini cum ſufficienti quantitate ſacchari roſ. transferre per ſpatium integri menſis aut diutiùs, ſi meliùs inde habeant, neque ventriculus aſſumptione illius perturbetur: in illis autem quæ lactis vſum fugiunt parari poterunt ſequentia iuſcula.

Accip. rad. chinæ recentis & ponderoſæ per aleolas diſſectæ ʒ ii. fol. agrim. pimpinel. borrag. acetoſ. centinod. & plantag. añ. p. 1. vuarum corynthiacarum & ſem. coryand. mundati añ. p. ß. ſandali rubri ℈ j. decoquantur omnia cum pullo columbino aut gallinaceo ſenſim donec contumeſcant: capiat huius iuſculi colati mediam partem hora ſexta matutina; & aliam hora tertia pomeridiana continuanda per viginti aut plures dies: in robuſtioribus decoctum ſalſæ parillæ, ligni ſaſalfras, atque etiam guaiacini, vbi eſt ſuſpitio luis venereæ, quod in morbo hoc ſæpe contingit, præſcribi poteſt: ad ſudores etiam prouocandos qui in hoc caſu ſunt vtiliſſimi ad exſiccandum vterum & verſum corpus, reuellendóſque humores ſeroſos verſus habitum corporis. Vtrum verò diuretica in hoc affectu conueniant eadem commoditate, valde eſt controuerſum, quamuis enim videantur deriuare materiam ſeroſam verſus vrinæ vias, vnde minui poſſet fluxio vteri & vlcus exſiccari, attamen

quia

quia eiuſmodi diuretica, non ſolùm vrinas, ſed etiam menſes eodem impetu concitare ſolent, periculum erit perpetuò, ne magis adducant in vterum excrementi, quàm per veſicam vacuare poſſint, ac proinde erit melius illis abſtinere, niſi metus naturæ inclinare videatur, verſus iſtas vias, vt ſuprà dicebamus de abſceſſu diſrupto, qui in veſicam transfluit, & per vrinas purulentas aliquando expurgetur: tunc enim, vt rectè monuit *Aëtius, vti poterimus diureticis, ſed lenioribus & refrigerantibus, quæ vacuent iſtas ſordes in veſicam tranſmiſſas, & illius exulcerationes impediant, quale eſt decoctum ſem. frigid. maior. vel euulſio ſic comparata.

Accipe amygd. dulcium recent. & mundat. ℥. j. ß. ſem. lat. & papau. albi an̄. ʒ. ij. ſem. melon. cucumeris & cucurbit. pariter mundatorum an̄. ℥. j. ß. contundatur etiam in mortario marmoreo cum piſtillo ligneo, affundendo aqu. hord. vel decoct. liquiritiæ lib. 1. ſacch. parum fit euulſio pro 4. doſ. matut. quibus ſi fluxio perſeueret, ſuccedere poterit bolus ex dimidia ℥. therebentinæ aqu. grani & roſ. diligenter coctæ, vt iſtæ veſicæ ſordes commodiùs expurgentur, & quemadmodum diureticis ſuus erit locus in hoc caſu, ſic etiam clyſteribus detergentibus, lenientibus & exſiccantibus, quum materia illa purulenta in rectum inteſtinum delabetur, quorum clyſterum formulas ex tractatu de dyſſenteria repetere licebit.

Pergamus igitur ad vlceris vterini particularem

curationem, vbi enim totius corporis ratio & antecedentium cauſarum habita fuerit, videndum eſt deinceps, vt ipſi vtero & affectibus concomitantibus medeamur. Primò autem certum eſt interiora iſta vlcera vt plurimùm cuidam inflammationi eſſe coniuncta, cum ſordibus & ſanie, quinimò dolorem ſæpe adeſſe comitem, qui non ſolùm ob moleſtiæ ſenſum eſt demulcendus, ſed etiam ne humores irritati in partem affectam magis ac magis ferantur, ideò detergentia, quæ in principio ratione ſordium vſurpantur, ita debent eſſe temperata, vt & inflammationes leniant, & dolori ſolatium aliquod prȩſtent, vnde practici exiſtimant iure merito aquæ tepentis continuam affuſionem vel iniectionem tũc temporis plurimùm prodeſſe, tam abluendo excrementa illa vlceri adhærentia tum laxando & molliendo, vnde doloris mitigatio, & temperando contractum feruorem, qui ſi maior ſit, cogimur etiam refrigerantibus iniectionibus illum mitigare, vt euulſionis prædictæ, ſeri caprini, aut lactis ipſius vel decocti capitum pap. & ſummitatum maluæ, ſi res ita expoſtulet. Mitigato dolore & temperata caliditate, ſi qua fuerit, detergentibus poſtea validioribus erit opus, vt hydromelite, decocto hordei cum melle roſaceo, aqua vulneraria, ſiue catapultarium vulgo dicta, quæ primarium locum obtinet ad detergendum & exiccandum. Poſſunt etiam colllui vrina pueri impubis, lixiuio dulci ex ſarmentorum cineribus confecto, vel aqua thermali, vt noſtra bellerucana, practici noſtri talem præſcribere ſolent.

Accipe

Accipe hord. integ. fruſuris macri & roſ. rubr. añ. p. 1. fol. agr. abſynth. caprif. & apij añ. m. 1. fabarum & lentium añ. ℥ iij. liquiritiæ raſæ radices ireos flor. & zedouriæ añ. ℥ ij fl. omnium decoct. addendo parum vini albi circa finem.

Quòd ſi vlcera ſordida & fœtentia admodum appareant, diſſolue in portione huius decocti ſeu iniectionis parum vnguenti ægyptiaci, vel pulueris mercurij dulcorati, vtatur per interualla, aut certè vſurpetur in hoc caſu collyrium lauphranſi dictum, quod à Guidone deſcribitur ad eiuſmodi vlcera maligna & fœtida. Itaque ſi vlcus ſit in collo matricis poteſt inungi detergente & exſiccante linimento, addendo parum argenti vini, quando eſt ſuſpicio luis venereæ, oleum calcis, ſiue illa pinguedo, quæ ſupernatat, dum in aquam conijcitur, mirabilis eſt ad eiuſmodi vlcera exſiccanda quando tangi poſſunt: ſuperponantur etiam emplaſtra, vel cataplaſmata eiſdem facultatibus prædita circa pubem vel perinæum, quorum vires ad interiora vſque per inſenſiles meatus deferantur, pars autem iſta propter naturam ſuam membranoſam & temperamentum proprium facilè fert exſiccantia validiora, tum etiam propter copiam excrementorum quibus ſcatere ſolet, vt annotauit Galenus; eodem modo confirmari poterunt peſſaria ex emplaſtro de Vigo aut diapompholygos, cui modò thus maſtychem ad exſiccanda, aliquando etiã myrrham, aut aloen ad detergẽdũ addere licebit: in profundo autem vlcere, quod verſus vteri fundũ poſitũ eſt poſt emunctiones addẽdũ fumigiis,

quæ

quæ in hoc caſu & pro diuerſis intentionibus variè comparari poſſunt, ſequens habetur potiſſimum ad abſorbenda inquinamenta, & corrigendam malignã qualitatem vtero impreſſam.

Accipe gummi hederæ & iuniperi, ladari puri añ ℥.j. corticis thuris, maſtichis & cinamomi añ. ʒjj. auri pigmenti rubri vel citrini ʒ. j. formentur trochiſci cum therebinthina ponderis ʒß. iniiciatur vnus ſupra prunas, cuius fumum excipiat manè poſt purgatum conuenienter corpus, continuando per triduum ſingulis ſeptimanis. Hiſce trochiſcis ſine puluere audent quidam cinabrij parũ cum benguino adiicere in deplorato vlcere, & cum lue venerea complicato, ſed omnia pro variis circumſtantiis erunt moderanda in corporibus hiſce mollioribus, in quibus erit conſultius, vt iam dictum eſt, luem prædictã expugnare detecto guaiacio per aliquot tempus vſurpato & iniectionibus ex hypodargyro ſolitis, quàm quicquam temere iſtis vehementioribus remediis moliri, prudenter igitur ſe gerat hîc Medicus, ne dum nimis citò & importunè cupit hunc affectum tollere miſeram ægrotantem in maius periculum præcipitet.

Hæc igitur omnia, aut ſimilia erunt conuenienter vſurpanda in vlcerum matricis curatione, quæ vbi propter malignitatem, aut incuriam ægrotantium, quia propter pudorem vix ſe audent medico, vel chirurgo cõmittere, dura calloſa & ſinuoſa euaſerint, tunc imitantur naturam fiſtularum, & ad illarum curationem ſunt reuocanda. Quod potiſſimum contingit in illo vlcere vteri, quod exterùs verſus coxam aperitur, & ibi abſceſſum generat

rat, vt ex aphoriſmo illo Hipp. ſupra annotauimus, cōfluente enim verſus inguina pure, fieri nō poteſt, quin plures partes vicinæ inficiantur, & vitium cōcipiant, ex quo ſinuoſitates & quaſi tubuloſa vlcera exoriuntur tam in matrice quàm in membris circumiectis, in quibus curandis eadem methodus obſeruanda ex detergentibus, abluentibus, & tandem exſiccantibus iam commemoratis. Verùm quando in hac parte inguinis, vel etiam intra vteri corpus & fundum genita eſt fiſtula, vlcus ſcilicet cauum, oblongum, calloſum & pertetuo effluxu excremētorum ſcatens, quæ ex variis locis deriuantur in iſtam cauitatem, tunc conſiderandum erit, vtrum magis conducat ægrotanti talem meatum iam aſſuetum relinquere intactum, per quem materia vacuationem excrementorū multiplicem molitur, vel eiuſdem curationem ſuſcipere. In priore caſu contenti erimus frequenti purgatione ſudorificis ſemel aut bis in anno repetitis iniectionibus detergentibus & roborantibus ſuperimpoſito emplaſtro diuino, diapalma & ſimilibus, quæ curam vulgo palliatiuā dictam complere poterunt. In alio verò caſu, vbi ſcilicet integra iſtius fiſtulæ curatio eſt ſperabilis, potiſſimùm quando eius extremitas vergit ad exteriora, vt coxam vel perinæum, tunc prima erit cogitatio circa duritiem iſtam ſiue callum auferenda vt diſſitæ partes coaleſcere poſſint. Deinde ad reparandam partis ſubſtantiam deperditam ſiue implendam iſtam cauitatem per laudatæ carnis regenerationem. Demum illius exſiccationem & ſigillationem inducta cicatrice, quæ denuò recludi

non

priuſquam moliamur,omnis cacochymia & fluxionis impetus diligenter erit auertendus, vt ſuprà dictum eſt. Callum igitur auferre ex eiuſmodi fiſtulis, quæ ad manum poſitæ ſunt, licet ampliando prius exterum foramen, ſi nimis ſit anguſtum, immiſſa ſpongia,linteolis bene conuolutis,aut radix gentianæ,ariſtolochiæ,brioniæ,aut etiam ellebori albi, ſi habeatur, quæ relinquentur ibidem per trium aut quatuor horarum ſpatium, deinde iniiciendo in ſinum interiorem medicamenta quædam acriora, vel aſpergendo quoſdam pulueres, ſi ſolum orificium illius deterēdum proponatur:ſic æruginē æris cum ſale amnoniaco mixtam in pauco vino, dilutam, thurunde aut penicillo oblongiori illitam immittere poſſumus, & ibi ſinere, donec morſus ab ægrotante ſentiantur: alij,quando callus eſt durior audent huiuſmodi turundas aqua roſacea intinctas pauco arcenici puluere aſpergere,quod ſi profunda & ſinuoſa ſit fiſtula,oportet per metrenchitem infundere in foueam liquoris,qui obturato foramine ne refluat ibi contineatur per aliquot horas,vt Accipe ſublimati ʒ. j. arſcenici & viridis æris an̄. ℈. j. aq.plantag.& roſ.an̄.℥ iiij, bulliant parum ſupra cineres calidos,deinde colentur, colaturæ ſi volueris adde vnguenti ægyptiaci ʒ iij. plus minus iniiciatur parum in fiſtulam & ibi contineatur per aliquod tempus, tandiúque per interualla contineatur, donec rubefacta & exſiccata videatur fiſtula, quæ deinde butyro recenti inſtillato oleo amygdalarum dulcium, aut vnguento reſumptiuo emollita per ſe decidet: deterſis tunc ſordibus & omnibus extraneis conuenienti iniectione qualis erit ex de-

coctu-

coćto catapultarum vel hydromelite ſuprà dićto iam vlcere recenti, & ita renouato procuranda erit carnis deperditæ reſtauratio, immiſſo puluere rad. ireos, ariſtolochiæ, myrrhæ, thuris, ſarcocollæ, ſanguinis drac. & ſimilium, quę etiam diſſolui quodam liquore poterunt, vt vino albo vel auſtero ſucco plantaginis & ſimilibus, ſi in profundiores partes vim medicamenti penetrare opus fuerit, tandem oppleti ſinibus & cauitate interiori aſpergantur frequenter orificia alumine puluiſerato, bolo armeno, & ſimilibus, ſupertęgantur emplaſtro diapalma de lapide calaminari, camino plumbi, argento viuo vel aquæ aluminoſæ liquore confricata & aliis, quæ cicatricem firmam inducere valeant. Sunt etiam alij modi abſumendæ fiſtulæ à chirurgis noſtris commemorati, qui per vſtionem aut ſećtionem perficiuntur, vt ex eorum libris licet addiſcere. Verùm quia locus iſte profundior membranoſus & exquiſiti cenſus non videtur poſſe pati eiuſmodi operationes niſi raro admodum & in robuſtioribus, ideo melius eſt illas omittere, & curationem iſtarum vteri fiſtularum ſupradićta via moliri, ſiquidem ex eius vſu ſperamus aliquem frućtum emergere poſſe, aliàs enim melius eas omnino intaćtas relinquere, vt iam monuimus, & cura tantùm epicheraſtica, ſeu palliatiua ſolatium aliquod miſeris iſtis ægrotantibus afferre: iam ad alia accedamus.

De

Vt autem iſta condylomata magis habent collectã materiam illam à qua pendent hę verrucæ, thymi & fici, habent magis illam extra cutem: ſunt enim tumores inſtar monticulorum eminentium extra ſuperficiem partis cui adhærent, vnde quædam accordones quaſi penſiles vocantur, aliæ vt formicariæ, & calloſæ maiorem habent baſin, quibus ſi contingat, vt craſſeſcant valde ſcinduntur in morem floſculi illius, aut ſummitatis thymi, vel inſtar ficus & mariſſæ extuberant, tunc etiam illas appellationes ſortiuntur particulares, & à communibus verrucis in eo differunt, quòd malignitatis cuiuſdam & feritatis ſint participes, quæ ad cancri naturam quodammodo accedit, funduntque deſſe vt plurimum ſanguinem vel ſanioſam quandam materiam & virulentã.

Rhagades ſunt oblongæ quædam rimæ & veluti ſoſſuræ inter rugas iſtorum orificiorum poſitæ quę exulcerationes illarũ ſequuntur cũ pauca aut nulla ſanie, aliquando ſi confricentur, aut atterant in ſanguinem fundentes, & ſæpe tumori cuidam & eleuationi cõiunctę, aut inſigni ſiccitati & duritiæ quę etiã in aliis partibus videre eſt, vt iam fuit annotatum.

Cauſæ igitur iſtorum affectuũ varię eſſe poſſunt, prout variæ ſunt eorum differentię, cùm etẽ pẽdeant potiſſimùm ex congeſtione humoris melancholici & craſſæ pituitæ, circa iſtas partes vicinas & circa extrema ſiue orificia collectę. Poteſt etiam ea omnia quæcunque generando illi humori, vel deducendo verſus iſtam partem idonea ſunt, aut intemperies propria vteri intemperiei, propter quã debilitatur admodum, & mala fit alimenti in illa concoctio, poſſe iſtos affectus producere. Hoc certè noſtro ſæ-

lue venerea,aut elephantica diſpoſitione pẽdeãt rarò ſolitarij ſiue iſti affectus,ſed in variis aliis partibus malignitatis ſuę veſtigia oſtendũt:ſi ex ſimplici cacochymia ipſius vteri,iſta erũt ex ſolitis ſignis repetẽdæ,quæ fuſè in ſuperioribus propoſita fuerũt.

Hinc etiã pendebunt prognoſcos leges, nam ex varia earum ſpecie & cauſis licebit coniicere de exitu iſtorum affectuum,quoties enim admodum ſunt inueterati vel ex maligna lue aut elephantica diſpoſitione pendent,vix eradicari poſſunt,quin altior illa mali labes auulſa fuerit, ſi exaſperati fuerint ob importunam aut ineptorum remediorum adhibitionem, ita vt in cancroſum vlcus degenerent, melius erit ſinere,quàm eorum therapiam aggredi, niſi fortè mitigatoriam ſymptomatum,quam vulgò palliatiuam vocant. Rhadages aliquando ſunt ita pertinaces, vt cacoëthiam, aut malum habitum in parte contractum, & quamuis ſæpiùs curatæ denuò reuiuiſcant, quod in multorum pedibus aut manibus obſeruare licet per hyemem,dum præ frigoris vi chimetla ſiue perniones & fiſſuræ quotannis renouantur.Sunt autem iſti omnes affectus valdè moleſti,tum propter dolorem quẽ ſæpiùs ægrotantibus inferunt,tum etiam quòd libertatẽ coëundi & pariendi maiori ex parte auferunt,quare illorum curationem, quæ ad ſuperiora capita, vbi de tumoribus & vlceribus vteri egimus facilè referri poteſt,breuiter perſtringamus. Imprimis habeatur omnium cauſarum externarum ratio: ſi ſit lues venerea aut elephãtica diſpoſitio illorũ præcipua cauſa corrigatur omni artificio,fruſtra enim laborabimus circa iſtos affectus niſi primarij ſublati fuerint; ſi

pēdeant ab vniuerſali plethora, vel cacochymia tollatur purgatione, præparationeque totius corporis & humorū conuenienti, nec non venæ ſectione ſi opus eſſe videatur, eaque vitæ ratio inſtituatur, quæ omnino aduerſetur generationi iſtorū excrementorum, à quibus peculiariter producti fuerunt, quā hic repetere foret inutile, cū ſatis ex ſuperioribus conſtet: ideò particularem iſtorum curationem proponamus.

Quod ad cōdylomata igitur, verrucas & thymos ſpectat, ſi illius ſint naturæ, quæ ad cancrosū humorē, vel vlcus accedant: melius erit intacta relinquere, quàm eorum curationem ſuſcipere, vt iam ſæpe annotatum fuit, vel certè palliatiuam illam tractationem inſtituere, quæ eorum efferueſcētiam compeſcat & ſymptomata, vt dolorem mitiget, de qua ſuperiori capite actum fuit per vnguenta illa, fotus & peſſaria quæ reprimentibus, refrigerantibus & anodynis conſtet; vbi verò iſti affectus communes tantùm ſequuntur humorum conſtitutionem in corpore bene habito tunc integra illorum ſublatio tentanda erit per ſectionem filo aut ferro factam vel vſtionem per actuale, vel potentiale cauterium, quibus ita ſublatis, tota deinde cura erit in reprimendis ſordibus, ſi quæ ſuperſint mollienda eſcara vt decidat & inducenda cicatrice, ne malum denuò exhauriatur. In condylomatis tamen, quando adhuc ſunt recentia nollem ſtatim ſectionem, vel vſtionem inſtituere, quia ſæpe viſa decoctis ad fotum vel inceſſum adſtringentibus & roborantibus omnino diſparuiſſe, vel certè relaxantibus, atque etiam remollientibus, ſi iam ipſa

ipſa veteri condylomata, vndecumque hoc proueniat, duriora euaſerint, vnde Celſus laudat in principio inceſſiones ex decocto verbenæ, hectulæ, campanæ, lentium, ſummitatum rubi contritarum, in vino & melle, vel malicorij fotum, decocti cum hyſſopo in vino aſtringẽte: deinde vult lixiuio perfundendum eſſe partem, cui thymum & camæmelũ incoxerint: ſi diſcuſſoriis reliqua humoris portio diſſolui poſſe videatur, quibus ſuccedent peſſaria, aut linimenta eiſdem facultatibus prædita, additis etiam molliẽtibus, ſi opus ſit, vbi hæc remedia per aliquot tempus fruſtrà fuerint tentata tunc ad Chyrurgicam operationem veniendum erit ſi affectus fuerit moleſtior: cuius formulam tradit Aëtius lib. 4. ſerm. 1. In verrucis autem exſtirpandis præter ſectionẽ & vſtionẽ, ſi ſint abſque vlla maligna labe, vſurpari poterũt ea, quæ vulgò traduntur ad verrucas aliarũ partium tollendas, vt lac ſeu ſuccus fici arboris illitus, ſuccus cucumeris agreſtis cum ſale, thuris cortex contritus cum aceto, portulacæ folia virẽtia contuſa, cantharidũ puluis cũ vnguẽto apoſtolorum permixtus, ſtercus bubulcum cũ aceto, liquor qui ex amputatis vitibus, vel combuſto ſarmento ſtillat, quæ cum habeant vim adurendi & exedendi, ita ſunt admouẽda, ne partes ſanas circumiacentes contingant, aut certè illas præmunire oportet litu vnguẽti de bolo, lamina plumbea perforata & ſimilibus, ac frequenter abluere aqua hordei, aut roſacea ne malè afficiantur. Hodie audent noſtri practici illas contingere aqua forti, ſeu criſulga argẽtariorum dicta, quam ſecundariam vocant: alij verò oleo ſulphuris, aut vitrioli, quibus etiam cauteriſandæ erunt iſtæ partes

poſt abſciſſionem vocellis factã, ne hæmorrhagia concitetur, aut illarum radix repullulet, quod eodẽ modo vſurpari poteſt in verrucis illis calloſis, quas vulgò corneas appellant.

In rhadagibus autem ſiue vlcuſculis illis oblõgis & rimoſis curandis quæ orificio interiori matricis, vel pudendo muliebri innaſcuntur, videndum vtrũ iam ſint profunda, & calloſa vel ſuperficiaria tantũ, & ſine duritie, recentia enim & ſanguinolẽta, vt quę poſt laborioſum partum vel coitum violentum cõtigerunt, indigent tantùm adſtringentibus & glutinantibus, vt iniectionibus ex decocto plantag. & roſar. cum pauco boloarmena & cortice thuris, aut ex prædictis linimenti inſtar cum albumine oui conquaſſato & lana, vel bombyce parentur peſſaria præcipuè, quando eſt metus longioris hæmorrhagiæ: ſi iam ſicciores euaſerint, & quodammodo duriores molliantur decocto humectante, vt maluarum, iuſculo capitis veruecis & illinãtur mucilaginibus, ſeminis phylij & cydoniorum, vel butyro recenti: ſi virulentæ ſint vnguento de plumbo, aut de ceruſa reprimendæ, aut oleo ex ſemine lini in mortario plumbeo agitato, vtiliſſimum etiã experieris ad iſtos affectus vnguẽtum illud quod hodie parare ſolemus ex melle, vino rubro, auſtero, & vitellis ouorum, donec inſpicentur admixtis, & coctis in pulticulæ formam; lenit enim dolores, deterget modicè, adſtringit diſſitas partes & roborat, tãdem ſi callus grandior aut firmior impediat iſtarum rhagadum agglutinationem, & poſt emollientia per aliquot tempus adhibita, opus erit eiuſmodi callos ignito ferro tollere, vel cauſticis medicamentis, qualia

qualia à nobis ſuperiùs fuerunt commemorata, deinde renouato & repurgato vlcere eius conſolidatio procuranda, quod non niſi magna difficultate & labore fit ob rationem partis iſtius neruoſæ, & excrementorum quibus perpetuò alluitur, hoc vnū diligenter videre debet medicus, nedum iſtis affectibus medere cupit, maius aliquod periculum inferat, vt carcinomatis, vel inſignis fluxionis & doloris in hac parte, propter quæ multas miſerè periiſſe certiſſimum eſt.

Præter dictos affectus recenſentur etiam ab authoribus noſtris, præſertim in ſignioribus, alij vt hæmorrhoides vteri, venæ ſcilicet hiantes & apertæ in collo illius, aſcarides & calculi vterini, quorum omnium tractationem omittimus, quia nihil aut parum diſcrepant, quod ad cognitionem & curationem eorum ſpectat, ac hæmorrhoidibus ani, lūbricis inteſtinorum & calculo veſicæ, aut quia admodum rari & infrequentes exiſtunt.

Alius tamen eſt animaduerſione quadam dignus, quia & fœdus eſt, & coitum quodāmodo impediēs, quem caudam, tentiginem, cletorida ſeu nympham muliebrē extuberantē vocant, cuius beneficio olim tribades quædam fœminæ ſubigere dicebātur, & in Aegypto omnibus puellulis locus iſte, dū recēs natę, inurebatur, ne iſtam turpitudinē incurrerent: quidā ita diſtinguunt caudam à nympha excreſcente, quod cauda ſit propriè excreſcētia illa, quæ inſtar membri virilis contingit in mulieribus, dum proceſſus ille paruus, ſecundùm naturam & leuiter tantū prominens in media & pinguiori pubis parte ſuperpoſitus & è directò reſpondens meatui vrinæ qui in pudēdum

DE AFFECTIBVS MVLIERVM.

LIBER SECVNDVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVANTVM æternà temporalibus, vniuerſalia particularibus meliora & præſtantiora habentur, tantùm etiam liber hic ſecundus dignitate & vtilitate primum præcellit, in quo agebamus de affectibus mulierum, quatenus indiuidui iſtius peculiaris curatio medico conſideranda proponitur: in hoc autem ſecundo toti occupati erimus circa diſpoſitiones fœminarum, quatenus propagandæ ſpeciei, conceptui, fœtusque productioni à natura deſtinatæ fuerint, ita vt totam præcedentem doctrinam ad hunc ſecundum ſcopum velut finem tractationis noſtræ præcipuum referre oporteat. Cùm igitur perfectior quæque animantium ſpecies ad commodiorem propagationem in marem & fœminam diſtincta ſit, oportet etiam in vtroque certas eſſe diſpoſitio-

nes, quarum beneficio aptiores ſint ad illud præſtandum, quod nos in ſpecie humana contemplaturi relicta marium in aliud tempus tractatione, dicimus fœminas ita comparatas eſſe debere, vt in ſeſe concipere, fœtum alere, geſtare, & commodo tempore extra vterum edere, editum & adhuc tenellum educare valeant. Ad hæc omnia præſtanda opus fuiſſe apparatu multarum partium, quæ & viam ſuſceptioni ſeminis virilis commodam, & locum commodum, vbi contineatur, materiamque idoneam, ex qua foueatur, ad productionem fœtus, & illius accretionem, atque etiam extra vterum alatur, præſtare poſſint. Conſideranda igitur imprimis, & ex hiſtorica narratione repetenda omnium partium muliebrium, præcipuè genitalium, & mammarum naturalis conſtitutio, vt ex illius comparatione faciliùs ea omnia, quæ præter naturam illis contingere ſolent, intelligere valeamus. Quamuis igitur breuitatis cauſâ partium illarum deſcriptionem nunc omittamus, cùm ſit facilè ex anatomicorum libris illam repetere, in ſequentibus tamen tractatibus, quando & quantum opus fuerit, explicabimus.

Huc igitur ſecundũ librũ ita partiemur, vt primo quidem capite agamus de fœminarum ſterilitate, quia præcipuus huius libri ſcopus poſitus eſt in iuuanda ſpeciei procreatione. Quoniã verò, vbi mulieres conceperunt, toto grauiditatis tempore oportet eas certis vti cautionibus, & victu, quo ſalubriter & fœtus & fœta ſe habere poſſint, ideo ſecundo capite dicemus de cognitione prægnan-

tium,

tium, & earum debito regimine. Sed quia ſæpe contingit fœminas quidem concipere, ſed vel nō concipere id quod oportet, vel nimiùm quod nō oportet, vel excludere quod conceperunt ante debitum tempus, ideo agemus tertio capite de mola, quæ eſt conceptus irritus & vanus. Quarto, de gemellis, & ſuperfœtatione, quæ eſt nimius cōceptus, propter quem vix ſeruari poſſunt vitales fœtus. Quinto, de aborſu, qui reſpicit tempus indebitum geſtationis. Sexto denique, quia in partu debiti temporis multa incommoda ſuperueniunt, propter quæ, vel non poſſunt parere, vel laborioſò admodum pariunt, & poſt partum in varios affectus, & incommoda incidunt; ideo vltimo capite agemus de partu iuuando & de eis, quæ ad partum conſequuntur. Hæc eſt propoſiti operis diſtributio, vt melius in progreſſu illius patebit.

De ſterilitate muliebri.

CAPVT PRIMVM.

COITVS comes eſt voluptas, finis verò generatio ſiue proles. Vnde legibus cautum eſt, ne homines promiſcuè concumberent more ferarum, ſed certis conditionibus, & legitimo matrimonio coniungi, ex quo oriuntur familiæ, velut Reip. præcipua ſeminaria. Vnde apud Platonē legimus præcipuum olim fuiſſe obſtetricum, & paranymphorum munus, vt coniuges explorarent,

& inuicem coniungerent, ſiquidem fœcundi illis viderentur. Medici igitur operæ pretium hac in parte maximum Reip. faciunt, ſi non ſolùm in exploranda & dignoſcenda marium & fœminarum ſterilitate, ſed etiam curanda, & in gratiſſimam fœcunditatem permutanda incumbant. Cùm ergo ex parte mulierum, de quarum tantùm affectibus iam eſt nobis propoſitum agere, ſterilitas contingere poſſit modò ſimpliciter & abſolutè, vt loquuntur, ex ipſa indiuidui muliebris natura, modò ex parte tantùm & comparatè, vt quando difficilè concipiunt, & raró imprægnantur propter affectum præter naturam, qui illi ſuperuenit, aut certè propter viri defectum, illiusque certam diſpoſitionem, non poſſunt ex illo prolem ſuſcipere, quam ex aliis facilimè adipiſcerentur. Ideo nos propoſitum affectum ita definiemus.

Sterilitas muliebris eſt difficultas, vel priuatio impragnationis in fœmina iuſtæ ætatis, & congreſſu virili debitè vtente, ob vitium corporis, membri alicuius principalis, aut partium genitalium, ſiue ſit ab ortu, & natiua conſtitutione, ſiue ex morbo deinceps contractum. Quibus videmur omnia complecti, quæ faciunt ad naturam huius affectus intelligendam. Diximus enim eſſe priuationem vel difficultatem impragnationis, quia agnoſcimus in ſterilitate vteri præcipuam actionem, quæ eſt conceptio, vel eſſe abolitam, vt in iis, quæ nunquam pepererunt quomodocunque vtentes vnius aut plurium congreſſu, vel commodis adiutæ remediis medi

medicis : vel comparatè cum hoc potiùs, quàm cum illo homine coëuntes, vt in primo matrimonio ſteriles, & in ſecundo, aut in aliis fœcundæ, iſtæ enim omnes latè ſumpto ſterilitatis nomine infœcundæ dicuntur. Addidimus, in fœmina iuſtæ ætatis, quia in mulieribus, vt in reliquis omnibus rebus ſua eſt maturitas, & certum tempus perfectionis ad prolem & fructum ſuſcipiendum & producendum, vt enim puellæ ob incrementum corporis,& vaſorum anguſtiam neque pariunt, neque viro tradi debent ante decimumquartum, aut potiùs decimumquintum annum, poſtquam menſtruæ purgationes apparuerunt, quæ oſtendant iam ſupereſſe materiam vtilem, & ad fœtus generationem idoneam. Sic grandiores natu circa quinquageſimum, aut quinquageſimum quintum annum ceſſantibus legitimis purgationibus menſtruis parere deſinunt, & effœtæ euadunt nullo alio vitio; quàm ætatis, quæ rebus omnibus genitis non ſolùm interitum, ſed etiam omnium actionum præcipuè generationis inducit ceſſationem. Poſuimus etiam, (congreſſu virili debitè vtentes) ridiculum enim eſt, quod putauit Auerroës de ſemine in balneo effuſo, & quod narrat Amatus Luſitanus de duabus fœminis, quæ mutuo congreſſu conceperunt, quia ſemen virile, vbi cùm ab aëre ambiente contactum fuerit, contabeſcit ſtatim; & in aqueum liquorem conuertitur diſſipatis ſpiritibus, quibus turgebat, & fœcundum exiſtit præcipuè. Quamuis autem fœmina duplex habeat principium apud Medicos : ſemen ſcilicet

proprium,& ſanguinem menſtruum, quorum illud efficientis quodammodo, hoc verò materialis cauſæ rationem obtinet; attamen,quia ſemen muliebre crudum eſt & imperfectum, aut certè quia non recipit illam vim, quæ teſtibus marium indita eſt, ideo nihil poteſt per ſe ad conceptum vel generationem niſi permixtum ſemini virili, cuius adminiculo efficitur præcipuè,vt generatio ſecundùm ſpeciem propriam perficiatur. Itaque effœta virorum corpora, languidioreque calore, aut cuiuſdam partis præcipuæ & notabilis vitio affecta ob materiæ iſtius prolificæ defectum,quæ fœminæ communicari debet, imò etiam ſola ſeminis virilis diſproportio cum muliebri reddit irritos coitus, & totum generationis opus destruitur, quantumcunque integra & bene ſe habente fœmina. Diximus denique hunc impraegnationis defectum accidere ob vitium alicuius membri corporis, aut ipſarum partium genitalium tam natiuum, quàm aduentitium, quia iſta omnia oportet concurrere, & ſeminis menſtruique ſanguinis debita ſit conſtitutio, ſine qua non poteſt ſequi debita aliqua,& naturalis generatio.

In annotandis autem ſterilitatis cauſis,hęc methodus, ſiue ordo omnium expeditiſſimus mihi videtur, vt cùm ad prolem ſuſcipiendam in muliere quatuor ſint neceſſaria: Primò, vt recipiat commodè viri genituram in congreſſu venereo eiaculatam: Secundò receptam in vtero retineat ad debitum tempus. Tertiò,vt etiam in vtero foueat,& conſeruet: Quartò,vt illam affuſa conueniente materia quaſi nutriat ad formationem &

incre

incrementum embrionis. Hinc fit vt quatuor etiam modis præcipuè generatio in mulieribus impediatur, non recipiendo, non retinendo, non conſeruando, non nutriendo virile ſemē, ad quos deinceps cauſæ omnes tam ex parte rerum naturalium, non naturalium, quàm præter naturam ſunt reuocandæ, vt ſequenti exercitatione fiet manifeſtum.

Primum igitur vitium muliebre generationem impediens diximus eſſe, quando fœmina nō recipit conuenienter fœcundi maris genituram turgentem ſpiritibus, & bene eiaculatam. Illud autem contingit ex parte rerum naturalium, vt quando ætas iuuencula ob exiguitatem partium vel ſtricturam vix poteſt admittere congreſſum pudendi virilis, aut certè magno cum dolore propter quem auerſari ſolent concubitum. Quod eodem modo accidit aliquando illis, quæ parua donatæ ſtatura cum hominibus giganteis, aut certè craſſioris mentulæ coniunguntur; aliȩ propter prouectiorem ætatem calloſas habent iſtas partes & coarctatas, vnde etiam vix intromitti poteſt virile pudendum. Quæcunque etiam naturæ claudæ, diſtortis cruribus, aut nimium diuaricatis, vel depreſſo coxige exiſtunt, vix poſſunt commodam in concubitu figuram præſtare, quæ requiritur ad ſuſceptionem genitalis illius humoris. His addit Hipp. in Aphoriſmis molem pinguedinis inſuetam, & præter naturam, atque omentum, naſum cum aqualiculo prominentiore. Iſta enim non ſolùm coanguſtant vteri orificium, ſed etiam impediunt iuſtum viri

cum fœmina congreſſum, & amplexus accommodatos. Eſt etiam muliercularum intemperies frigida, & quaſi torpida, propter quam neque appetunt, nec delectantur concubitu, ſed velut demortuæ, ac non ſentientes relinquuntur, ac proinde difficile recipiunt ſemen ad interiora, quia vteri orificium non reſeratur hora commoda, & vt oportet. Ex parte verò rerum non naturalium certiſſimum eſt animi pathemata præcipuam hîc vim obtinere; vbi enim adeſt odium inter coniuges, & vnus alium auerſatur, vix fieri poteſt, vt genitura effundatur in vteri cauitatem, quia oportet in congreſſu matricem quaſi geſtientem geniture virili occurrere, illamque benignè ſuſcipere, & ad ſe euocare cum effuſione proprij ſeminis, quod illi commiſceri debet. hæc autem præſtare non poſſunt, vbi mens eſt auerſa ab eiuſmodi voluptate, & refugit cum ſpiritibus & humore benigno ad interiora: idem contingit per odium, timorem, & ſimilia. Imò voluptas nimia, & libido intenſa idem præſtare videntur, dum nimiùm commotus vterus excutit potiùs, quàm ſuſcipit virilem genituram. Omitto infandos meretricum & ſimilium congreſſus, quæ vel clunes agitando, vel præpoſterè ſe habendo, aut retrectando impetum ſeminis virilis, cùm fit eiaculatio illius ingreſſum impediunt, ne imprægnationis moleſtiam ſubire cogantur. Sunt etiam quædam ita perdito animo, vt norint artificioſè interius vuluæ orificium obturare, ne ſemen ingrediatur. Quibus relictis dicamus etiam eſſe aliqua medicamenta, quo

quorum longo vſu iſtæ partes adſtringi, & ita exiccari poſſint, vt vix deinceps aptę ſint ad ſeſe dilatandum, & aperiendum, vt recipiant geniturам maris, quod de ſcoria ferri, & limatura chalybis authores annotarunt, ob cuius diuturniorem vſum in obſtructionibus puellarum noſtrarum pallido colore laborantium credibile eſt plurimas earum, vbi matrimonio iunguntur, ſteriles in totum euadere, aut certè non priùs concipere, quàm omnis illa intemperies paulatim iucunditate coitus, & perfuſione gratioſi illius humoris emendata fuerit. Idem contingere poteſt ex adſtringentibus fotibus, peſſis, & ſimilibus diutius admotis, ſed non ita vehementer, quia eorum vis non tamdiu permanet, neque interioribus viſceribus communicatur. Demum iſtud impedimentum non recipiendi ſeminis virilis pendet frequenter à rebus præter naturam, morboſis ſcilicet omnibus diſpoſitionibus, quæ huic parti obſtructiones, vel adſtrictiones Idiopathicas, vel ſympathicas conferre poſſunt, vt humoribus præter naturam in illa, aut vicinis partibus genitis, calculo veſicæ, vlceribus dolorificis in collo matricis flatuum diſtendentium multitudine, diſtorſione & diuulſione orificij interioris, clauſura ceruicis propter membranam, aut aliam ſubſtantiam ibi exortam, de quibus omnibus primo libro & penultimo capite egimus, vt non ſit opus hîc illa repetere.

Secundum verò vitium muliebre generationem impediens dicebamus eſſe, quando vterus non retinet geniturам maſculi in ſinum illius

interiorem effuſam,quæ ibi coire debet cum muliebri ſemine, & aſſeruari, vt conceptio perficiatur:quædam enim ſtatim poſt concubitum genituram iſtam effundunt; aliæ poſt aliquot horas, vbi primum è lecto ſurrexerunt; quædam poſt vnum aut alterum diem, prout vitium illud maius aut minus fuerit. Atque hæc eſt frequentiſſima cauſa,propter quam mulieres infœcundæ euadũt: cum enim vterus pars ſit recipiendæ totius cacochimiæ idonea, nec non ſingularum partium, vt cerebri,hepatis, & cęterarum, contingit vtplurimùm partem iſtam ſcatere multis excrementis liquidis & pituitoſis,quę ita eneruant vim illius retentricem,vt non poſſit ſeſe colligere poſt cõcubitum ad cõtinẽdam ſuſceptam geniturã,ipſumque ſemen propter ichores illi adhæreſcere non poteſt,ſed quaſi fluitans hinc inde oberrat,donec ſua ſponte prolabatur. In iſtis ergo fœminis humida vteri intemperie naturaliter affectis aliud etiam incommodum cõtingit, nempe orificij illius interioris apertio,& hiatus.Apud Hipp.enim,grauidarum,& quæ conceperunt vteri oſcula ita cõniuere debent, vt ne ſpecilli quidem mucronem admittant. hoc autem malum intenditur potiſſimùm in illis,quæ ſub cælo humidiore habitantes (vt de Scytharum fœminis annotauit Hippocrates)otio etiam abundantes maximo, vtũtur etiam alimentis & balneis humidioribus ad corporis mollitiem conſeruandam: reliqua etiam externa multùm conferre poſſunt, figura enim erecta in coitu ipſo, vel ſtatim poſt illum clamor,ſaltatio, & ſimilia excutere poſſũt receptum in vtero ſemen,

men, quemadmodum de meretricibus, vulgaribus ſcortis creditur illas non concipere, quia frequentiori concubitu quorũcunque advenarum vtentes proiiciunt ſuſceptam genituram in priore concubitu, & vterum ita debilitant, vt deinceps retinendo ſemini ineptus euadat. Inter cauſas autem morbificas, quæ maximè illud efficere poſſunt, recenſentur gonorrhæa virulenta, & fluor ille albus, quo laborantes mulierculæ, aut propter fœdam illam proluuiem ſemen inquinant, aut vterum ita habent reſolutum, vt nullo modo retentioni ſit idoneus. Idem etiam præſtant vterinæ exulcerationes, aut cicatrices grandiores inductæ poſt curata vlcera; quia inductæ læuitate morboſa ſemen vtero adhærere non poteſt; & quia contractionem fibrarum impediunt, vnde ſequitur ſubitus ſeminis efflux us; atque hæc de ſecundo vitio ſufficiant.

Tertium verò vitium muliebre ſequitur, propter quod conceptio fieri nequit, quamuis enim eiaculatum ſemen virile prolificum, & in ſinum vteri receptum fuerit, ibique retentum per aliquod tempus ſufficiens ad primam conformationem delineandam, ceu tres ampullas ab Hippocrate commemoratas excitandas, quod ſex vel ſeptem dierum ſpatio perfici exiſtimauit, attamen certũ eſt præter iſta debere eſſe ſemen, conſeruari & foueri in vtero, tamquam familiari & accommodato loco propter illius Idiotyncraſiam ad id muneris à natura fabricatam, tum etiam alias conditiones

neceſ

neceſſarias, quæ illius temperiem conſequuntur, vnde ex illis immutatis contingit ſemen in vtero potiùs corrumpi, quàm perfici, & vim illius plaſticam aboleri, aut certè admodum deprauari, quod ex multis obſeruare licet, quæ ex occulta quadam conſtitutione, vel certa antipathia cum virili ſemine nunquam prolem ſuſcipere potuerunt, quamuis cauſæ nullæ ordinariæ illud impedientes appareant. Hinc apud noſtros vulgatum eſt aliquem perpetuò eſſe marem, vel fœminam in qualibet familia, qui ineptus ſit ad generationem. Hippocrates hoc videtur confirmare aph. illo inſigni 62. ſect. 5. & ad vulgares intemperies referre videtur, dum ait mulieres quæ habent frigidos & denſos vteros non concipere, quæ etiam præhumidæ ſunt, quia in illis extinguitur ſemen, nec illæ, quæ ſiccos admodum & calidos habent, quia inopia alimenti corrumpunt ſemen, quæ verò vtrinque mediocrem habent temperaturam has eſſe fæcundas, quamuis enim per varias intemperies iſtas tam natiuas, quàm aduentitias generatio impediatur, quatenus receptio virilis ſeminis, illius conſeruatio, retentio, & debita nutritio per illas impediuntur: non etiam neganda eſt peculiaris illa & occulta diſpoſitio, quæ idem potentiſſimè præſtare poteſt ratione conſeruationis ſeminis, ſic omnia aſſumpta & admota, quæ à veteribus ἀτόκιον, & ϕθόριον vocabantur, non ſolùm manifeſtis, ſed etiam occultis qualitatibus apta ſunt extinguendo ſemini, & extinguendæ generationi, vt narrant de lapide gagate, oſſe cordis ceruini, vulua ca-

præ

præ aut mulæ, ſapphyro, ſmaragdo & Capſura, de vermibus nocte lucentibus, aliiſque venenatis, quæ infames meretriculæ conſulere ſolent ad impediendum conceptum; imo quædam alimenta credũtur dyſpathiam habere cum ſemine, & illius vim diſſipare in vtero, vt acetum, mentha, Siſymbriũ aquaticũ & fabæ & ſimilia, ſub quo genere etiam reponenda ſunt maleficia & incantationes, quibus compertum eſt ſcelerata Dæmonum mancipia abuti ad generis humani perniciem, vt enim nodo venereo, & ſimilibus ſortilegiis congreſſus venereus impeditur manifeſtè, ſic etiam prolifica ſeminis vis, & vteri energia corrumpitur. Quibus omiſſis dicamus iſtam ſeminis maſculini conſeruationem maximè labefactari ab illis omnibus affectibus præter naturam, qui venenatæ & malignæ cuiuſdam labis, aut etiam contagioſæ ſunt participes, quales ex vlceribus fœtidis, & cancroſis non ſolùm vterum, ſed etiam reliquum corpus infeſtantibus ex elephantica diſpoſitione, aut phthyſica pendere ſolent, aut etiam venerea lue, quando habitualis, & confirmata euadit. Impoſſibile enim eſt ſemen viri, quantumuis ſani & fœcundi, ſaluum & incolume permanere permixtum eiuſmodi inquinamentis, quæ calori noſtro natiuo & ſpiritibus è Diametro aduerſantur; imò ſi qua proles aliquando ſuſcitetur ex eiuſmodi fœminis, illa aut non debita periodo excluditur, aut morboſa, & inualida, & breuis vitæ generatur, vt ſæpe obſeruauimus.

Supereſt igitur quartum vitium muliebre genera

nerationem impediens, quod maximi eſt inter alia momenti, etenim ſemen fœcundum in vtero retentum & receptum, illiusque accommodata temperie conſeruatum debet præterea habere conuenientem materiam, ex qua fœtus tunicæ & inuolucra illiusque partes augeri & perfici poſſint. Fuit igitur opus duplici materia, ſemine ſcilicet muliebri, quo vteretur potiſſimum ad partes illas ſpermaticas primò delineandas: deinde menſtruo ſanguine, cuius benigna ſubſtantia deinceps irrorari, illius quantitate mediocri & conueniente qualitate accreſcere, & perfici debent. Horum igitur alterutro deficiente euaneſcit conceptus, & quidquid primò conuenienter auſpicatum fuerat, irritum euadit: vnde nimis iuuenculæ, & vetulæ, quamuis concubitu fruantur, ſteriles eſſe ſolent, quia præter iam commemorata à nobis incommoda, deficit in illis vt plurimùm vtraque materia, quam debet mulier ad fœtus productionem ſuppeditare.

Hîc autem exoriri ſolet queſtio apud authores noſtros ſatis controuerſa, vtrùm ſit ſemper neceſſarium menſtrua apparere, & fluere in fœminis, vt generationi ſint idoneæ. De qua nos breuiter ita ſtatuimus, menſtrua omnino deficientia ob ætatē, vt in valde iuuenculis, vel in ſenioribus propter defectum caloris natiui impedire conceptionem, quia omnino ſubſtrahitur materia alendo & augendo foetui neceſſaria: item menſtrua ob morbū deficientia, vt obſtructiones & varias intēperies ſummum etiam afferre incommodū generationi, donec illæ percuratæ fuerint; at verò ſi menſtrua

non

non appareant ob aëris caliditatem, vt de Americanis narrant, vel ob labores, & exercitationes nimias, vel certè pauca profluant, vt in ruſticis quã plurimis, non tamen inde generationem impediri in fœminis iuſtæ ætatis, dummodo tantum ſuperſit interius ſanguinis, quantum eſt neceſſe ad materiam illam ſuppeditandam, quæ in fœminis noſtratibus poſt purgationes ſupereſſe ſolet, quantitas enim materni ſanguinis mediocris eſſe debet, & proportionata cum fœtu alendo. Sic contingit multas puerperas imprægnari, antequam denuo menſtrua in illis poſt partum apparuerint; & quæcunque fœminæ graciles paucum habent ſanguinem faciliùs concipiunt inſtantibus menſtruis, quia tunc ſuppetit conueniens ſanguinis quantitas: contra verò bene habitæ, & ſanguineæ deſinentibus menſtruis, poſtquam ablata eſt portio ſanguinis ſuperflua, quã ſemen in principio conceptionis obrueretur. Atque hæc de propoſita difficultate. Apud Hipp. 6. Epid. mulier virago neque Hermaphrodita, quia in illis corruptio, ſiue mixtio ſexus oſtendit ſeminalem, & ſanguineam materiam abſumi in alios vſus, aut certè illas non habere vteros rite diſpoſitos & conformatos ad ſuſcipiendum, fouendum & nutriẽdum virile ſemen. Sic ebriæ, & guloſæ rarò concipiunt, quia crapulæ copia ſuffocat calorem natiuum, & omnes coctiones peruertit, quæ ſunt neceſſariæ ad materias illas producendas. Idem dicimus de hydroporis, quæ ſeſe magna aquæ copia, & intempeſtiuè ingurgitant, quoniam ſerum potiùs quàm ſanguinem laudabilem producunt,

nutri

nutrices contra, quibus adeſt lac copioſum non impraegnantur, aut rarò, quia auertitur iſta materia ad mammas, quae debet confluere in vterum generationis cauſa; eodem modo affectus omnes, qui maciem ſummam corpori inferunt, vt febres acutae & hecticae, quique obſtructiones viſcerum & vaſorum inſignes ſequuntur, generationem remorantur, iam diximus, quia eadem materia intercipitur, aut abſumitur. Atque haec de praecipuis cauſis, quibus generatio in foeminis impeditur, nunc videamus, quibus ſignis internoſci valeant.

Antequam verò ad Diagnoſim iſtius affectus progrediamur, debemus hoc pro fundamento ponere, quod etiam ſuperiùs annotabamus, inter virum & vxorem legitimo matrimonio coniunctos certam quandam proportionem eſſe debere reſpectu ſeminis, temperamenti totius & morum, vt poſſint ex mutuo congreſſu prolem ſuſcipere, ſic enim temperati mares ex temperatis foeminis, & bene habitis, ſi mutua animorum & officiorum conſpiratio fuerit, facilè liberos procreant, atque intemperati mares ex bene temperatis foeminis; at verò valde intemperati intra latitudinem ſanitatis, ſi foeminis iungantur intemperatis in eodem caliditatis exceſſu, vt calidiores viri cum foeminis calidiſſimis, frigidiores cum frigidioribus, & ſic de reliquis, vix aut nunquam foecundos euadere, quoniam iſta intemperamenta nullam mediocritatem conciliare poſſunt ſemini, & aliis cauſis ad generationem neceſſariis; vnde contingit plerumque iſtos tam mares,

mares, quàm fœminas ſteriles permanere non ſimpliciter, ſed reſpectu tantùm habitu alterutrius, & ex ſola permutatione coniugis ſæpe fœcundos euadere. Hoc igitur imprimis inquirendum, & notandum. Secundò certiſſimum eſt ſterilitatem frequentiùs ex parte fœminarum, quàm marium contingere, quoniam fœminæ multò plures cauſas afferunt ad generationem neceſſarias, quàm mares, qui ſemen tantùm genitale extra ſe, & in ſinum muliebrem effundere debent, vt detur principium motus generationi. Illæ verò præter ſemen debent prætereà ſuppeditare locum idoneum, nempe vterum benè præparatum, & materiam alendo fœtui idoneam; at vbi ſunt plures cauſæ ſimul neceſſariæ, ibi etiam plures errores, & defectus contingere poſſunt, ita vt fœminis ſterilitas vt plurimùm ſit adſcribenda. Tertiò denique notandum eſt, in multis coniugio dicatis nullas aliquando manifeſtas ſterilitatis cauſas apparere, quamuis omnes diligenter peruestigentur. In hiſce vt poſſit detegi latens illa occaſio ſterilitatis Hippocrates, & reliqui authores multa ſcripſerunt experimenta, hic, & aph. 59. ſect. 5. ſi mulier non concipiat, & ſcire velis, an ſit conceptioni apta, inuolue illam optimè veſtibus, & ſuffitu per inferiores partes, nam ſi odor videatur tibi penetrare corpus, & ad nares, & os vſque permeare, ſcito illam ſua culpa non eſſe ſterilem, quoniam, inquit Galenus in Comm. Communicatio iſtius qualitatis olfactilis non poſſet fieri ad ſuperiora vſque, ſi quædam inſignis intem-

perius, aut multæ obſtructiones illius purgationem impedirẽt. Alia multa proponit idem Hipp. lib. de ſterilibus, quæ potiùs videntur niti ſola experientia, quàm certa ratione, quemadmodum & illa, quæ Rhaſ. & alij adducunt de proiectione ſeminis virilis in aquam, de granis hordei, vtriuſque coniugis vrina ſeorſim aſpergendis, ita vt quæ germinarint illius oſtendant fœcunditatem, & contra. quibus etſi magnam fidem non adhibeamus, attamen aliquando eis cogimur vti, vt in gratiam Principum & Magnatum, quibus licet diuortium ſterilitatis cauſa contrahere. Nos itaque iſtis præmiſſis ad methodicam Diagnoſin progrediamur.

Quotieſcunque igitur mulier aliqua medicum accedit conſilium petitura de cauſis & remediis ſterilitatis, debet ille imprimis totius corporis habitum & conformationem contemplari, quod Hippocrates naturam appellauit, dum agit de iis, qui ſunt propè ſi ad tabem. quemadmodum enim illi ex collo oblõgo, ſcapulis eleuatis, pectore tabulato, & cruribus gracilioribus dignoſcũtur primo in tuitu; ſic mulieres natura ſteriles, vt procera ſũt nimiùm, vel puſilla ſtatura, pectore amplo cũ exilibus mammis, ventre & lumbis anguſtioribus, cruribus depreſſis & malè conformatis, ex quibus orietur prima ſuſpitio infœcunditatis. Secundò debet conſiderare corporis ſtatum ratione coloris in facie apparentis, qui vt plurimùm repræſentare ſolet interiorem humorum habitum, ratione pinguedinis & maciei, quia vtrumque ſi excedat, maximum affert ad genera-

tionem impedimentum. Tertiò quærat, vtrum aliqua corporis parte dolorem ſentiat, an cerebrum catharris habeat obnoxium, cordis palpitationes vel athemata patiatur, ventriculo ſit imbecilliore vomitibus, aut deiectionibus obnoxia, an bene appetat, an hepatis vel lienis obſtructionibus & tumoribus vrgeatur, quoniam omnia iſta ſeminis muliebris, & ſanguinis rectam conſtitutionem peruertunt. Interrogabit itaque Quartò de menſtruæ purgationis ſtatu ſecundùm ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, & excundi modum: vtrum fluxus albor ante, vel poſt auertetur, cùm illa patiatur. Quintò, percunctabitur de omnibus cauſis euidentibus, quæ aliquid ad hoc conferre poſſunt, vt de natalibus, de familiæ vitiis, de regione vbi degit, viuendi modo, conſuetudine, & ſimilibus externis.

Quibus exploratis accedet tandem ad ipſum coitus modum, vtrum illo commodè vtatur, & ò que delectetur, vel non: vt poſſit demũ percurrere peculiariter quatuor vitia à nobis recenſita ſecundùm eorumdem cauſas, etenim ſi non recipiat ſemen virile, quia non poteſt admittere liberum pudendi ingreſſum vel ratione doloris, vt fit in vlcere: vel obſtructionis propter meatum adſtrictiorem, aut ſubſtantiam aliquam eum obturantem, illum viſu & tactu, aut etiam ægrotantis relatu eis explorandum. Adde quòd per obſtructiones vrina & mẽſtrua purgatio nõ poſſunt conueniẽter effluere. verùm ſi admittat commodum congreſſum virilem cõmodè & indolenter,

ſed emiſſum ſemen ſtatim a concubitu effundat, aut poſt aliquot horas, vbi ſurrexerit, tunc oportet vitium in ipſo matricis orificio interno adeſſe, quod vel durum, vel obturatum, vel diſtortum, vel compreſſum à partibus non ſinit genituram inſinuari in penitiorem vteri ſinum, ſed ex ipſo veſtibulo ipſam reiicit, oportet itaque ex conſtitutione rerum omnium naturalium, non naturalium, aut præter naturam, quæ ibi aut in venereis membris apparebunt, iſtud explorare, imò etiam manu peritæ obſtetricis, vel chirurgi, contrectantis membra iſta genitalia, vt ſolemus in exploranda earum pudicitia, quando apud iudices accuſantur, præſtare. Sin verò admittat ſemen, & retineat per aliquot dies in vteri cauitate, ſed deinde excutiat ſubitò, & ferè immutatum, oportet intemperiem aliquam adeſſe inſignem, vt frigidam, quæ omnes illius functiones reddit imbecilliores; aut humidam, quæ illius fibras relaxat; aut cicatrices quaſdam grandiores, quæ retentionem impediunt. Frigidam intemperiem natiuam vteri agnoſces, tum ex habitu totius corporis, pilorum in pube defectu, menſtruorum paucitate & craſſitate; tum etiam parua, aut nulla delectatione, quam in concubitu recipiunt, aduentitiam verò ex iis omnibus cauſis externis, vel internis prægreſſis, aut adhuc præſentibus, quæ illum refrigerare, & debilitare eum reddere poſſunt: humidiorem verò ex profluuio excrementorum pituitoſiore, menſtruis aquoſis, & albicantibus, fluore albo, qui illas perpetuò infeſtare ſolet, ob rhevmatiſmum totius

tius corporis, vel alicuius partis male affectæ. Si fiat ob gonorrhæam, aut ſaniem ex vlceribus profluentem, illud ſuis peculiaribus ſignis iam propoſitis erit internoſcendum, quemadmodum curationem vlcerum grandiorum ſubſequantur cicatrices illæ retentionem impedientes. Quoties verò fœmina infœcunda genituram quidem admittit, illamque in vtero retinet, nullus tamen conceptus ſubſequitur, oportet illam ibi corrumpi, aut non nutriri. Signa, quòd corrumpatur, erunt, quia ſine vlla imprægnationis nota, aut ſuppreſſione menſtruorum per vnam aut alteram periodum ſemen euaneſcit, & quaſi in flatus reſoluitur; quod ſi contingat ex immenſa aliqua vteri intemperie, quæ ſeminis naturam euertat, illarum notæ ex prædictis erunt repetendæ: ſin veró idioſyncratia vteri, & caloris natiui benignitas corrumpatur ab occultis quibuſdam cauſis, vt malignis medicamentis, vel abſurdis alimentis, quibus plerumque vtuntur in pica, & aliis ventriculi affectibus illud diligenter erit perdiſcendum ex mulieris illius interrogatione, & familiarium relatione. Quorum etiam ſuſpicionem fauent fœdus faciei color, menſtruorum virulentia, & quidam dolor, quem in vtero perſentiunt, quandiu integrum ibi manet ſemen, propter pugnam & diſſidium particulare, quod cum illo habet vterus; ſin verò propter maleficia, & incantationes iſta ſeminis corruptela contingat, aberunt omnia alia ſigna, quæ cauſas internas & externas demonſtrare poſſunt: aderit autem aliquod diuortium inter coniuges, cuius neuter

neuter rationem ſatis appoſitè poſſit reddere. Qui etiam de hac re accuratiùs ſcripſerunt; exiſtimant per huiuſmodi maleficia ejaculationem ſeminis vtriuſque rarò, difficulter, & cum labore quodam, atque anxietate fieri; quoties verò ſeminis corruptela in vtero contingit ob morbos malignos, venenatos, aut contagioſos, vt viſceroſa vlcera, luem veneream confirmatam, diſpoſitionem elephanticam, ſtrumoſam, aut Phthyſicam, tunc iſtorum affectuum manifeſtiſſima aparebunt ſigna, quæ ſatis oſtendent, vnde vitium iſtud proficiſcatur.

Iſtis omnibus abſentibus ſignis, quæ vitia receptionis, retentionis, & conſeruationis ſpectant, demum nutritionis incommoda propter defectum, aut exceſſum conuenientis materiæ alibilis, quam mulier ſuppeditare debet, perluſtranda erunt. primò, inſignis totius corporis pinguedo tam natiua, quàm aduentitia oſtendit ſanguinem in ſaginam partium potiùs conuerti, quàm amandari in vterum ad nutricationem fœtus, quemadmodum exilitas: & deformis macies, vt eſt Aph. 44. ſect. 5. ſignificabit deeſſe materiam conuenientem ad generationis opus, cùm ipſis partibus fœminæ alendis non ſuppetet; omnia etiam externa & interna, quæ abſumunt, aut auertunt iſtam alimoniam, idem oſtendent, vt labores immenſi, vigiliæ immoderatæ, ieiunia coacta, vel ſponte facta; vacuatio ſanguinis immodica per ſuperiores partes, vomitus aut alui fluxus diuturnus, animi mœror, & ſimilia pathemata, morbi omnes depaſcentes humidi alibilis

copiam

copiam, vt febres acutæ vel hecticæ, vlcera fiſtuloſa, aut cauteria multum profluentia, dolores acerbi, & repetentes denotabunt manifeſtè conceptum impediri ob defectum materiæ alibilis, quemadmodum affectus illarum partium, quæ peculiariter aliquid poſſunt ad ſeminis vel ſanguinis productionem, vt cerebri, cordis, hepatis, ventriculi, & ſimilium. Ex mammis lac copioſius profluens impedit ablactãtes non ſolùm ne concipiant, ſed ne menſtruam quidem purgationem patiantur. Maximum ergo infœcunditatis hac in parte ſignũ erit paucitas & raritas menſtruæ purgationis, ſi fœmina alias ſit ſatis bene conſtituta, vt in viraginibus, hermaphroditis & ſimilibus cõtingit. Quodſi omnia defectus ſigna abſint, ita vt plethora potiùs ſimplex, vel cacochimia appareat, vt in poliæmiis, rubicundioribus fœminis genio & crapulæ indulgẽtibus, quibus vterus perpetuo quaſi madore proluitur, tunc ſignum erit non tam adeſſe nutricationis defectum, quàm exceſſum materiæ alibilis ob quãtitatem ſolam, vel qualitatẽ coniunctam, propter quã ſemen in vtero quaſi obrutũ multitudine humoris non poteſt vim illam ſuam plaſticam exercere. iſtæ enim mulierculæ vbi primũ imprægnantur, coloratiores, & venis tumentioribus apparere ſolent ob regurgitantem ad ſuperiora ſanguinem, qui non poteſt ſufficienter abſumi in fœtus incrementum, neque per vterum tunc concluſum expurgari: vnde abortus ſæpiſſimè ſubſequuntur, niſi plethora illa minuatur per phlebotomiam, aut purgationem menſtruam,

quæ in huiuſmodi grauibus vtiliter fieri ſolet, primis præcipuè menſibus per orificia venarum in vteri ceruicem deſinentium. Atque hæc de Diagnoſi.

Quod ad Prognoſin ſpectat, cùm ſterilitas non ſolùm remouenda ſit propter prolem, ſed etiam propter ſanitatem mulieris peculiarem, quia, vt docet Hippocrates, ſteriles fœminæ robuſtiores quidem ad tempus exiſtunt, quàm fœcundæ; ſed libidinoſiores, & morbis valde obnoxiæ, quia nunquam rite expurgantur, ſemine & ſanguine ſuperfluo, à quibus infiniti affectus præter naturam oriri ſolent. Ideo in prædictione debet medicus omnia diligenter perluſtrare ne ſcilicet eam miſerè remediis diuexet, quæ naturaliter, & ex inſito principio ſterilis exiſtit, vel non ſuâ culpa, aut vitio; ſed vnius coniugis defectu, aut diſproportione temperamenti, vt dicebamus. Item conſiderare oportet, vtrum iſtud contingat peculiari inter illos odio, vt quando inuiti coniunguntur matrimonio, vel etiam quando maleficio, incantatione, & ſimilibus tentantur, quia non tam ad medicum, quàm ad alios iſta ſpectare videntur, vt priuſquàm iſtę mulierculæ arti noſtræ ſubiiciantur, impedimenta illa remoueantur. Deinceps autem prænotionem inſtitues, mediam in iſto affectu, ſterilitatem eam ſcilicet eſſe deploratam, quæ ſequitur aliquam affectus ſpeciem immedicabilem, aut vitium inſigne ob uteri contractum, imò fœcunditatem nunquam reſtitui poſſe, priuſquàm omnes cauſæ tam internæ, quàm externæ illam impedientes rite

ſuc

fuerint ſublatæ, aut ſaltem in meliorem ſtatum deductæ: Vnde in Aphoriſmis, quæ præter naturam craſſæ ſunt, non concipiunt, priuſquàm extenuentur. Videndum igitur, priuſquàm ſpem facias fœcunditatis, quid in eiuſmodi affectu promoueri poſſit: in aliis autem, qui incurabiles ſunt, nihil promittendum, neque moliendum, vt pote in diſpoſitionibus hæreditariis, venenatis, & contagioſis, vt elephantica, phthyſica, ſtrumoſa, & venerea, quando iam ſunt confirmatæ in vlceribus, aut cicatricibus grandioribus, necnon vitiis conformationis, quæ emendari non poſſunt, vt antiqua diſtortione ceruicis vteri, ſtrictura orificij interioris, prolapſu matricis inueterato, crurum, aut coxarum, vel etiam oſſis ſacri, & coxigis peruerſione magna. Melius eſt enim iſtas mulierculas non concipere, quia in partu de vita periclitantur, & exitus infanti præpeditur: atque inde Cœnobio potiùs, quàm matrimonio dicandæ. Quæcunque etiam præter ætatis rationem fœcundæ artis beneficio euadunt, vt nimiùm iuuenculæ, aut vetulæ, multa incurrunt incommoda, quia totum corpus earum contabeſcit, & vix ſufficiunt ad ferendas geſtationis, & partus moleſtias; neque vt plurimùm prolem vitalem, aut generoſam producunt. Sunt etiam mulieres, quæ ad tempus tantùm ſteriles exiſtunt, vt in prima adoleſcentia & iuuentute propter intemperiem quandam inſigniorem, verbi gratia, hepatis, & vteri feruorem nimium, quæ deinde circa conſtantem ætatem fœcundæ euadunt, repreſſo eiuſmodi qualitatis exceſſu per

ſolam ætatis mutationem, in quibus omnibus prænidendis prudenter ſe gerere debet medicus, antequam curationi incumbat.

Vt igitur illa conuenienti methodo inſtituatur, reuoluenda erunt animo, & quaſi in numerum reducéda ea omnia, quæ à nobis dicta fuêre de cauſis iſtius affectus, & vitiis, quæ ad illas conſequuntur, vt ex earum artificioſa remotione, aut reductione poſſimus propoſitum nobis ſcopum, quantum artis beneficio ſperari poteſt, attingere.

Incipiemus igitur à rebus naturalibus, vt temperamento totius & partium, ætate, & conſuetudine: deinde acccedemus ad res non naturales, ſeu externas, quas ad certam regulam deducere conabimur, vt omnes huic noſtræ intentioni faueant, & auxilientur: poſtmodum ad res præter naturã veniemus, ſeu affectus malitioſos, qui præcipuè generationi obſtare videntur, vt ex eorum ſublatione, quantũ fieri poterit, fœminę in integrũ tum ſalubritatis, cùm fœcunditatis reſtituantur.

Ac proinde, quod ad res naturales ſpectat, ſiquidem fœminæ, cuius ſterilitas remouenda proponitur, temperamentũ natiuum longè à mediocritate lapſum fuerit, vt fit in valdè picrocolis, phlegmaticis, melancholicis, atque etiam in obeſis nimium, & ſanguineis, aut naturaliter macilẽtis, aut extenuatis, illud imprimis erit curãdum vt prædicta temperamenta, quamuis in latitudine ſanitatis propriæ poſita, modico & paulatino contrariorum vſu corrigantur, præcipuè quando reſpectu habito ad virũ, vt dicebamus, vel ambo ita ſint intemperati, vt commodè generationi incumbere

cumbere non poſſint propter eiuſmodi exceſſum; neque tantùm habenda ratio totius, ſed etiam partium principum, aut ad vitam neceſſariarum, vt cerebri, cordis, ventriculi, & ſimilium, quarum natiuæ intemperies, & infirmitates diligẽter ſunt corrigendæ, priuſquam generationis opus attingere poſſint. Particularis itaque ratio corrigendi iſta intemperamenta reperatur ex lib. ſanit. tuendæ, quos Galenus ſumma elegantia deſcripſit.

Hic tamen ſubeſt dubitatio de valde pinguibus, & macilentis natura, cùm enim dixerimus vtraſque permutãdas eſſe, vt aptæ reddantur generationi; primò quæritur, quæ ſint aptiores iſtarum ad ſobolem producendam: deinde, quantùm permutandæ, quoniam vitium fit vitij fuga, ſi illud ſimpliciter præſtiterimus. Ad primum itaque reſpondeo, macilentas natura pinguibus & obeſis eſſe aptiores ad prolem ſuſcipiendam, quoniam in gracilibus facilè eſt per conuenientem alimoniam corpus reficere, & etiam ſuſcitare benigni humoris copiam, quæ ſufficiat ad ſeminis & ſanguinis materni generationem: vnde fœtus augeri, & nutriri poſſit, cùm in valdè pinguibus difficile ſit illis inediam, aut victum attenuantem inſtituere ob inſitam voracitatem, & quia iam conſueuit alimentalis materia faceſſere in adipem & partium ſaginam, viæque ita ſunt coarctatæ, vt vix ſanguis commodè deriuari poſſit ad vteri vaſa. Adde quòd congreſſus cum obeſioribus valde impeditur ob molem pinguedinis genitalia ferè occultantis, & coanguſtantis tam orificium

internum

internum vteri, quàm proprium corpus, & cauitatem illius. Omitto difficultatem, & labores, quos incurrunt in geſtatione, & etiam in partu, ita vt macilentæ pinguibus hac in parte ſint præferendæ: ita tamen trãsferendæ ſunt vtræque in meliorem ſtatum, non quidem, vt mulieres macilentæ nimium, & immodicè pingues euadant ob rationem iam à nobis priùs allatam, ſed vt ipſæ bonum corporis habitum ratione proprij earum temperamenti adipiſcantur. Sic obeſæ mulierculæ extenuandæ ſunt, non vt omnino macilentę euadant, periculum enim eſſet tabis aut marcoris, ſed vt ſarcina excedente in earum corporibus pinguedinis liberatæ vegetiores, & multò alacriores ad omnia munera exercenda reddantur. Quod ad res alias naturales ſpectat, ſiquidem ætate adhuc immatura fœcunditas impeditur, vt contingit iis, quæ ante pubertatem viro traduntur, nihil ſalubrius, quàm coitus abſtinentiam præſcribere, donec eluceſcente viuidiore ætate menſtrua apparere incipiant, & corpus ſit robuſtius ad ſuſtinendas moleſtias geſtationis & partus; ſi aliqua noxa ſit illata iſtis virginibus in primo congreſſu, vt excoriationis, dilatationis nimiæ, diſtortionis ceruicis pudendi, illa corrigi debent diligenter, priusquàm de nouo venereis rebus incumbant. At verò aniculæ, quibus iam menſtrua defecerunt; non ſunt ampliùs torquendæ remediis, vt prolem ſuſcipiant, ſed potiùs precibus et rei domeſticæ incumbant, relicta iunioribus opera producendę prolis; quia multæ cupidiores prolis hoc modo

in

in grauiſſima pericula, & mortem præcipitatæ fuerunt. ſic viragines, aut Androgynæ, hermaphroditæ, & quæcunque mulieres robuſtiores, aut ad virorum naturam accedentes, vt reddantur aptæ generationi, effœminandę ſunt omni artificio, & ad mores ſexui congruos efformandæ, interdictis omnibus eduliis craſſioris ſucci, laboribus, & exercitationibus, quibus fortiores redduntur, ſemota omni præcipuè politicorum, & bellicorum negotiorum cura, quibus animi efferantur, & procurata conuenienti menſtruorum copia eneruentur. Imò etiam ſi menſtruorum fluxus ad id non ſufficiat, frequenti venæ ſectione & purgatione minuantur humores, atque balneis iteratis ſæpius totus habitus mollior, frigidior & humidior reddatur. Denique in hiſce omnibus à nobis commemoratis illud erit obſeruandum, vt ſiquidem aſſueuerint rei alicui, quæ officere videatur generationi & temperamentum fouere, illam paulatim omittant, & contrariis ſenſim aſſueſcant, ne ſubita conſuetudinis mutatione in morboſam conſtitutionem præcipitentur. Atque hæc de rebus naturalibus dicta ſufficiant.

Rerum autem non naturalium regimen & regula, quam hîc in gratiam fœcunditatis muliebris inſtituimus, complectetur Diætam & ordinem cauſarum omnium externarum, ſine quarum debito concurſu vix eſt poſſibile opus generationis conuenienter perfici. Aër igitur, quem communiſſimam, & frequentiſſimam, cauſarumque potentiſſimam vocauit Hippocrates,

maximam

maximum ad illam iuuandam, vel impediendam imperium obtinet. Nam Aegyptius, verbi gratia, generatione maximè fœcundus, & genialis habetur quoniam temperie ex calido, humidoque gratiſſima præditus corpora fouet, & materia ſeminali perfundit. Vnde apud Aegyptios animantia multa ſponte generantur, partus ſunt frequentiſſimi, non ſolùm gemellorum, ſed quatuor, & quinque fœtuum, vt ſcripſit Herodotus, atque etiam octimeſtres partus, qui alibi omnes infauſti habentur, in Aegypto vitales & proſperi, vt eſt apud Ariſtotelem. Cui rei etiam auxiliantur alimenta regionis illius, & aqua ex flumine Nilo ſumma bonitate, & dulcedine prædita. Vbi verò feruens, & æſtuoſus, vt in Aethiopia: vel gelidus, & rigens, vt in Scythia, quod eleganter annotauit Hippocrates lib. de aëre, aquis, & locis, maxima viget infœcunditas, tam ex parte virorum, quia parum apti ſunt ad venereos amplexus, quàm mulierum, quia corpora & vteros habent valde intemperatos, ſobolique producendæ ineptos. Certiſſimum eſt igitur ex ſola mutatione loci in aërem temperatiorem, aut contrarium diſpoſitioni morboſæ multas mulieres euaſiſſe fœcundas, in quibus nihil proficere poterant alia remedia conuenienter exhibita. Et quemadmodum ratione totius aëris ambientis fœminæ commoda iſta, vel incommoda patiuntur; ſic ratione tempeſtatum anni ſolet faciliùs generatio procedere. Vnde Hippocrates ad id laudauit vernum tempus, velut temperatiſſimum, & in quo videmus reliqua

animan

animantium gratia alacriùs in veneris furias ruere. alij tamen Autumnum eligunt, & Veri præferunt, quia tunc terræ ſemina fœliciſſimè mandantur, & quia ſuccedente leuiori quodam imminentis hyemis frigore genitura virilis in vtero melius retinetur, fœtus commodiùs nutritur, & conſeruatur, quàm æſtate; atque geſtatio minùs moleſta, partuſque facilior, qui deinde circa Aequinoctium vernum contingit. Eſt igitur rite aëris conſtitutio imprimis procuranda, vt mulierculæ iſtæ fœcundæ euadant. Alimentorum non minor habenda eſt cura, tum quia faciunt ad totius, & partium intemperies corrigendas, quę in vtroque officere videbuntur generationi, vt ſupra dicebamus de impinguandis gracilibus, & demacerandis pinguibus ex Galeno: tum etiam quòd multa ſunt alimenta, quæ vel excedentibus ſuis qualitatibus vel ob ſubſtantiæ proprietatem nocent ſterilibus fœminis, ſic mentha, apium, vitex ob ſiccitatis exceſſum creduntur ſeminalem materiam abſumere; poma autem, legumina recentia, inter quæ fabas præcipuè recenſent olera cruda, lacticinia, & acetaria omnia, quemadmodùm aquæ niualis, aut glaciei permixtæ potus ſuo frigore extinguunt, aut valde imminuunt vim illam caloris natiui, quæ maximè debet in generationis opere eluceſcere ſola. Crapula, ſeu nimia cibi & potus quantitas, vt ſupra de guloſis & ebrioſis notabamus, poteſt idem præſtare ſuffocando: Inedia autem & tenuior victus in macilentis reſoluendo, & debilitando. Oportet igitur iſtorum omnium

omnium conuenienter leges ſtatuere, ita vt habito reſpectu ad naturam, & temperamentum ea præſcribamus alimenta ſecundùm ſubſtantiam, quantitatem, & ordinem, quæ aptiora iſtis fœminis conſeruandis, vel reducendis in meliorem ſtatum videbuntur. quod facile eſt vnicuique rei medicæ perito ex communibus tractationibus repetere. Nos autem ad alia tranſeamus, ne in immenſum excreſcat hoc noſtrum opus. Eodem igitur modo ſomnus & vigilia, excreta & retenta, exercitationes & animi pathemata diſponenda erunt ſecundùm varietatem temperamentorum: Vt enim pinguioribus, verbi gratia, penè curæ, labores, & vigiliæ vtiliores; ſic extenuatis ſomnus & quies, ſummaque animi tranquillitas comparanda. Vtriſque etiam menſtrua excretio conueniet ſolita periodo, & iuſta quantitate. Cui rei debet medicus potiſſimùm incumbere illamque, ſi ſuperfluat, moderari: ſi deficiat, prouocare conuenienter victu, & remediis ſuprà à nobis propoſitis. Oportet etiam coitus rationem habere, vt ſcilicet legitimè obeatur animis conſentientibus, & pacificis; corpore integro, neque nimiùm pleno, aut vacuo, calefacto, aut refrigerato; neque violenter & ſuperfluè, nec indebita figura aut ſitu. qui enim generationis, non voluptatis cauſa coëunt, iſta diligenter animaduertere debent, vt ſcilicet vtriuſque ſemen ſit bene elaboratum, quando congreſſuntur, quod potiùs fiet horis matutinis iam peracta coctione, quàm veſpertinis ſtatim à paſtu, & ſi per longiora valla exerceatur

tur, quàm ſi crebrò & tumultuariò. quin etiam ſumma eſt electio coitus ratione menſtruorum, nam illis fluentibus turpe eſt & noxium viro ob fœdam illam proluuiem cum fœmina congredi; inutile etiam, quia nulla conceptio vtplurimùm fieri poteſt vtero tanta humiditate referto: aut ſi fiat, exoritur proles morboſa, & elephantiaſi valde obnoxia; illis verò deſinētibus, iámque repurgato vtero conueniet in fœminis, quæ multa humorum copia ſcatent, imminentibus autem, aut potiùs tempore interualli in illis, quæ pauco ſanguine ſunt prædıtæ. Reſpiciendum etiam diligenter, vtrum fluxione illa alba & virulenta teneatur mulier, & quo tempore, neque tum miſceantur inuicem. Quodſi ſit continua & indeſinēns, perſananda priùs, quàm proli ſuſcitandæ indulgeant. Quodſi liceat etiam quiddam in generationis vtilitatem de figura coitus pudicè proferre, ſit illa naturalis & ſolita, ſine vllo voluptatis incendio, vario ſitu, aut agitatione femorum, quæ impediunt rectam ſeminis in vterum eiaculationem, quam meretrices impudicis illis motibus effugere conantur; in illis tamen, quæ non poſſunt ſatis commodè excipere ſemen in ſinum matricis, laudant quidam authores coitum, qui fit à tergo ferarum more, quia exiſtimant magis rectam eſſe viam ſub hoc ſitu, vt ſemen deferatur in interiorem vteri cauitatem. Poſt coitum debet mulier ſubmiſſo capite elatis cruribus & coniunctis, eodémque ſitu, quo excepit ſemen per aliquot horas permanere, vt genitura intus quieſcat; imò valdè optabile eſt illam poſtea paululum

neuter rationem ſatis appoſitè poſſit reddere. Qui etiam de hac re accuratiùs ſcripſerunt, exiſtimant per huiuſmodi maleficia ejaculationem ſeminis vtriuſque raro, difficulter, & cum labore quodam, atque anxietate fieri; quoties verò ſeminis corruptela in vtero contingit ob morbos malignos, venenatos, aut contagioſos, vt viſceroſa vlcera, luem veneream confirmatam, diſpoſitionem elephanticam, ſtrumoſam, aut Phthyſicam, tunc iſtorum affectuum manifeſtiſſima apparebunt ſigna, quæ ſatis oſtendent, vnde vitium iſtud proficiſcatur.

Iſtis omnibus abſentibus ſignis, quæ vitia receptionis, retentionis, & conſeruationis ſpectant, demum nutritionis incommoda propter defectum, aut exceſſum conuenientis materiæ alibilis, quam mulier ſuppeditare debet, perluſtranda erunt. primò, inſignis totius corporis pinguedo tam natiua, quàm aduentitia oſtendit ſanguinem in ſaginam partium potiùs conuerti, quàm amandari in vterum ad nutricationem fœtus, quemadmodum exilitas: & deformis macies, vt eſt Aph. 44. ſect. 5. ſignificabit deeſſe materiam conuenientem ad generationis opus, cùm ipſis partibus fœminæ alendis non ſuppetet; omnia etiam externa & interna, quæ abſumunt, aut auertunt iſtam alimoniam, idem oſtendent, vt labores immenſi, vigiliæ immoderatæ, ieiunia coacta, vel ſponte facta, vacuatio ſanguinis immodica per ſuperiores partes, vomitus aut alui fluxus diuturnus, animi mœror, & ſimilia pathemata, morbi omnes depaſcentes humidi alibilis

copiam

copiam, vt febres acutæ vel hecticæ, vlcera fiſtuloſa, aut cauteria multum profluentia, dolores acerbi, & repetentes denotabunt manifeſtè conceptum impediri ob defectum materiæ alibilis, quemadmodum affectus illarum partium, quæ peculiariter aliquid poſſunt ad ſeminis vel ſanguinis productionem, vt cerebri, cordis, hepatis, ventriculi, & ſimilium. Ex mammis lac copioſius profluens impedit ablactātes non ſolùm ne concipiant, ſed ne menſtruam quidem purgationem patiantur. Maximum ergo infœcunditatis hac in parte ſignū erit paucitas & raritas menſtruæ purgationis, ſi fœmina alias ſit ſatis bene conſtituta, vt in viraginibus, hermaphroditis & ſimilibus cōtingit. Quodſi omnia defectus ſigna abſint, ita vt plethora potiùs ſimplex, vel cacochimia appareat, vt in poliæmiis, rubicundioribus fœminis genio & crapulæ indulgētibus, quibus vterus perpetuo quaſi madore proluitur, tunc ſignum erit non tam adeſſe nutricationis defectum, quàm exceſſum materiæ alibilis ob quātitatem ſolam, vel qualitatē coniunctam, propter quā ſemen in vtero quaſi obrutū multitudine humoris non poteſt vim illam ſuam plaſticam exercere. iſtæ enim mulierculæ vbi primū imprægnantur, coloratiores, & venis tumentioribus apparere ſolent ob regurgitantem ad ſuperiora ſanguinem, qui non poteſt ſufficienter abſumi in fœtus incrementum, neque per vterum tunc concluſum expurgari: vnde abortus ſæpiſſimè ſubſequuntur, niſi plethora illa minuatur per phlebotomiam, aut purgationem menſtruam,

quæ in huiuſmodi grauibus vtiliter fieri ſolet, primis præcipuè menſibus per orificia venarum in vteri ceruicem deſinentium. Atque hæc de Diagnoſi.

2. Quod ad Prognoſin ſpectat, cùm ſterilitas non ſolùm remouenda ſit propter prolem, ſed etiam propter ſanitatem mulieris peculiarem, quia vt docet Hippocrates, ſteriles fœminæ robuſtiores quidem ad tempus exiſtunt, quàm fœcundæ; ſed libidinoſiores, & morbis valde obnoxiæ, quia nunquam rite expurgantur, ſemine & ſanguine ſuperfluo, à quibus infiniti affectus præter naturam oriri ſolent. Ideo in prædictione debet medicus omnia diligenter perluſtrare ne ſcilicet eam miſerè remediis diuexet, quæ naturaliter, & ex inſito principio ſterilis exiſtit, vel non ſua culpa, aut vitio; ſed vnius coniugis defectu, aut diſproportione temperamenti, vt dicebamus. Item conſiderare oportet, vtrum iſtud contingat peculiari inter illos odio, vt quando inuiti coniunguntur matrimonio, vel etiam quando maleficio, incantatione, & ſimilibus tentantur, quia non tam ad medicum, quàm ad alios iſta ſpectare videntur, vt priuſquàm iſtę mulierculæ arti noſtræ ſubiiciantur, impedimenta illa remoueantur. Deinceps autem prænotionem inſtitues mediam in iſto affectu, ſterilitatem eam ſcilicet eſſe deploratam, quæ ſequitur aliquam affectus ſpeciem immedicabilem, aut vitium inſigne ab ortu contractum, imò fœcunditatem nunquam reſtitui poſſe, priuſquàm omnes cauſæ tam internæ, quàm externæ illam impedientes rite

ſuc

fuerint ſublatæ, aut ſaltem in meliorem ſtatum deductæ: Vnde in Aphoriſmis, quæ præter naturam craſſæ ſunt, non concipiunt, priuſquàm extenuentur. Videndùm igitur, priuſquàm ſpem facias fœcunditatis, quid in eiuſmodi affectu promoueri poſſit: in aliis autem, qui incurabiles ſunt, nihil promittendum, neque moliendum, vt pote in diſpoſitionibus hæreditariis, venenatis, & contagioſis, vt elephantica, phthyſica, ſtrumoſa, & venerea, quando iam ſunt confirmatæ in vlceribus, aut cicatricibus grandioribus, necnon vitiis conformationis, quæ emendari non poſſunt, vt antiqua diſtortione ceruicis vteri, ſtrictura orificij interioris, prolapſu matricis inueterato, crurum, aut coxarum, vel etiam oſſis ſacri, & coxigis peruerſione magna. Melius eſt enim iſtas mulierculas non concipere, quia in partu de vita periclitantur, & exitus infanti præpeditur: atque inde Cænobio potiùs, quàm matrimonio dicandæ. Quæcùnque etiam præter ætatis rationem fœcundæ artis beneficio euadunt, vt nimiùm iuuenculæ, aut vetulæ, multa incurrunt incommoda, quia totum corpus earum contabeſcit, & vix ſufficiunt ad ferendas geſtationis, & partus moleſtias; neque vt plurimùm prolem vitalem, aut generoſam producunt. Sunt etiam mulieres, quæ ad tempus tantùm ſteriles exiſtunt, vt in prima adoleſcentia & iuuentute propter intemperiem quandam inſigniorem, verbi gratia, hepatis, & vteri feruorem nimium, quæ deinde circa conſtantem ætatem fœcundæ euadunt, repreſſo eiuſmodi qualitatis exceſſu per

ſolam ætatis mutationem, in quibus omnibus præuidendis prudenter ſe gerere debet medicus, antequam curationi incumbat.

Vt igitur illa conuenienti methodo inſtituatur, reuoluenda erunt animo, & quaſi in numerum reducẽda ea omnia, quæ à nobis dicta fuêre de cauſis iſtius affectus, & vitiis, quæ ad illas conſequuntur, vt ex earum artificioſa remotione, aut reductione poſſimus propoſitum nobis ſcopum, quantum artis beneficio ſperari poteſt, attingere.

Incipiemus igitur à rebus naturalibus, vt temperamento totius & partium, ætate, & conſuetudine: deinde acccedemus ad res non naturales, ſeu externas, quas ad certam regulam deducere conabimur, vt omnes huic noſtræ intentioni faueant, & auxilientur: poſtmodum ad res præter naturã veniemus, ſeu affectus malitioſos, qui præcipuè generationi obſtare videntur, vt ex eorum ſublatione, quantũ fieri poterit, fæminę in integrũ tum ſalubritatis, cùm fœcunditatis reſtituantur.

Ac proinde, quod ad res naturales ſpectat, ſiquidem fœminæ, cuius ſterilitas remouenda proponitur, temperamentũ natiuum longè à mediocritate lapſum fuerit, vt fit in valdè picrocolis, phlegmaticis, melancholicis, atque etiam in obeſis nimium, & ſanguineis, aut naturaliter macilẽtis, aut extenuatis, illud imprimis erit curãdum vt prædicta temperamenta, quamuis in latitudine ſanitatis propriæ poſita, modico & paulatino contrariorum vſu corrigantur, præcipuè quando reſpectu habito ad virũ, vt dicebamus, vel atrbo ita ſint intemperati, vt commodè generationi incumbere

cumbere non poſſint propter eiuſmodi exceſſum; neque tantùm habenda ratio totius, ſed etiam partium principum, aut ad vitam neceſſariarum; vt cerebri, cordis, ventriculi, & ſimilium, quarum natiuæ intemperies, & infirmitates diligẽter ſunt corrigendæ, priuſquam generationis opus attingere poſſint. Particularis itaque ratio corrigendi iſta intemperamenta repetatur ex lib. ſanit. tuendæ, quos Galenus ſumma elegantia deſcripſit.

Hic tamen ſubeſt dubitatio de valde pinguibus, & macilentis natura, cùm enim dixerimus vtraſque permutãdas eſſe, vt aptæ reddantur generationi; primò quæritur, quæ ſint aptiores iſtarum ad ſobolem producendam: deinde, quantùm permutandæ; quoniam vitium fit vitij fuga, ſi illud ſimpliciter præſtiterimus. Ad primum itaque reſpondeo, macilentas natura pinguibus & obeſis eſſe aptiores ad prolem ſuſcipiendam, quoniam in gracilibus facilè eſt per conuenientem alimoniam corpus reficere, & etiam ſuſcitare benigni humoris copiam, quæ ſufficiat ad ſeminis & ſanguinis materni generationem: vnde fœtus augeri, & nutriri poſſit, cùm in valdè pinguibus difficile ſit illis inediam, aut victum attenuantem inſtituere ob inſitam voracitatem, & quia iam conſueuit alimentalis materia faceſſere in adipem & partium saginam, viæque ita ſunt coarctatæ, vt vix ſanguis commodè deriuari poſſit ad vteri vaſa. Adde quòd congreſſus cum obeſioribus valde impeditur ob molem pinguedinis genitalia ferè occultantis, & coanguſtantis tam orificium

internum

internum vteri, quàm proprium corpus, & cà-uitatem illius. Omitto difficultatem, & labores, quos incurrunt in geſtatione, & etiam in partu, ita vt macilentæ pinguibus hac in parte ſint præferendæ: ita tamen trāsferendæ ſunt vtræque in meliorem ſtatum, non quidem, vt mulieres macilentæ nimium, & immodicè pingues euadant ob rationem iam à nobis priùs allatam, ſed vt ipſæ bonum corporis habitum ratione proprij earum temperamenti adipiſcantur. Sic obeſæ mulierculæ extenuandæ ſunt, non vt omnino macilentę euadant, periculum enim eſſet tabis aut marcoris, ſed vt ſarcina excedente in earum corporibus pinguedinis liberatæ vegetiores, & multò alacriores ad omnia munera exercenda reddantur. Quod ad res alias naturales ſpectat, ſiquidem ætate adhuc immatura fœcunditas impeditur, vt contingit iis, quæ ante pubertatem viro traduntur, nihil ſalubriùs, quàm coitus abſtinentiam præſcribere, donec eluceſcente vividiore ætate menſtrua apparere incipiant, & corpus ſit robuſtius ad ſuſtinendas moleſtias geſtationis & partus; ſi aliqua noxa ſit illata iſtis virginibus in primo congreſſu, vt excoriationis, dilatationis nimiæ, diſtortionis ceruicis pudendi, illa corrigi debent diligenter, priusquàm de nouo venereis rebus incumbant. At verò aniculæ, quibus iam menſtrua defecerunt, non ſunt ampliùs torquendæ remediis, vt prolem ſuſcipiant, ſed potiùs precibus et rei domeſticæ incumbant, relicta iunioribus opera producendę prolis; quia multæ cupidiores prolis hoc modo

in

in grauiſſima pericula, & mortem præcipitatæ fuerunt. ſic viragines, aut Androgynæ hermaphroditæ, & quæcunque mulieres robuſtiores, aut ad virorum naturam accedentes, vt reddantur aptæ generationi, effœminandæ ſunt omni artificio, & ad mores ſexui congruos efformandæ, interdictis omnibus eduliis craſſioris ſucci, laboribus, & exercitationibus, quibus fortiores redduntur, ſemota omni præcipuè politicorum, & bellicorum negotiorum cura, quibus animi efferantur, & procurata conuenienti menſtruorum copia eneruentur. Imò etiam ſi menſtruorum fluxus ad id non ſufficiat, frequenti venæ ſectione & purgatione minuantur humores, atque balneis iteratis ſæpius totus habitus mollior, frigidior & humidior reddatur. Denique in hiſce omnibus à nobis commemoratis illud erit obſeruandum, vt ſiquidem aſſueuerint rei alicui, quæ officere videatur generationi & temperamentum fouere, illam paulatim omittant, & contrariis ſenſim aſſueſcant, ne ſubita conſuetudinis mutatione in morboſam conſtitutionem præcipitentur. Atque hæc de rebus naturalibus dicta ſufficiant.

Rerum autem non naturalium regimen & regula, quam hîc in gratiam fœcunditatis muliebris inſtituimus, complectetur Diætam & ordinem cauſarum omnium externarum, ſine quarum debito concurſu vix eſt poſſibile opus generationis conuenienter perfici. Aër igitur, quem communiſſimam, & frequentiſſimam, cauſarumque potentiſſimam vocauit Hippocrates,

maximam

maximum ad illam iuuandam, vel impediendam imperium obtinet. Nam Aegyptius, verbi gratia, generatione maximè fœcundus, & genialis habetur quoniam temperie ex calido, humidoque gratiſſima præditus corpora fouet, & materia ſeminali perfundit. Vnde apud Aegyptios animantia multa ſponte generantur, partus ſunt frequentiſſimi, non ſolùm gemellorum, ſed quatuor, & quinque fœtuum, vt ſcripſit Herodotus, atque etiam octimeſtres partus, qui alibi omnes infauſti habentur, in Aegypto vitales & proſperi, vt eſt apud Ariſtotelem. Cui rei etiam auxiliantur alimenta regionis illius, & aqua ex flumine Nilo ſumma bonitate, & dulcedine prædita. Vbi verò feruens, & æſtuoſus, vt in Aethiopia; vel gelidus, & rigens, vt in Scythia, quod eleganter annotauit Hippocrates lib. de aëre, aquis, & locis, maxima viget infœcunditas, tam ex parte virorum, quia parum apti ſunt ad venereos amplexus, quàm mulierum, quia corpora & vteros habent valde intemperatos, ſobolique producendæ ineptos. Certiſſimum eſt igitur ex ſola mutatione loci in aërem temperatiorem, aut contrarium diſpoſitioni morboſæ multas mulieres euaſiſſe fœcundas, in quibus nihil proficere poterant alia remedia conuenienter exhibita. Et quemadmodum ratione totius aëris ambientis fœminæ commoda iſta, vel incommoda patiuntur; ſic ratione tempeſtatum anni ſolet faciliùs generatio procedere. Vnde Hippocrates ad id laudauit vernum tempus, velut temperatiſſimum, & in quo videmus reliqua animan

animantium gratia alacriùs in veneris furias ruere. alij tamen Autumnum eligunt, & Veri præferunt, quia tunc terræ ſemina fœliciſſimè mandantur, & quia ſuccedente leuiori quodam imminentis hyemis frigore genitura virilis in vtero melius retinetur, fœtus commodiùs nutritur, & conſeruatur, quàm æſtate; atque geſtatio minùs moleſta, partuſque facilior, qui deinde circa Aequinoctium vernum contingit. Eſt igitur rite aëris conſtitutio imprimis procuranda, vt mulierculæ iſtæ fœcundæ euadant. Alimentorum non minor habenda eſt cura, tum quia faciunt ad totius, & partium intemperies corrigendas, quę in vtroque officere videbuntur generationi, vt ſupra dicebamus de impinguandis gracilibus, & demacerandis pinguibus ex Galęno: tum etiam quòd multa ſunt alimenta, quæ vel excedentibus ſuis qualitatibus vel ob ſubſtantiæ proprietatem nocent ſterilibus fœminis, ſic mentha, apium, vitex ob ſiccitatis exceſſum creduntur ſeminalem materiam abſumere; poma autem, legumina recentia, inter quæ fabas præcipuè recenſent olera cruda, lacticinia, & acetaria omnia, quemadmodum aquæ niualis, aut glaciei permixtæ potus ſuo frigore extinguunt, aut valde imminuunt vim illam caloris natiui, quæ maximè debet in generationis opere eluceſcere ſola. Crapula, ſeu nimia cibi & potus quantitas, vt ſupra deguloſis & ebrioſis notabamus, poteſt idem præſtare ſuffocando: Inędia autem & tenuior victus in macilentis reſoluendo, & debilitando. Oportet igitur iſtorum omnium

tur, quàm ſi crebrò & tumultuariò. quin etiam ſumma eſt electio coitus ratione menſtruorum, nam illis fluentibus turpe eſt & noxium viro ob fœdam illam proluuiem cum fœmina congredi; inutile etiam, quia nulla conceptio vtplurimùm fieri poteſt vtero tanta humiditate referto: aut ſi fiat, exoritur proles morboſa, & elephantiaſi valde obnoxia; illis verò deſinétibus, iámque repurgato vtero conueniet in fœminis, quæ multa humorum copia ſcatent, imminentibus autem, aut potiùs tempore interualli in illis, quæ pauco ſanguine ſunt præditæ. Reſpiciendum etiam diligenter, vtrum fluxione illa alba & virulenta teneatur mulier, & quo tempore, neque tum miſceantur inuicem. Quodſi ſit continua & indeſinens, perſananda priùs, quàm proli ſuſcitandæ indulgeant. Quodſi liceat etiam quiddam in generationis vtilitatem de figura coitus pudicè proferre, ſit illa naturalis & ſolita, ſine vllo voluptatis incendio, vario ſitu, aut agitatione femorum, quæ impediunt rectam ſeminis in vterum eiaculationem, quam meretrices impudicis illis motibus effugere conantur; in illis tamen, quæ non poſſunt ſatis commodè excipere ſemen in ſinum matricis, laudant quidam authores coitum, qui fit à tergo ferarum more, quia exiſtimant magis rectam eſſe viam ſub hoc ſitu, vt ſemen deferatur in interiorem vteri cauitatem. Poſt coitum debet mulier ſubmiſſo capite elatis cruribus & coniunctis eodémque ſitu, quo excepit ſemen per aliquot horas permanere, vt genitura intus quieſcat; imò valdè optabile eſt illam poſtea paululum

obdormiſcere, ſi poſſit:aut certè reſpirationem ad ſe trahere leuiter ſurſum;tuſſim,riſum, loquelam, & omnia per aliquod tempus diligenter vitare,quæ ſemē excutere poſſunt foras, atque vbi ex lecto ſurget id ſenſim & molliter faciat, vitando per aliquot dies omnem ſaltationem, vocis contentionem, iracundiam, compreſſionem veſtium, & ſimilia, quæ huic rei documento eſſe poſſunt. Atque hæc de rebus non naturalibus.

Quibus omnibus ita diſpoſitis deinceps ad Therapiam accedendum eſt omnium illorum affectuum vteri, tam ſympathicorum, quàm idiopathicorum vteri, quibus dicebamus quatuor illa vitia excitari diſtincta vel coniuncta non recipiendi,non retinendi,non conſeruandi, & non nutriendi ſeminis virilis, ſeu fœtus, ex quibus conceptio in mulieribus impeditur. Cùm autem intemperies,vt conſtat ex Aphor. illo 62,ſect.1. inter iſtos affectus præcipuè eluceſcat, maximè ſit familiaris & conſueta,tam ex parte viri,quàm mulieris, ideo curationi intentus medicus debet primùm ad iſtos affectus ſimilares animum conuertere totius ſcilicet corporis partium præcipuarum & vteri potiſſimùm, huic velut telluri ſemina iſta inter ſe concurrentia mandari debēt. Quamuis igitur ex ſuperiori libro, vbi de tumoribus præter naturam vteri,& vlceribus, & ſimilibus agebamus, multa ad hanc rem facientia repeti poſſint:attamen, vt iſta tractatio perfectior euadat, nos hîc paucis curare docebimus intemperies vteri præcipuas ſiue collectione aut extrauaſione humorum in propriam illius ſubſtantiam

tiam, & poros, ex quibus facilè erit aliarum correctionem colligere.

Quotieſcunque igitur vterus intemperie calidiore tentabitur, & cum affluxu humoris, vel ſine illo, qui cognoſcetur, vt hoc etiam addamus, pruritu quodam, & ſenſu acrimoniæ in hiſce partibus, pilorum in pube inſigni ſalacitate, menſtruorum paucitate: vel alieno colore potiſſimùm flaueſcente totius corporis aut ſaltem iecoris feruore, ſiticuloſa diſpoſitione, & ſimilibus; procuranda erit primum victus accommodatio, vitando omnia frixa, piperata, ſalſa, acria & dulcia, vini generoſi, aut meracioris potum, & ſimilia: ita vt res illæ externæ, & non naturales dictæ conſpirent ad refrigerandum modicè, donec illa intemperies ad gradum natiui coloris deducatur, vbi ſubſiſtendú, ne vlteriori mutatione ineptior reddatur vterus generationi. Quod ſi iuſta intéperies ſit cum plethora humoris ſanguinei, vel bilioſi permixtione, non eſt dubium, quin vtraque etiam vacuantibus conuenienter ſit imminuenda, vtpote venæ ſectione ex brachio ſæpe repetita, quando ſanguis ſua multitudine non ſolùm moleſtus eſt, ſed etiam ſibiipſi præpedit viam ad exitum per menſtruas periodos. Ad hoc reſpexiſſe videtur Hippocrates lib. de ſuperfæt. dum ait, mulier, quæ facilè concipiebat, ſi prægnans per longum tempus fieri deſiit, bis per annum à manibus & cruribus venam ſecari ſinat. In vitioſo autem exceſſu parciùs erit agendum, aut omnino abſtinendum erit à Phlebotomia ſaltem ſuperiorú partium, ſed potiùs purgationi

indulgendum ex Cholagogis ſæpius iteratis, vt Syrupo magiſtrali, vel opiata laxante, ſimúlque alterantibus externis & internis pugnandum, vt feruor iſte remittatur. Inter interna accommodatiſſima erunt iuſcula pullorum conuenientibus herbis parata, ſerum lactis caprini verno & æſtiuo tempore manè ſumptum, in quo borraginis, vel cichorij folia ſint per totam noctem infuſa: emulſiones, Iulepi, decocta, conſeruæ florum violæ, nenupharis, & cichorij, atque ex iis comparatæ confectiones, vel opiatæ cum pulueribus triaſant. & diarch. abbatis: externa etiam, vt balnea, fotus, cataplaſmata, & litus conuenient ex vnguento roſaceo & ſandalino, reliquiſque refrigerandi vi præditis, remota tamen Camphura, quia fœcunditati obſtare ex proprietate creditur. Quin etiam iniectiones in vterum inſtituendæ ex aqua roſacea, & endiuiæ, euulſione ſeminum frigidorum, decato hordei: & florum nymphææ, peſſariam verò ex roſis & floribus violæ contuſis cum pauca farina hordeacea, & oleo roſato, quæ excipientur lana, vel ſtupis cannabinis, vt conuenienter formentur: vix enim in hoc affectu probanda ſunt ſuffimigia ſicca, ſeu thymiamata ab authoribus deſcripta quantumuis ex refrigerantibus rebus parata, quia perpetuò redolent naturam empyreumatis hîc fugiendam. Quodſi in hiſce mulieribus ob caliditatem vteri adſit immoderata coëūdi libido, & immoderata proli ſuſcipiendę, recurrendū erit ad caput illud, quo egimus de vterino furore, quo ſedato, & temperie vteri reſtituta, tunc commemoratis alterantibus

aliqua

aliqua addenda erunt, quæ ex proprietate conceptui conferre poſtea dicemus. Quoniam verò inſignem caliditatem aliquandiu perſeuerantem ſequitur ſiccitas, quamuis ſine illa etiam ſubſiſtere poſſit, ideò intemperiem iſtam vteri naturæ limites ſuperantem, & generationi incommodam dignoſcemus, primùm gracilitate quadam totius corporis, quæ illi vt plurimùm coniungitur, duritie & aſperitate cutis, genitaliúmque partium, potiſſimùm ceruicis, vteri ſtrictura & calloſitate cum rugis aſperioribus, quæ ſolent interius orificium coarctare paucitate menſium, & priuatione humiditatis inter coëundum. Illam igitur curabimus, quando reliquum corpus eſt exuccum & macilentum victu omni analeptico, & refectorio, alimentis ſcilicet, non ſolùm aëream & oleoſam humidi primigenij ſubſtantiam reparantibus, ſed etiam aqueam, vt molliatur & humectetur totus habitus, ſeminiq́ue & menſtruo ſanguini liquidior materia ſuppeditetur; vnde carnibus boni ſucci, iuſculis, conſummatis, piſcibus recentibus, & cum butyro paratis, ouis tremulis, hordeatis, amygdalatis, fructibus horreis delicatioribus, peponibus, oleribus accommodatis & vino commodè diluto illas reficere tẽtabimus. Quodſi maior ſit conſumptio ad curam hecticorũ erunt reuocandæ, vt ſcilicet lactis vſu & balneo frequenti, tota corporis moles irrigetur, & ſi fieri poſſit impinguetur, cui etiam fauebunt ſomnus diuturnior, corporis quies, animi iucunditas, frictiones leuiores, mollis partium attrectatio, & picationes, vt docet Galen. lib. de ſanit. tuend. vteri

regionem eodem modo intus & extra decoctis, fumigiis humidis perfundemus, iuſculis pinguioribus, lacte tepido & recenter mulcto, oleo amygdalarum dulcium recenti, & ſine igne extracto, vel oleo nucis Indicæ, liliorum, iaſemino, & ſimilibus. Oſculum autem vteri interius molle efficere conabimur, invnctione ex recenti medulla cruris vituli, butyro, vnguenti de althæa, vel reſumptiuo, cui aliqua grana moſchi addita fuerint ad vteri recreationem; fit etiam inunctio ex ſucco porri decocto cum adipe gallinaceo poſt tranſacta menſtrua, aut ex iſto liquore conficiuntur peſſaria ex radice liliorum, aut althææ, quæ hanc vteri aſperitatem, duritiem, ſtricturam emendant. Quod ſi alicuius humoris, vt melancholici, aut pituitæ ſalſæ & viſcidæ afluxus hunc affectum fouere videatur, non erit omittenda purgatio leuior ex ſenna & agarico additis correctiuis, quæ temperare poſſint ſiccitatem iſtarum partium.

Sed quia inter iſtas intemperies totius corporis, & vteri cenſemus maximè vulgares & cõſuetas ſterilitatis cauſas, de quibus conſulitur medicus, eſſe frigidam & humidam, ſolas, vel vni iunctas, ideo in illis diutiùs immorandum, & ſeorſim curatio illarum inſtituenda, vnde facilè erit complicatarum therapiam intelligere. Frigiditatem itaque iſtam naturæ, ſeu ſanitatis modum excedentem quæ ſpiſſos, denſos, & occluſos reddere poſſit vteros, vt eſt Aphor. illo cit. 62. ſect. 5. Dignoſcemus primùm ex ſtupido quodam ſenſu, & quaſi torpore partiũ genitaliũ, nullo aut exiguo veneris

veneris appetitu, ita vt cógreſſum ſiue illecebris & ſtimulis exerceant, flatuum aliquádo copia læuitatem vteri diſtendentiũ, aut boiborygmos interiores excitantium, pilorum circa pubẽ raritate, potiſſimùm ſi iſta frigiditas ſit natiua nó aduentitia, menſium paucitate & diuturnitate, cum quodam & alieno colore, vt albeſcẽte, vel liueſcente, animiq; quaſi languore & ignauia aliarum actionum per ſympathiam vteri.

Ad curationem itaq; iſtius affectus accedentes, primò victus ratio præſcribenda, vitent alimenta omnia cruda, acetoſa, & flatus generãtia, vt legumina, rapas, poma, fructus horei, piſces, lacticinia omnia, addendo omnibus eduliis menſes concitantia, coitũ irritantia, obſtructiones aperientia, flatus diſcutientia, vt olera illa odorata, vt naſturtium, erucã, fœnicul. hyſſop. apij & petroſ. radices, ſemen Coriandri, & ſimilia, potus ſit ex vino generoſo, tenui, vel aqua coctionis Cynnamomi, aut bocheto ex ſchinę infuſione parato, omnia etiam aſſa, & aromatibus cõdita exhibeantur. Inter quæ nuces noſtræ iuglãdes Cynnamomo, & garyoph. trãsfixæ, ac ſaccharo, vel melle cõditæ valde commendãtur, ſi vna, aut altera cum pauco vino generoſo ſumatur, aut radix zinziberis viridis eodem modo condita, quæ medicus poterit eligere pro affect⁹, & ęgrotãtis cõditione. Vbi impẽsè refrigeratus eſt vterus, illud imprimis erit proſpiciẽdum, vt defendatur ab omni iniuria aëris externi, cuius appulſu interiores illæ partes maximè afficiũtur. Ad id maximè faciet vſus caligarũ & inuolucrorũ, quæ impediant, ne nouus, aut frigidior appellere

poſſit in interiorem vteri cauitatem,hoc enim artificio multas conualuiſſe certum eſt cum exercitatione paullo validiore,& frixionibus partium internarum.

His ita comparatis cogitandum erit de maioribus remediis in diuturniore, & pertinaci morbo, vt pote ſi adſit copia humoris in ventriculo, hepate, vel cerebro geniti, affectum iſtum augentis, vel conſeruantis, abſumendus erit purgatione conuenienti, diureticis, ſudorificis, & inſenſili tranſpiratione per laconica, ſtuphas, balnea naturalia, quæ etiam calfactioni iſtarum omnium partium, & vteri conducent. Si flatuum adſit copia cum dolore, & diſtenſione, diſſoluantur carminantibus, & diſcutientibus tàm ſumptis, quàm admotis. Sed quoniam in hiſce mulieribus toto corpore, vel vtero refrigeratis ſemen paucum aut aquoſum gignitur, menſtruus ſanguis ſiſtitur, & venus languet. ideo huic rei maximè debet proſpicere medicus, & remediis ad id accommodatis calorem natiuum iſtius partis ſuſcitare, addendo ea, quæ ex proprietate tum generationi conferre, tum etiam veneris ſtimulos addere poſſunt, Itaque conſeruæ omnes, & pulueres caudiaci, electuaria, ſyrupi, opiatæ, ex aromaticis & roborantibus confecta hic maximè prodeſſe poterunt, quorum aliquot formulas magis vſitatas proponamus. Acc.rad,eryngij & ſatyrionis ſaccha. conditarum añ ℥ij. nucem miriſticam, vel vulgarem pariter conditam & fortiter contuſam numero vnam, pincorum recentium, & mundatorum, & piſtatorum

torum ℥ß.ſeminis erucæ, piperis longi, & Cynnamomi añ ʒj. Cineris priapi tauri, & raſuræ eboris añ ʒß. cum ſyrupo conſeruationis calami aromatici fiat opiata. de qua capiat ad quantitatem caſtaneæ manè & ſeró in ingreſſu lecti ſupra bibendo parum vini maluatici vel hipprocratici hyeme præſertim. Quod ſi non ſit obnoxia ſtrangulatui vterino poteris addere puluerem Diamoſchi & Diambræ: vel paretur puluis in ſequentem modum; Ac: piperis vtriusque Cardamomi & ſeminis erucæ añ ʒij. ſeminis vrticæ maris, & gariophyllorum an ʒj. pulueris diambræ ℈ij. raſuræ eboris ℈j. ſacch. albiſſ. ℥iß. fiat puluis de quo capiat cochlear vnum manè & ſerò, cum pauco vino muſcatellino, aut aqua Cynnamomi. In illis autem in quibus omnino ſopita eſt libido, vt potiùs ſtipites, quàm homines venerem exercere videantur, vt & in viris, audent practici noſtri electuarium ſequens præſcribere. Acc: raſuræ priapi tauri, aut cerui, piperis longi, zinziberis & cardamomi añ ʒß. renum ſcincorum ʒj. borracis & cantharidarum capite & alis abſciſſis añ. ℈ß. puluer. Diamoſch. ℈ij. excipiantur gummi, tragacanthi, liquato cum aqua meliſſæ, vel vino albo generoſo. Fiant muſcardini, vel tabellæ ponderis ʒj. capiat vnam in ingreſſu lecti: vel ſi reformides vſum iſtorum ſumatur renes ſcincorum recentes addendo aliquot drachmas ſem. erucæ miſceantur cum melle deſpumato, de quo capiat ad quantitatem fabæ maioris in ingreſſu lecti cum pauco vino generoſo. Exteriùs verò foueantur partes oleo de

nuce indica, aut ſambucino, inunganrur inte-riùs Zibetto, oleo muſcatellino, aut balſamo Indico naturali, (cuius hodie magna copia habetur) fiant peſſaria ex prædicto melle, vel theriaca veteri; cui addi poſſunt pulueres Diambræ & aromat. roſati, aut aliquot moſchi grana cum pauco ſucco Arthemiſiæ, peſſarium ex allio hortenſi contrito cum oleo de ſpica. Hoc mirabilem vim obtinet in ruſticis potiſſimùm & robuſtioribus fœminis. Sed inter alia ſuffitus odorati, & calfacientes, quia penetrare facilè poſſunt interiorem illam vteri cauitatem ſæpius repetendi, cùm ibit cubitum, vt: Acc. trochiſcorum aliptæ, & galliæ muſcatæ ℥iij. garyophil. nucis muſcatæ, & ligni aloës, ſi haberi poſſit, vel ſandali citrini añ. ℥ i ß. beniọini ℥ij. Cynnamomi craſſioris. Fiat omnium puluis de quo formari poterunt trochiſci ℥ ß. cum gummi arabico aqua Arthemiſiæ diſſoluto. horum vnus aut alter coniiciantur ſuper carbones ignitos, & in ſella perforata poſitos excipiat fumum per inferiora veſtibus & linteis obuoluta diligenter, continuet per tres dies ſingulis ſeptimanis, dum præmiſſa priùs purgatione, & dum abſtinet congreſſu virili. Licet igitur ſimilia quàm plurima comminiſci ad frigidam iſtam vteri intemperiem expugnandam, flatus diſcutiendos, menſtruam purgationem iuuandam, & Veneris ſtimulos concitandos in hiſce mulieribus torpidioribus.

Nunc ad humidam illius intemperiem accedamus, quæ vt omnium maximè eſt vulgaris & in

infeſta generationi, ſic etiam à medico diligenter cognoſcenda, & curanda. Iſtiuſmodi itaque affe. ctum cognoſcemus imprimis ex totius corporis molli & laxo habitu, vt contingit in mulieribus natura pituitoſis, aut accidentaria conſtitutione, quemadmodum ſolet in pleriſque macilentis, & ſenioribus, quibus interiora viſcera perpetuis fluxionibus ſcaturiūt, aut cerebrū magnam humoris copiam per catharros ſuppeditat. Menſes igitur adſunt ſeroſi, aut ſaltem Ichores decidunt copiosè ex vtero, quibus continuò madeſcit pudendum, ceruix flaccida ſentitur, oſculum interius hians & apertum percipitur cum pauca veneris voluptate, ita vt virile ſemen vel non attrahant, aut attractum non retineant, aut certè per aliquod tempus retentum excludant obrutum humoris ſuperflui copia. Excrementi autem natura ſeu ſpecies facilè dignoſcitur ex colore, & aliis qualitatibus, quæ menſtruas purgationes comitantur. Eſt igitur huic affectui proſpiciendum exiccando, & abſumendo iſtas humiditates, ſiue in toto, ſiue in aliqua parte redundent, ex qua vtero cōmunicatur: deinde vterum repurgando ab eiuſmodi ſordibus: poſtmodum conſtringendo, & roborādo, vt munere ſuo perfungi poſſit. Ad id primum conueniens Diæta inſtituenda erit, euchyma ſcilicet & exiccans, quæ arceat ab humiditate omni, & humidorum alimentorum vſu, vt olerum humidiorum, fructuum recentium, pomorum, prunorum, piſcium, lacticiniorum, iuſculorum, aquæ nimio potu; aceti & ſimilibus: præſcribanturque exiccantia, & modicè calefacientia, ſiquidem frigiditas iam coniungi videatur, vt pote panem

bis coctum, & aniſatum, modico ſale perfuſum carnes aſſas potiùs, quàm elixas, aromata omnia, tragemata, fructus exiccantes & roborantes, vt ſunt pyra cydonia, pineæ, auellanæ potiſſimùm toſtæ, dactyli, paſſulæ, & ſimilia: vinum rubrum, & generoſum, & decocto Cynnamomi, aut ſeminis coriandri lymphatum: vel in illis, quæ fluxionibus à cerebro ſunt obnoxiæ decoctum ſecundarium ex radice ſalſæ parillæ, quæ commodiſſimè omnium, & potentiſſimè exiccat. præterea imperentur exercitationes frequentes ante paſtum, frixiones aſperiores, vigiliæ moderatæ, vacuationes excrementorum, & ſimilia. Inter quæ non erit omittenda aëris conſtitutio, quem illæ debent omni arte comparare, & etiam mutatione ſoli per aliquod tempus illum conſequi.

Deinde maioribus incumbendũ remediis, nam vt diximus ratione totius corporis, ſi huic affectui conſentire videatur ex cacochymica, vel plethorica conſtitutione, vel alterius partis, vt cerebri, ventriculi, aut hepatis, vacuantia & reuellentia erunt imprimis vſurpanda. quando igitur venoſum genus turget nimia humorum copia nõ abſurdum erit venas cubiti aperire ſanguinemque plus minus elicere pro varia mulieris excrementorum conſtitutione; vel ſi refrigerationẽ ex phlebotomia pertimeſcamus, purgationes inſtituere ſolemus autumno & vere, aut ſingulis menſibus repetere ex opiata laxante, ſyrupo magiſtrali, vel pillulis ſecundùm rem præſentem præſcribendis, quibus ſubnectantur præparantia, exiccantia, & roborantia

roborantia inter quæ primarium locum obtinent diæta ſudorifica ex ligno Gaatiacino per viginti aut triginta dies inſtituta cum debito regimine, in fæminis potiſſimùm obæſis,& valde pituitoſis:in macilentis autem decocto radicis ſchinæ cum victu analeptico, item ſtuffæ, laconica, aut balnea naturalia, qualia ſunt noſtra Balerucana, ex quorum vſu multas mulieres fœcunditatem recuperaſſe certiſſimùm eſt : eodem modo multæ fuerunt perſanatæ adhibitis cauteriis brachio,ceruici,aut cruribus quibus fluxiones copioſiores irruentes in vterum ex variis partibus reuelluntur, & deriuantur.Interea non omitti debent ea quæ exiccare,& roborare poſſunt,vt theriaca, Mithridaticum,tabellæ aromaticæ, et conſeruæ omnes tam ſtimachicæ,quàm Cardiacæ,quibus excitetur vis facultatum naturalium,& caloris inſiti. Hippocrates lib.1. γυναικείων, permulta proponit in hunc vſum,inter quæ practici noſtri receperunt vſum granorum hederæ,quæ ſeptem numero exhibentur mané per triduum cum pauco vino generoſo & veteri,idque ſingulis menſibus repetunt,dum deſiit menſtrua purgatio: alij multùm laudant ad hanc ſterilitatis ſpeciem,vt aloë electa exhibeatur manè & ſerò ad ℈j. nebulis involuta,vel carne prunorum aut aliquo ſimili,vt amaritudo illius abſcondatur atque per decem aut duodecim dies poſt fluxum menſtruum tuncque mulier abſtinere debet à congreſſu virili.

Iſtis omnibus & ſimilibus diligenter præmiſſis poſtmodum ad topica vteri veniendum erit in quorum vſu illud erit obſeruandum vt prius

quàm

in quorum vſu illud erit obſeruandum, vt priuſquàm de exiccatione, adſtrictione, & roboratione vteri cogitemus, attrahantur priùs & expurgentur ſordes in cauitate illius contentæ, ne ſcilicet in partes principes refluant, vel illius ſubſtantiæ magis affligantur. Peſſariis itaque purgantibus & attrahentibus eliciantur eiuſmodi excrementa, deinde reliqua ſubſequantur in ſequentem, ſi volueris, modum. Acc: confect. hieræ picræ ℥ ß. agarici trochiſ. & pulueris Ireos Florentiæ añ. ʒj. mithridat. vet. & diaphœnici añ. ʒ ij. cum ſucco mercur. vel arthemiſ. fiat peſſarium linteolo obuolutum, quod immitti debet in ſinum pudoris, dum ibit cubitum, & ibi ſini per duas aut tres horas, illoque remoto ablui pars iſta decocto roſac. hord. folior. meliſſæ, & abſinthij, poſtea ſequens immittatur. Acc: conſeruæ roſ. & anthos añ. ʒ iii. pulueris aromatici & galangæ añ. ʒ i. thuris & maſtich. añ. ʒ ß. coaguli leporis & raſuræ eboris añ. ℈ ß. miſce cum pauco vino rubro auſtero, formetur vt artis eſt, & ſinatur per reliquam noctem continuando per ſex aut ſeptē dies, quibus finitis fiant fotus, ſemicupia, vel iniectiones ad eundem finem reiterentur, ſuffimigia ex aromaticis dicta, addendo quædam adſtringētia, vt vteri oſculum magis coarctetur; dum hiſce remediis per duodecim aut quindecim dies indulget, abſtineat à coitu, & habeat ſemper aliquid in vſu, quod generationi iuuandæ ſit accommodatum, vtpote ſequentem opiatam, quam ad illud facere certiſſimum eſt.

Acc: conſeruæ rad. ſymphiti, & Satyrionis recen

centium an̄. ℥ ß. corticis citri ſaccharo conditi ʒ ß. mirobalanorum ſaccharo conditorum numero vnum, raſuræ eboris, myrrhæ, & ſem. ſeſeleos, an̄. ʒ i. coaguli leporis, vel matricis eiuſdem puluerifatæ ℈ ii. cynnamomi electi ℈ ß. fiat inſtar conditi, vel cum ſyrupo de abſynthi. pontico inſtar opiatæ, qua vtatur bis in die, vt ſuperius dictum fuit. His itaque præparata, quando in amplexus viriles veniet, vtatur omni induſtria, & artificio iam ſuperiùs commemorato, ad excipiendam, retinendam, & conſeruandam commodè maris genituram, ad quod etiam conferet, ſi ante lecti egreſſum capiat raſuræ eboris, vel coaguli leporini ℈ ß. cum pauco vino rubro adſtringente, aut iuſculo conſummato & regioni hyppogaſtrii, verſus pubem & lumbos duo admoueantur emplaſtra ex adſtringentibus, & roborantibus, vt ſunt de maſtiche, contra rupturam pro matrice, & ſimil. conuenienter emollita cum oleo myrtino vel roſaceo, deinde ſynapiſata pauco puluere granorum chermes & boliarmenæ. Varia ſunt & propè infinita, quæ à practicis noſtris ad iuuandam fœcunditatem laudari & præſcribi ſolent, paucis tamen iſtis recenſitis illud perfici poteſt, ſiquidem ſit ſpes ſanationis in muliere ſterili; nos adhuc tamen quædam addamus in gratiam rei tantùm expertæ. Commendant igitur multi remedium ſequens in omni ſterilitate, quod vocant particulare & ſpecificum: Acc: conſ. & florum citri, & arantiorum an̄. ℥ ii. olei nucis Moſch. per expreſſionem extracti ʒ ii. baccar. Iuniperi, & rad. Cyperi

añ.ʒß.garyophillorum, ſeminis ſeſeleos,ormini, paſtinacæ ſylueſtris, & erucæ añ ʒj. raſuræ dentium apri,& eboris, teſticulorum vulpis & verris puluerisatæ añ.℈j. cum ſyrupo & ſucco meliſſæ & marjoranæ parato, fiat electuarium molle, de quo capiat frequenter poſt conuenientes corporis preparationes, donec impraegnetur: alij in hac ſpecie ſterilitatis potiſſimùm, ſi ſit frigida & humida vteri intemperies coniuncta, ita progrediuntur, primò præparant totum corpus & humores iulepis, ſyrupis, aut apozem. calfac. & incidentibus per aliquot dies, inter quæ valde commendant ſyrupum illum ex ſuccis ſaluiæ & meliſſæ concinnatum, deinde purgant per interualla pillulis, aut potione phlegmagoga; interea præſcribunt invnctiones ad matrici robur comparandū, & illius calorem natiuum recreandum, inter quas laudatur maximè oleum illud nucis moſchatæ, vel garyophillorum per expreſſionem extractum; poſtmodum ſtuphis, balneis naturalibus aut diæta ſudorifica conantur ſuperfluos humores & ſeroſos per habitum corporis excludere, quibus præſtitis peculiarem vteri correctionem moliuntur in hunc modum.

Acc. folior. abſynthij, arthemiſ. Mercurial. rutæ, añ.m.ß. pulpæ colochint ℈j. zinziber. & myrrhæ añ.℈j. fiat decoctio in aqua & vino albo ad ℔. j. in qua diſſolue mel roſatum ℥ij. iniiciantur huius decocti ℥iij. tepidè in matricem continuando per tres aut quatuor dies manè & dum ibit cubitum poſt fluxum menſtruorum. Quibus deinde ſubnectunt ſequens peſſarium, quando

quando vterus magna excrementorum copia ſcatet. Acc: hieræ picræ, & bened.laxat.añ ℥j. pulpæ colochint. & agar.trochiſc.añ ʒß.ſpicæ nardi.ſeminis nigellæ romanæ,& foliorum ſabinæ pulueriſatorum.añ ʒj. incorporentur cum melle aut ſeſato, & involuantur panno ſericeo. Fiant peſſaria,quorum primum iniiciatur in vuluam dum ibit cubitum, & ibi maneat per duas horas, deinde abluatur vino albo, quibus attrahentibus & detergentibus vbi viderint ſatis commodè excrementa vteri repurgata, ad illius adſtrictionem & corroborationem veniunt.v.g. Acc: thuris ac maſtich. añ. ʒ ij. nucum cupreſſi rad. biſtortæ, raſuræ ebor.roſ. rubrarum & alumin.añ ʒj. cum amomi craſſioris & trochiſcorum Galliæ moſch.añ ℈ij.incorporentur cum ſyrupo myrthino, & fiant peſſaria,quæ immittantur in ingreſſu lecti,& ſinantur per totam noctem, continuando per ſpatium decem aut duodecim dierum: quidam ad roborandum vterum pro ſecreto habent peſſarium ab Hippoc.deſcriptum, quod fit ex puluere magnetis cum lacte mulieris. Hiſce peractis rem cum viro habeat, ſecus regimen dictum,& emplaſtra adſtringentia hypogaſtrio & lumbis admoueantur; quod ſi prima vice non conceperit, repetant iſtorum remediorum vſum per tres aut quatuor menſes, præcipuè veris & autumni tempore quoniam eiuſmodi impotentia ſeu infæcunditas eſt de genere chronicorum affectuum;qui non niſi longa temporis mora, crebra remediorum repetitione, animique conſtantia expugnari valent. Iſtis omnibus fruſtra & diu tentatis expectanda mutatio ætatis & aliarum cauſarum externarum ſuperiùs à

nobis annotata; quod ſi non ſolùm fœcundas mulieres efficere propoſitum ſit,ſed etiam vt mares potius quàm fœmellas concipiant, idem regimen & remedia calefacientia & exiccantia erunt vſurpanda. Eſt tamen illud in primis ante omnem curationem animaduertendum ſiue vſurpationem remediorum peculiariter fœcunditati dicatorum, vt vitia malæ conformationis, nempe obſtructionis, diſtortionis colli, aut oſculi interioris,ſolutæ vnitatis cicatricum,aut ſimilium impedimentorum, ſi fieri poſſit, tollantur ,priuſquàm aliquid de remouenda ſterilitate polliceantur, quia omnis vana & inutilis futura eſt medicatio, quæ non arte & recta methodo progreditur, ſed empyricorum more ſine cauſarum & effectuum notitia arcanis quibuſdam & futilibus nititur præſidiis: illorum itaque omnium curationem, quoties opus fuerit, ex ſuperiore libro & aliis tractandis repetere licebit. Supereſt igitur,vt pauca quædam appendicis vice de maleficio ſterilitatem inducente ſubnectamus.

Ex priuatione omnium aliarum rerum iam antè commemoratarum, quæ ſterilitatem inducere valent, cogimur admittere aliquando vim ſuperioris cuiuſdam & occultæ cauſæ, propter quam vxorati aut mutuò diſſidio, aut impotentia coeundi, aut defectu ſeminis prolifici in ætate & temperamento laudabili laborant, in quo caſu omnes faſcinationem accuſant, ſiue illa pendeat à ſceleratis quibuſdam hominibus, qui ope dæmonis, cum quo fœdus contraxerunt, iſta exercent maleficia, ſeu à ſimplici incantatione cara-

ĉterum, imaginum & verborum energia, vt patet ex carmine illo Virgiliano, & illis, qui hodie, dum ſacra verba pronunciantur, *Quod Deus coniunxit homo non ſeparet*, contraria & infauſta ſubmurmurant nón ſine effectu & ligatura, vt quotidiano rerum euentu compertum fiet; & apud iudices ſæpe litigatum, & cuius rei metu, multi non audent hodie nuptias publicè celebrare; ſeu denique illud maleficium pendeat à viribus aduerſæ cuiuſdam conſtellationis, vel malignæ exhalationis ab impuro quodam corpore & informis viri, aut veneficæ mulieris ſpirantis coniugati perfunduntur, aut denique quorundam pharmacorum occulta antipathia, propter quæ coitui obſiſtere poſſe credunt, vt eſt apud Cardanum & alios magiæ ſpeculatores. In hoc igitur caſu vocatus aut interrogatus medicus, vt debet admittere ſuperiores illas & occultas cauſas, vt ex Hippoc. ſententia in prognoſticis, tum ex proprio vſu & experimento confirmatur, ſic etiam cautè & ſolerter explorare debet, vtrùm aliqua fraus lateat, quam ſæpè multi præſtare ſolent, vt connubium diſſoluatur, & alienis indulgeant deliciis. Vbi res comperta eſt, nec diſſimulari poteſt ex defectu omnium aliarum cauſarum non eſt dubium, quin ad fugandam dæmonis & malecii vim, diuini numinis auxilium ſit implorandum ab vtraque coniuge ardentibus precibus, aut à viris pietate præditis, quin etiam omni methodo cõquirendus ſit author nodi illius, ſeu ligaturæ, verborum, imaginis aut caracterum magicorum, nam experientia compertum eſt

illis remotis corruptis, aut in contrarium ſenſum, aut modum prolatis, vel productis, ceſſare incantamentum: ſi pendeat ab aduerſa quadam conſtellatione, vt volunt Aſtrologi, circa horam primi cõcubitus, docent illi, contrariam eligere, vt diſoluatur prioris effectus: ſi à maligna exhalatione impuri, aut horrendi corporis conſpectũ cõtingat, omnia cardiaca & roborantia erũt vtiliſſima & iucundarum rerum, pulchrarumque obiecta, donec vis impreſſióis illius, aut percuſſæ imaginationis terror diſſipatus fuerit: denique, ſi ab occulta pharmacorum proprietate pendeat, oppugnãda erit amuletis, quæ aduerſentur maligni huic qualitati ex proprietate quadam, vnde voluit Cardanus lupi priapum geſtatum omnes iſtas faſcinationes diſſoluere: alij antiqui empyrici & experimentatores vocarunt hypericon, fugam incantationum & dæmonum, quod ideo in cameris ſuſpendi ſolebat. Dioſcorides eandem vim ſcillæ tribuit, rutæ & eryngio: alii ſagapenum ab vtraque geſtatum reliquis præferunt, & infinita omnia alia habent, quibus ego nolim omnino refragari, cum ſuas habeant obſeruationes ad illud probandum, & fortaſſis ob reſtitutam imaginationum vim, ſuum aliquando conſequantur effectum: quicquid ſit duo ſunt præcipuè, quæ faſcinatos eiuſmodi iuuare ſolent. Primum, vt fidenti animo conentur iſta maleficia & incantationes aſpernari; deinde, ſi author maleficii ignoretur, vt locorum mutatione, domos, cubicula, lectos, veſtes, & reliquam ſupellectilem relinquant, in quibus vis illa venefica & faſcinatoria ſæpe abſconditur. Verùm in re tanti momenti, & tam occulta nihil audemus

mus aſſeuerare, hoc tantùm in gratiam philiatrum præſcribere libuit, vt ſi aliquando incidant in illam difficultatem, non ſint omnino deſtituti conſilio & auxilio: nos igitur ad alia pergamus.

De cognitione prægnantium, & earum regimine.

Cap. II.

NON ſolùm iuuanda fœcunditas in mulieribus, vt faciliùs concipiant, ſed etiam dignoſcendus eſt conceptus, vt prægnantium cura conueniens habeatur. neque enim minor eſt medici virtus in retinendo & tuendo ad debitum tempus vſque fœtum, quàm in eodem procurando ſeu producendo: adde quòd fœmina prægnans in ſtatu neutro, & multis calamitatibus expoſitò conſtituta non minus iuuanda eſt tunc temporis, quàm ipſe fœtus. Vnde Hipp. 1. Gynæc. ſcientia multa eſt opus, ait, vt mulier in vtero geſtet puerum, & nutriat & euadat à partu. Præmittamus igitur grauiditatis diag. & prognoſ. pòſt regimen prægnantium & curam earum rerum, quæ illis ſuperuenire ſolent, ſubnectamus. Cùm igitur grauiditas nihil aliud ſit, quàm fœtus in vtero productus ex vtriuſque ſeminis mutuo concurſu in eo debitè retenti & ſanguinis materni in eo benigno appulſu nutriti, ideò vt cognoſcamus eiuſmodi affectum contigiſſe, omnes oportet cauſas diligenter perluſtrare, quæ ad illum producendum concurrere valent & ſolent, & ea

omnia quæ ad illum conſequuntur: Vnde apud Hippocratem, Si genitura per ſeptem dies in vtero retineatur, ſignum eſt conceptus, quia intra illud temporis ſpatium ſolent omnia veluti ſtamina & rudimenta delineari, quæ ad hominem efficiendum ſunt neceſſaria, quæq; deinceps ad quadrageſimum circiter diem perficiuntur, quum ſcilicet omnibus ſuis numeris abſolutus & completus eſt fœtus: ſic enim Theologi & Iuriſconſulti ante illud tempus non putant committi homicidium, ſi fœmina ex ictu abortiat, quia ante perfectionem membrorum organicorum non eſt credibile fœtum informari anima illa humana cœlitùs deriuata, ita vt ante illud tempus cacoroſis, ſue genituræ effluxus potiùs, quàm aborſus nominetur: Genituram autem eſſe attractam & retentam in vtero mas ipſe aliquando agnoſcit, vt potè ſi in illo coitu perceperit virgam validius fuiſſe emulſam & quaſi retractam ſine humectatione locorum muliebrium: fœmina autem ſi tota concuſſa fuerit, & veluti rigore affecta ex maioris voluptatis ſenſu, ipſiuſque vteri contractione ſeſe colligentis circa fundum, vt ſemen prolificum amplexetur, arctiúſque retineat, quod vbi contingit, oportet etiam os vteri interiùs accuratè claudi, & eſt aphoriſm. 51. ſect. 5. Illud autem cùm ipſa mulier, tum obſtetrix perita, immiſſo digito percipit, quia vt docet Hippocrates, ita conniuere debet illud orificium primo conceptus tempore, vt ne ſpecilli quidem mucronem admittat: illa autem clauſura debet ſine duritie, renitentia aut dolore, quæ in affectibus morboſis apparent, ſed cum ſimplici mollitie tractabili, vel

ſola

illa corrugatione cutis illius,vt patet in ſphinctere ani & veſicæ, ad eiuſmodi vteri clauſuram ſequitur retentio menſtruorum,vt eſt aphor. 61. ſectionis 5. Quia ſanguis per inferiora matricis tunc effundi neque poteſt neque debet:non poteſt,quia venarum illarum interna oſcula continentur per cotyledones cum ipſo fœtu ad conſtituenda illa vaſa vmbilicalia: non debet etiam, quia effuſus in cauitatem matricis; ibi diutiùs retentus corrumperetur propter clauſuram orificij, vel erumpens fœtum debilitaret cum periculo aborſus, quapropter vbi menſes in grauidis fluunt, vel purgamenta quædam albicantia & alieno colore prædita effundunt plethoricis & cacochymis potiſſimùm fœminis, tum natura ſibi molitur alias vias,per illa ſcilicet vaſa, quæ in vteri ceruice poſita ſunt.Retentis itaque menſtruis per aliquot tempus, quia ex eorum impedimento & ſuperfluitatibus inficiuntur quodammodo partes, exoritur per interualla horror cum perfrigerationis ſenſu, faſtidium, pica, nauſea, atque vomitus frequens in multis, quæ ventriculo ſunt imbecilliori, donec grauidior fœtus abſumpſerit maiorem partem excrementorum, vel ſepoſita fuerint circa venas illas hypogaſtricas, & cauam deſcendentem, in quibus lochia aſſeruari ſolent ad diem vſque partus: grandiore iam fœtu, accreſcit etiam ventris ipſius moles, non vt in hydropicis diffuſa,ſed collecta,& quaſi acuminata verſus ventriculum, ipſeque fœtus agitari incipit leuiter circa tertium, aut quartum menſem, non motu palpitante, aut conuerſiuo, vt contingit in mola, ſed quaſi in orbem:

& variam ſitus differentiam: tum etiam mammæ augentur, papillarum color immutatur in rubedinem, aut nigredinem quandam, ob incipientem affluxum humorum, tandemque lac in illis colligitur maiore mēſtrui copia in māmas recurrente. propter iſta ſigna, quæ videtur pathognomonica grauiditatis, ſolēt etiā noſtri authores, quæcūque τλωδρε-νόντων ex Hippocratis authoritate proferre, quamuis minùs firma, & ab extrinſecis adiūnctiſque rebus petita, vt pote quandò contingit in mulieribus voluptatis venereæ minor appetentia ob ſaliatum vterinum, quando oculi repente diſtracti, & profundiores, minuſque candidi apparent; recurrentibus ſcilicet iam verſus vterum ſpiritibus, & benigniore ſucco; maculæ etiam in vultu apparent veluti ſolares, radianti nigredine quadam conſpurcatæ, totuſque color nigreſcit & hebeſcit in facie primis quadraginta diebus, dum fœtus perficitur ob eandem cauſam. Sunt etiam, qui ex pulſu & vrina grauiditatis indicia deſumere audent; pulſus enim, inquiunt, in principio profundior, & minutulus ob debilitatum calorem natiuum, & confluentes in vterum ſpiritus, qui ſuccedente tempore attollitur & augetur, valdeque conſpicuus exiſtit in arteriis circa collum poſitis ob refluentes tunc temporis ad ſuperiora humores. Vrina verò, ex Auicennæ placitis, primis quatuor menſibus cruda, & aquoſa, & albicans profunditur; ſequentibus verò craſſa, & quaſi ignita. Practici autem ſuperioris æui, quibus cura fuit ex vrinarum contemplatione omnia augurari, impręgnationem ſtatim ex vrina albicante, in cuius medio apparebat nubes, candida,

vel

vel cui inſperſa erant velut fragmenta, & floſculi bōbacis,lanæ recenter carptæ ſimillimi. Alij obſeruabant in ſuperficie,ſiue ſummitate vrinæ circulum verſicolorem inſtar Iridis,aut Coronæ.noſtri ruſtici adhuc iſta Vranomantia valde delectari ſolent. qua autem ratione fulciatur illud ſignum ex vrinis petitum non eſt facilè aſſignare:ſi tamen aliquid de eo ſtatuendum ſit, exiſtimamus illud eſſe ob diuerſam corporis & humorum acrimoniam, quæ grauiditatis tempore contingere poteſt: albicans igitur & cruda in principio grauiditatis profunditur vrina, quoniam tum calor natiuus in partibus nutritioni dicatis magis eſt debilitatus ob raptum ſanguinis & ſpirituum verſus ipſum vterum:poſtea verò ruffeſcit & inflammatur; quia excrementa paulatim verſus hepar refluere incipiunt; & putredinem quandam concipiunt. Adde quòd ſanguinis ſerum; vrinæ copioſius commiſtione,quia non fluunt menſes, ex cuius affuſione poteſt circulus ille verſicolor in ſuperficie vrinarum apparere. Cur autem contenta bombacina in vrinæ medio videatur, fit fortaſſe, quia calor in eiuſmodi excrementa craſſiora agens, illa quidem attenuat & digerit, ſed non perfectè: Vnde ob permixtionem flatuum ita diuerſa apparent. Sed hæc, cùm multis affectibus aliis poſſint eſſe communia, non eſt omnino illis immorandum. Vbi ſigna iſta omnia aliquid dubitationis relinquant ad aſſerendam grauiditatem confugit ipſe Hippocrates ad quædam experimenta, quibus nititur explorare, vtrùm mulier in vtero conceperit. Aphor. enim 41. ſect. 4. exhibet mulieri dormituræ hydromelitis certam

quantitatem, vt ℥ iiij. vel. vi. nam ſi poſt potum iſtum ſentiat tormina & dolores circa vmbilicum exiſtimat illam eſſe grauidam; ſi verò nullam indè moleſtiam percipiat, non eſſe. Multa etiam habentur alia lib. de ſterilib. quæ longum hîc eſſet, atque ſuperfluum recenſere, cùm enim multas difficultates & dubitationes patiantur, non eſt illis temere fidendum, ſed cum certis conditionibus conſideranti patebit.

Mira eſt Fernelij hac in re experientia, qui lib. pathologiæ, vult vrinam grauidæ mulieris vini albi permixtione ſimilem euadere elixatum fabarum iuſculo: vel illius vrinam aſſeruari per triduum in vaſculo bene obturato extra ſolis radios, dein colari per linteolum rarum; in quo ſi animalcula inſtar pediculorum apparent, ſignum eſſe grauiditatis exiſtimat. quorum omnium certam rationem reddere vix eſt poſſibile. Idem dicas de ſignis illis, quibus ipſemet Hippocrates putauit fœtum maſculinum à fœmineo diſtingui, dum eſt in vtero: etenim ſi marem, inquit, gerat, aphor. 42. ſect. 5. mulier colorarior eſt; ſi fœminam decolor, & 48. ſect. 5. mares dextra vteri parte, ſiniſtra fœminæ magis geſtantur: vnde etiam grauida exurgens manu dextra potiùs incumbit, deambulatura pedem dextrum priùs mouet, oculum habet dextrum limpidiorem, vegetiorem; venæ lateris dextræ turgidiores, & nigricantes apparent: lac autem poſt tertium menſem craſſius & magis compactum ex dextro vbere præcipuè effluit, alacrior exiſtit, citiùs motum embryonis in vtero perſentiſcit, neque

tot

tot ſymptomatis vexatur, ac ſi fœminam geſtaret. mulierculæ noſtrates pro certo habent marem adeſſe in vtero, quando ſtillæ ſanguinis viuidi & bene rubentis frequenter ex nare potiſſimùm dextra erumpunt. verùm de hiſce omnibus, vt iam diximus, prudenter ſidere debemus, omnibusque circunſtantiis penſitatis, & ex collatione cum aliis mulie- bus, proprioque grauidæ temperamento; aliàs enim facilè erit in hiſce decipi, cùm non habeant vnicam cauſam, à qua produci poſſint. Sed multò maior debet eſſe cura medico, qui Magnatum & Principum fœminarum regimini incumbit, vt poſſit præſagire de euentu proſpero, aut infauſto grauiditatis, & occurrere maturè omnibus cauſis & diſpoſitionibus, quæ aliquod incommodum & periculum prægnantibus minitantur.

Quod ad Prognoſin itaque facit aphor. ille 52. ſect. 5 quem confirmat, & repetit Ep d. mulieri, inquit, vterum gerenti, ſi laci multum ex vberibus fluat, imbecilliorem fœtum ſignificat, ſolida verò vbera, & minùs diffluentia, ſalubrem, & bene habitum. Item 34. 37. & 50. eiuſdem ſect. vbi vult diarrh. grauiſſimum grauidis periculum afferre. Item 60. eiuſdem ſect. ſi prægnanti, ait, menſtrua ſolito modo profluant impoſſibile eſt, fœtum bene valere, & ſimil. quæ nos cap. de abortu rurſum proſequemur, ibique etiam oſtendemus, quomodo demortuum in vtero

Si lunâ creſcente parit, partus maris, alter
Eius decurſu virginis ortus erit.

Atque hæc de Prognoſi, nunc ad regimen grauidarum accedamus.

De Regimine Grauidarum.

Cap. III.

GRAVIDARVM regimen in tres partes diuidemus, quarum prima verſabitur circa ſtatum earum naturalem & conſuetum, vt ſcilicet recta victus ratione præſeruentur ab omni incommodo. Secunda docebit, quî euitare poſſint, aut ſaltem lenire ſymptomata illa vulgaria, quæ ratione grauiditatis plerumque accidere ſolent. Tertia verò pars ſpectabit ſtatum earum morbo aliquo graui ſiue acuto ſiue chronico affectarum, vt ſciamus, qua methodo in eiuſmodi affectibus præter naturam, quando illi ſuperueniunt, tractari debeant.

Quoad primam itaque partem, cùm conſtet fætum in vtero contentum eadem materia alibili per vaſa vmbilicalia frui, quâ & mater, ideo in victu hîc præſcribendo eſt magna cura adhibenda, quia vno eodemque tempore duobus eſt proſpiciendum, & vnicus error ſtatim duplicem noxam inferre poteſt.

Alimenta igitur, quæ in Diæta principalem locum

cum obtinere ſolent ratione ſubſtantiæ, qualitatis, quantitatis, & ordinis, optimè ſunt diſponenda in prægnantibus. Ratione quidem ſubſtantiæ, vt ſint euchyma, & eupepta, bonum & laudabilem ſuccum generantia, & quæ in ventriculo faſtidioſæ ob grauiditatem mulieris, & nauſeabundæ facilè conficiantur: ratione qualitatis, ea omnia eligantur, quæ temperatiore ſunt qualitate prædita, aut ſaltem quæ obſiſtere poſſint dominanti in grauida intemperiei, vnde in calidiore fœmina modicè refrigerantia; in humidiore exiccantia præſcribuntur: generaliter tamen vitare debent grauidæ omnia calidiora, acriora, amara & aperientia vel detergentia, vt allia, cæpe, oliuas, cappares, fœniculum marinum, crocum, Cinamomum, piper, vinum album & ſimilia, ne ex eorum vſu aperiantur venarum oſcula, & menſes procreentur, vel vrinæ promoueantur, aut diarrhæa concitetur, quæ omnia ſunt in prægnante pericula, quamuis enim libera in illis debeat eſſe aluus ſponte, aut vſu mediocri alimentorum emollientium, vt prunorum in principio prandij ſumptorum, iuſculorum cum malua, & borragine paratorum, & ſimilium, non tamen profuſè, ne exhauriantur vires, & alimentum fætui præripiatur, flatuoſa etiam omnia, & cruda vitare debent, qualia ſunt poma, olera incocta, legumina, tubera, caſtaneæ, rapæ, fructus horei copioſiùs ſumpti, ne ex illis aut tormina, & cholicus affectus, aut ſaltem inflatio, & diſtentio ventris excitentur. Inter alia etiam ſalſis abſtinere debent, quæ illis enim copioſiùs veſcuntur, vt annotauit Ariſtot. 7. de hiſtor. animal. cap. 4. fœtus imbelles,

imbelles, & ſine vnguibus producunt, quia ſalis vis attenuando diſſoluit facilè quidquid ſolidum & viſcidum eſt in corpore eiuſmodi tenello infantis. Idem diças de quadrageſimali victu grauidis admodum noxio, quia vt plurimùm ex crudis, humidioribus, ſalſis, piperatis, frixis & ſimilib. conſtat. In fine paſtus grauidarum conducantur roborantia, & adſtringentia, tragemata, vel conditurę, aut pyra & cydonia mala ſub cineribus cocta. Noſtrates mulierculæ circa primos menſes ſolent nutrire grauidas delicatioribus & ſaccharatis cibis, vt purior ſanguis fœtus incremento ſuppeditetur: circa vltimum verò nutriunt ſolidioribus, & craſſioribus. v.g. pane ſyncomiſto, vel furfuraceo, carnibus quibuſque, & piſcibus promiſcuè, vt robuſtior fiat infans partui proximus, & viæ incipiant dilatari, quod in alacrioribus fœminis, & bene ſanis, quæque commodè exercentur, non eſt repudiandum: in cacochymis verò, aut infirmioribus valde periculoſum.

Quantitas igitur alimentorum in primis menſibus minor ſit, in vltimis autem copioſior, vt vires reddantur alacriores, ita tamen, vt melius ſit perpetuò grauidas durare in copioſiore, quàm in parciore victu.

In alimentorum verò ordine præmittenda ſemper, quæ facilioris ſunt concoctionis, aut citiùs cedunt, dein roborantia orificium ventriculi, & adſtringentia, aut quæ difficiliùs concoquuntur, aſſumi debent. potus ſit ſemper exiguus, aut ex minoribus poculis accuratè cum cibo permixtus, ne fluctuationes, & borborigmos in ven-

tre pariat, vel diarrhæas excitet, vel immenſam aquarum copiam in vtero generet: vinum etiam rubrum & generoſum modicè adſtringens, & aqua temperatum illis conueniat. hydropotæ autem, ſi habeant ventriculum infirmiorem bibant aquam ex decocto coriandrj: in delicatis tamen primiparis, & moroſis multa concedi poſſunt, ne ex abſtinentia ciborum macilentæ admodum euadant, quod Hippocr. valde reformidat aph. 44. ſect. 5. Atque hęc de alimentis.

Quod ad reliqua. Habenda eſt etiam ratio aëris, quo vtitur prægnans, vt quantùm fieri poterit ab omni exceſſu recedat. quęcunque enim cauſſariæ ſunt mulieres, delicatulæ & alicui morbo peculiariter obnoxiæ, non ſine periculo experiuntur varias aëris inclementias, vt annotauit Hippocr. apho. 12. ſect. 3. Ideo autumni tempore diligenter curare debent imprimis valetudinē propter illam, inæqualitatem caloris & frigoris, quæ tunc vigere ſolet: eodem modo ſub aëris ſenſum reuocare poſſumus colores ſeu picturas, odores, ſonos, & ſtrepitus, à quibus etiam maximè commoueri ſolent. Omnia itaque horrenda & extranea propter colorem aut figuram ſunt diligenter à conſpectu grauidarum remouenda, tum quòd ſubitum terrorem illis incutere poſſint, tum etiam quòd ſpecies aliquando fœtui imprimi ſolet, ſic etiam acidi halitus rerum venatarum, aut virulentiam quandam expirantia, cloacarū, exinctæ lucernæ, & ſimiliū diligēter præcauendi, quia ex huiuſmodi vaporibus, vel interficitur fœtus in vtero, vel matri tanta abominatio creatur, vt ad illum expellendum inſurgat: imò in aliquibus ſuaue

olentia

olentia ſunt vitanda propter motum matricis,quando illius ſuffocationi ſunt obnoxiæ : ſic ſtrepitus tonitruum, tympanorum, bombardarum, & ſubiti clauicarum ſtridores ſunt vitandi, quantùm fieri poterit, propter illam animi conſternationem, quam inferre ſolent, & vehementem aëris motum. Caueant etiam ab omni lotione, & balneo, niſi fortè circa vltimum geſtationis menſem, quando iam dilatandæ videntur partes, & vincula paulatim relaxanda præſertim in ſiccioribus & durioribus.

Circa exercitationem verò corporis ea lex obſeruetur, vt nihil violentum, nihil laborioſum aggrediantur, ſaltationes imprimis, & choreas diligenter vitent, neque quicquam grauius attollere, vel agitare conentur, neque rheda, aut equo vehantur ſuccuſſatorio,vel quicquã tale præſtent, quod commouere poſſit vehementer corpus,aut fœtum comprimere.Vnde etiam in veſtitu ea ratio obſeruanda, vt nihil gerant, à quo coarctari, vel moleſtiam ſuſcipere poſſint, ſed diſſolutis & laxis vtantur veſtibus, quæ etiam fœtui liberum incrementum, & domicilium parent ac permittant:multas enim nouimus elegantiori corporis cultui ſtudentes, quæ noxam, & mutilationes fœtibus ſuis ex iſta integumentorum geſtatione intulerunt; poſſunt tamen lentis & iucundis deambulationibus oblectari, potiſſimùm à ſecundo menſe vſque ad finem ſexti, deinde aduentante ſeptimo & octauo menſe magis quieſcere,quia in illis ſolet natura aliquando parturitiones moliri, ſed infauſtè potiſſimùm, ſi aliquid extrinſecus accidat. Circa finem & medium noni menſis iuuat exerceri alacriùs, vt calor natiuus ſu-

ſcitetur, partes dilatentur, vt fœtus pondere ſuo iam ad inferiora deuolui incipiat. Idem dicas de coitu in grauidis, quæ primis menſibus ab illo debẽt omnino abſtinere, non tantùm metu ſuperfætationis, ſed etiam ne tenellus ille fructus noua eiuſmodi agitatione, aut matricis oblectatione, & apertione nimia excutiatur; circa medios menſes moderatè exerceri poteſt, in vltimo enim creditur eſſe vtilis ad irrigandas ſcilicet, & dilatandas iſtas partes vterinas, dummodo caueatur à nimia ventris mulie- bris compreſſione, aut concuſſione.

Indulgeant magis ſomno, quàm vigiliis, quia ſomnus facit ad concoctionem & retentionem iuuandam. Sit ſumma animi tranquillitas, & temperantia, nullum enim animi pathema in illis innoxium; à repentino enim & vehementi gaudio, immoderato riſu, voluptate inſigni & amore multas malè affectas fuiſſe certum eſt: multò magis ab iracundia grauiore, mœſtitia diuturniore, Zelotypia, &c. Inter alia mirè & frequenter torquentur iſtæ prægnantes immoderata concupiſcentia rerum aſpectarum, vel auditarum, quibus ſi potiri non poſſint, maxima ſæpè pericula incurrunt, vel turpiſſimas fœtibus ſuis notas invrunt. Imò tantam eſſe huius appetentiæ vim annotauit vulgus, vt ſi quid expetitum illis denegetur, in illíus corpus, qui recuſarit, potiſſimum faciem, aut oculorum palpebras maculam inſtar hordeoli excitent, ideo ſolent peritiores mulierculæ, quando pari torquentur appetitu, ex improuiſò natibus vel tibiis ſtatim manum admouere, quia putant eidem parti fœtus, quam primùm in ſe grauida tetigerit, illam notam imprimi,

quam

quamvis enim tantam imaginationi vim non eſſe tribuendam putemus, vt in quæcunque corpora agere valeat ad diſtans, aut in omnem materiam ſuum exercere imperium:atqui nullus rerum naturalium diligens ſpeculator, aut peritus medicus illius potentiam inficiari audeat in proprium & continuatum corpus ad curandos morbos, agitandos humores, conturbãdos ſpiritus,ac proinde cùm fœtus ſit veluti quiddam continuum cum parẽtis corpore,illius ſanguinem & ſpiritus cõtinuò recipiens, quidni ſimiliter iſtas grauiores impreſſiones ſuſcipiet, & conceptas ſpecies communicabit potiſſimùm primis menſibus, quando adhuc mollior, & veluti cereus in quamcumque effigiem facilè tranſformari poteſt?tunc autem illa nota in exterioribus partibus apparet, quando vi facultatis expultricis verſus ſuperficiem corporis eiuſmodi humores illam deferentes expulſi fuerint. Debet igitur ſedula circa iſtas prægnãtes cura adhiberi, ne circum loca illa ducantur, vbi praua edulia habentur,vt hortos, &pomeria,in quibus virent adhuc & ſeruantur fructus immaturi;aut etiã ne quid obijciatur, aut commemoretur coram illis, cuius vſu lædi poſſint, aut quo non poſſint potiri .Atque hæc de Diæta. Nunc ad ſymptomatũ curationẽ,de quibus reſpectu prægnantium dicturi pauca ſumus. Primùm, quod ſpectat ad ventriculi affectus,imbecillitatẽ, ructus,ſingultus,nauſeam,vomitus,cibi faſtidia,deprauatos & picarios appetitus,certũ eſt exoriri in cacochymicis præſertim ob retenta menſtrua, cum quibus eiuſmodi impuritates,& fædi humores repurgabantur. Illi autem coërciti & reſtagnantes modò orificiis,

dus adſtringentibus externis & internis:imò etiam frequenter admouenda vmbilico cucurbitula poſt paſtum, ibiq; relinquenda, donec concoctionis rudimentum factum fuerit, quod etiã iuuat valde ſingultum & ructum à flatu excitatum. In huiuſmodi imbecillitatibus omnibus mirè prodeſt frequẽs vſus pulueris digeſtiui aniſi, & coriandri ſaccharo conditi, & ſimilium: exteriùs verò emplaſtrum de cruſta panis cum aromatibus, vel pelle vulturina ſuprà ventriculi regionem geſtata.

Quodſi propter Apoſitiam prægnans macie contabeſcat, irritandus erit appetitus ferculorum varietate, & munditie: ſumptis etiam frequenter ante cœnam pilulis duabus vel tribus elephanginis, aut ſtomachicis, quibus rhabarb. ſit additum, præcipuè, ſi ob pituitę copiam oriatur iſtud faſtidium, ſyrupo de abſinthio pontico circa horas matutinas: ſi iuncta ſit ſitis vtantur acetoſis, vt ſucco arãtiorum granatorum, quibus æſtuãs ventriculus recreatur. caueant tantùm ab intenſo aquæ frigidæ potu, quia obruit calorem natiuum in illis, & ſeri copiam auget, vnde venter intumeſcit, & grauatur, & alui fluxus pernicioſus aliquando excitatur: At in illis, quæ appetunt quidem, ſed non id, quod naturæ congruum exiſtit, vel abſurda, aliena, & nocua, vt implicatio affectuum, proſpicere debet medicus, vt in meliorem mentem reducantur, blandis ſermonibus & monitis, vt norint, quæ mala ex vſu illarum rerum, tam fœtui, quàm illis impendeant. Quodſi verbis ab intenta cupiditate reuocari nequeant, quæritur, vtrùm iſtiuſmodi expetita illis ſint concedenda, vel deneganda prorſus. Diximus enim ſuperiùs eiuſmodi re-

Sequuntur ventris tormina, & alui fluxus, quibus non rarò prægnantes primis potiſſimùm menſibus corripiuntur. Fiunt autem, quando ſupradicti humores & flatus; quaſi per palydromen ex ventriculo in inteſtina, & aluum inferiorem deferuntur. Cùm itaque vterque affectus in prægnante valde ſit periculoſus; primum diæta erit inſtituenda conuenienter pro modo humoris peccantis: atque etiam roborans, & adſtringens: deinde ad diſcutiendos eiuſmodi flatus, quibus dilaniantur inteſtinorum tunicæ; veniendum erit, antequam ſanguis ex diruptis vteri vaſis propter doloris acerbitatem erumpat, tunc enim vix impediri poteſt aborſus: ſi quis enim tunc diſſipandis flatibus incumbat, magis ac magis augebitur hæmorrhagia; ſi verò adſtringentibus eam compeſcere volueris, accreſcent tormina, & cruciatus ventris. admoueantur igitur loco dolenti ſacculi ex carminantibus in ſartagine frixis, vel cum vino rubro vetere decoctis, modò vitentur aperientia nimiùm, & mollientia: deinde inungatur oleo laurino, & rotaceo cum vnguento reſumptiuo ſimul mixtis, quibus puluis cumini, Ireos florentiæ, & croci commodè addetur. Emplaſtra & cataplaſmata non ſunt illis tam accommodata, quia pondere ſuo grauare poſſunt fœtum in vtero contentum. Ego ſæpe fœlici ſucceſſu illis admoui fruſtum carnis carbonibus calfactæ, & puluere cumini ſynapiſatum, vel omentum arietis recenter mactati, & adhuc calens, vel vino calente inſperſum: ſumant per os parum pulueris corticis citri, vel piperis craſſiuſculè confuſi cum vino

aturium,qui multis hoc temporee xoriri ſolent.Circa medios verò menſes dicebamus vt plurimùm apparere in grauidis infirmioribus palpitationes cordis,lumborum dolores,tuſſes, ſanguinis profuſiones ex vtero,aut aliunde, mammarum inflationes, vel extenuationes nimias.

Quod igitur ſpectat ad cordis palpitationem,& ſaltum, qui contingit in illis aliquando ob nimiam ſanguinis copiam refluentem ad ſuperiores partes, & facultatem vitalem opprimentem : aliàs ob flatus & vapores eleuatos & concluſos in iſtis ſinibus cordis non eſt dubium, quin in priore caſu, ſi inſignis ſit plethora ſanguinea, exercenda ſit venæ ſectio ex ſuperioribus partibus moderata & partita, vt multitudo depleatur, & tota humoris maſſa convenienter euentiletur. multas enim nouimus, quæ perpetuo grauidationis tempore iſtis palpitationibus,lipotimiis, & aſphixia diuexantur cum ſummo abortiendi diſcrimine,donec ſanguinis copia per venæ ſectionem ex bracchio fuerit imminuta, & ex vteri vaſis, vbi diſtenſionem pariebat, reuulſa. In ſecundo autem caſu, quando palpitatio iſta ex flatu, & vapore exoritur, epithemata tam ſolida, quàm liquida, roborantia, & leniter diſcutientia imperanda cum cardiacis frequenter per os aſſumptis : inter quæ confectio alkermes principatum obtinet, quamuis illius vſum quidam imperiti in grauidis reformident, tanquam partum accelerantis : etenim ſi confectio iſta partum inſtantem iuuet vires refocillando, aut propter exiguam Moſchi quantitatem,quæ illius compoſitionem ingreditur,multò magis poteſt in menſibus

xij colores in excreta materia apparent.

In primo caſu, ſi ſanguis fluat moderatè per venas colli matricis, non eſt valde metuendum in plethoricis fœminis, in quibus imminuatur copia redundantis humoris per hæmorrhagiam: ſin verò fluat per interiores venas, ſiue per ruptionem earum, quæ adhærent embryoni, ſiue per anaſtomaſin earum, quæ illi non adhærent perpetuò, periculum eſt aborſus, ſeu propter nimiam hæmorrhagiam, & vteri hiatũ, ſeu propter ſanguinis retẽtionẽ in cauitate vteri, vbi grumeſcens, vel putreſcens infinita mala inferre ſolet.

In ſecundo caſu, ſi refluat ex vtero ſanguis, vel ichor virulentus, ſanioſus, nigricanti, aut pallido colore ſuffuſus, & tetro odore præditus, vt ſignum, & vt cauſa, peſſimis grauidę rebus præfluere ſolet, quia deſignat dominatum malignæ cacochymiæ: Et quia peſſimis ſuis qualitatibus poteſt vterum, & fœtum in varios affectus præcipitare. Minus malum eſt, ſi ſanguis per nares, aut hæmorrhoidas feratur, illique facilius eſt mederi. Illud autem præſtandum erit ex communi methodo, ita tamen, vt omnia prudenter adminiſtrentur, purgantia, adſtringentia, vel repellentia. Venæ ſectio nonniſi coactè adhibeatur, vbi alia nihil profuerint. ligat. frict. cucurbitulæ. In hæmorrhoidum fluxu temperãdus imprimis dolor, ne maiorem materiæ copiam accerſat verſus vteri vaſa proximiora, aut inflammationem inducat.

Supereſt mammarum inflatio, vel extenuatio nimia in grauidis, quæ peculiarem aliquando curationem exigit, vt videre eſt aphor. 53. ſect. 5. & 36. eiuſdem ſect. Quæcunque enim mulieres delicatiores, aut morboſiores nõ poſſũt dare operã alẽdi ſuis

poſt partum relinquat.impediemus, ſi veneris cutem circa quartum menſem laxantibus quibuſdam, vt axungiis, pomatis, vel oleis molliorem reddiderimus:inter quæ cõmendãt pinguedinem,& medullam ex pectoribus arietinis ad putrilaginem decoctis extractam,ſæpiuſque aqua roſacea ablutam; vel pellem canis præparatam,& oleo amygdalarum dulcium imbutam, quam toti abdomini imponũt, vbi opus fuerit; remouet enim omnem duritiem,& cutis aſperitatem. Quòdſi iam factæ ſint eiuſmodi fiſſuræ,& exulcerationes leniter detergentibus & exiccantibus procurãdæ,vt vnguento citrino & roſaceo ſimul mixtis, vnguento de ceruſa,vel ſantalino.vbi verò rugæ,& aſperitates poſt illarum curationem infeſtarint,redeundum ad emollientia iam dicta,vel etiam fotus eadem vi prædictos.

Succedunt tumores partim œdematoſi,aliquando varicoſi, quibus valde conflictantur prægnantes delabentibus humoribus ſuperfluis in partes illas decliues, & longiùs à caloris fonte remotas.

Quod ad varicoſas igitur illas venarum diſtentiones in abdomine, coxis, & cruribus grauidarum frequentiſſimas, quia poſt editum fœtum diſparent ſua ſponte, ſolemus huiuſmodi muliercculis quietem tantùm conſulere, & eleuationem crurum in ſedili, aut in lecto, ne humor tam facilè poſſit ad inferiora deuolui, ſic enim faciliùs ferent illam moleſtiam.

In tumoribus autem œdematoſis, ſi ingens ſit moles ſeroſi humoris,vel flatus,quæ impediat progreſſum, nec non dolorem quendam ex diſtentione

xiii admittere opera experti Chirurgi, vt detumeſcat nimiùm diſtenta veſica.

In duritie autem alui proſpiciendum, ne propter exerendi conatum aliquid mali inſeratur matri, aut fœtui. Ideoque mollienda iſtiuſmodi excrementa. Vtatur alimentis liquidis, vt dicebamus, nempe iuſculis cum butyro, malua & borragine paratis, prunis dulcibus & ſaccharatis prima menſa ſumptis, aliquando leuiter detergẽtibus, vt pane furfuraceo initio prãdij cum iuſculo ſumpto, aut decocto hordei cum pauco melle roſaceo ad tria, vel quatuor cochlearia. Imò, ſi reſpuat iſta per os aſſumenda, nõ eſt tantopere reformidandum, vt ſolent aliqui glãdium vſus ex vitello oui cum pauco ſale, aut clyſterum mollientium in pauca quantitate ex iuſculo cap. veneris, aut maluæ, & ſeminis lini decocto cum pauco melle roſaceo, & oleo liliorum. nam maius eſt multò periculum ex compreſſione illa alui ab excrementis induratis, quàm ab emollitione.

Atque hæc de ſymptomatum communis, & ordinariæ grauidarum conſtitutionis curatione. Nũc, quî ſe gerere debeant, videamus, quoties grauidæ extra naturalem curſum, vt vocant, incidunt in morbos grauiores, chronicos, & acutos.

De Morbis acutis, & chronicis grauidarum.

CAPVT IV.

NOn eſt propoſitum nobis hoc capite de morborum acutorum, & chronicorum, qui prægnantibus corporibus accidere poſſunt, integra, & peculiari cura agere, quia in immenſum creſceret tractatio, & fruſtra hîc eſſent

tur, vt enim primis menſibus quodammodo ferre poſſunt quandam inediam & victum tenuiorem; ſic in mediis minùs, in vltimis minimè propter cauſas ab eo adductas, ita tamen, vt ſi in diæta grauidarum, ægrotantium aliquid peccandum ſit, vel concedendum, perpetuò melius erit ad paulò pleniorem diætam quàm tenuiorem, vel exquiſitam vergere: ex viribus enim vtriuſque maximè ſperanda ſalus, tam in præſenti morbo, quàm in ea, quæ ſubſequitur geſtatione, & futuro partu.

Quoad venæ ſectionem, Hippocrates illam omnino prohibere videtur in grauidis aphor. 30. ſect. 5. mulier, inquit, vterum gerens ſanguine miſſo ex vena, abortit, præcipuè ſi fœtus iam ſit grandior, quod aliqui interpretantur, vt plurimùm, & in imbecillioribus: nam, vt 31. eiuſdem ſect. dixit, grauidam ab aliquo morbo corripi, eſſe lethale, quamuis certum ſit, non omnes, ſed plurimas in acutis interire. ſic de Phlebotomia intelligens: alij autem intelligunt de larga, & profuſiore ſanguinis miſſione, quam putant tantùm veteribus vſitatam fuiſſe, ac proinde ratione quantitatis nimiæ, grauidis acuto laborantibus morbo periculum inferre, non autem ex ſe, etſi artificioſè regatur. Vnde Celſus lib. 2. cap. 10. ſiquidem antiquis ait, primam vltimamque ætatem ſuſtinere non poſſe, hoc auxilij genus iudicabant, perſuaſerantq; ſibi mulierem grauidam, quæ ita curata eſſet, aborſum eſſe facturam: poſtea verò vſus oſtendit nihil ex his eſſe perpetuum aliáſque potiùs obſeruationes adhibendas eſſe, ad quas dirigi curantis conſilium debeat: intereſt enim, non quæ ætas ſit, neque quid intus geratur, ſed, quæ vires ſint,

conſiderare. Nos itaque dicamus Phlebotomiam prægnantibus quocumque menſe,potiſſimùm verò primis, non eſſe denegandam, ſi cauſa morbi, illius ſpecies & magnitudo iſtud auxilium expoſcere videantur, vt in febre putrida, in fluxionibus phlegmonoſis,vt pleuritide,peripneuma.angina, & ſimil. dummodo vires ſint mediocres, quarum firmitas à præſenti medico ex pulſus conſtantia potiſſimùm explorabitur, vt pro earum modulo ea ſanguinis quantitas extrahatur, quæ exhauriendæ plethoræ, reuellendæ fluxioni, & corrigendæ intemperiei ſaluis vtriuſque rebus ſufficere poſſint; quamvis enim ex phlebotomia aliquod aborſus periculum,non tamen minor ſequetur noxa, aut periculum, ſi redundanti ſanguini, magno impetu fluenti & putreſcenti,doloreſque & febrem excitanti nulla exhibeatur vacuatio, aut reuulſio, ſed totum naturæ oppreſſæ negotium committatur. Itaque in re ancipiti, qualis eſt morbus acutus in prægnãte,melius eſt illud præſtare remedium, quod eſt accommodatiſſimum ad eius oppugnationem, quàm miſeram & deploratam ægram metu aborſus,aut deiectionis virium ſine illo relinquere. Aphoriſmus autem citatus,ſiue Hippocratis ſentẽtia magis facere videtur ad prædictionem,quàm prohibitionem huius remedij, vt videlicet ante vſum illius præmoneãtur à medico affines ægri,& adſtãtes de periculo aborſus, ne deinde culpa reiiciatur in eum, ſed in morbum potiùs, cuius magnitudine,& vehementia coactus tale remedium vſurparit. Imò ſi liberè, quod ſentimus, dicendum ſit,melius eſt grauidã periclitari de aborſu in morbo acuto ob vſum phlebotomię,quàm illa omninò priuari

uari,faciliùs enim & frequentiùs hoc modo euadunt, quàm ſi oppreſſæ cauſis morbificis tandem abortiant. Cùm ergo redundent ſæpe ſanguis in prægnantibus,ita vt,ad aborſus præcautionem primis menſibus contra alium morbum, ſæpe ſit educendus, & ſuppetat ad lactis copiam etiam vltimis menſibus ſuſcitandam, non eſt dubium, quin in prædictis caſibus phlebotomiam commodè ferre poſſint, ſi non confertim, at copioſè, ſaltem per epicraſin & partitè, vt ipſe vſus, & experientia quotidiana confirmarunt. Imò, ſi purgationem in grauidis conceſſit Hippocr. vt poſteà videbimus, quando materia turget,cuius vis non eſt ampliùs in manu noſtra poſita,vbi ſemel exhibita fuerit, maioremque multò excitat perturbationem in corpore, quàm phlebothomia, non eſt credibile Hippocratem eo aphor. voluiſſe ſanguinis miſſionem in grauidis ſimpliciter prouidere, ſed tantùm monere de periculo, quod aliquando ſubſequi poteſt. Atque de Phlebotomia,iam de purgatione.

Hippocrates aphoriſ.2.ſect.4. & 29.ſect.5. grauidas, inquit, purgare, ſi materia turget, quadrimeſtres,& ad ſeptimum vſque menſem conuenit,grandiores verò & iuniores cauere, vnde miſera illa periit, 5. Epid. cui catapotium ex elaterio deorſum purgans, ſecundo menſe exhibitum fuerat. Et aphor.34. ſect.5. ſi aluus grauidæ nimium profluat, periculum imminet aborſus. & 27. ſectio. ſeptimę, teneſmus in grauida excitare poteſt aborſum. In quibus apparet Hippocratem fuiſſe dubium, & quaſi anxium in præſcribenda grauidis purgatione,

vbi tamen ea opus eſt, vtpote in redundante caco-chymia per morbos tam diuturnos, quàm acutos, concedere tribus tantùm mediis grauiditatis menſibus, quia iam robuſtior eſt fœtus, & à partu remotum, primis autem & vltimis nonniſi cum cautione & metu præſcribere, potiſſimùm vehementiora illa cathartica ſuo tempore conſueta, primis enim menſibus timet, ne conturbante medicamento excutiatur fœtus ob molliora adhuc vincula: vltimis verò, ne ob maturitatem accęlęretur illius exitus cum vtriuſque calamitate.

Verùm ſi hac etiam in parte ſententiam noſtram aperire liceat, certum eſt mulieribus grauidis morbo acuto, vel longo detentis humorum excrementitiorum dominatu purgationem imperari poſſe turgente, vel concocta materia, quotieſcunque maius impendet periculum ex parte iſtius cacochymiæ morbum committentis, quàm ex communicatione, aut inſuauitate purgantium: imò nullus eſt eorum, qui hodie medicam praxin fæliciter exercent, qui non illas præcautionis cauſas, vt auertātur cauſę morbificę, & affectus varij, quibus tunc corripi ſolent, medicamento cathartico vacuet non tantùm benigniori, qualia ſunt Rhab. myrobál. ſyrup. roſ. ſolut. manna, cathelicon: ſed etiam valentiori, dummodo malignitatis ſit expers, qualia ſunt hodie electuaria noſtra laxatiua ſummo iudicio compoſita ex iis, quæ catharticorum acrimoniam, & agitationem nimiam reprimunt. Poteſt itaque medicus vtiliter & conuenienter illa vſurpare in grauidis purgationi potiſſimùm aſſuetis quocunque grauiditatis menſe, ſecuriùs tamen mediis, vt doctè annotauit

Hippo.

Hippocrates. vſus tamen pilularum in grauidis eſt ſuſpectior, quàm aliorum catharticorum, tum propter validam perturbationem, quam inferunt tum ratione aloës, cuius amarore ingratiſſimo malè affici poteſt, & quia ſolet aperire orificia venarum atque hæmorrhagiá concitare: quòd ſi ea opus eſſe videatur, vt in affectibus propriis vẽtris, ibi lauetur diligenter cũ aqua roſacea, vt eius acrimonia tollatur, vel permiſceatur adſtringentibus & roborãtibus, vtpote rhab. maſtiche & ſimilibus. Idẽ dicas de Clyſteribus, quorum vſum reformidãt non ſine cauſa mulierculæ in prægnantibus ob cõpreſſionem & morſum, quem inducere poſſunt: attamen vbi illis opus fuerit, & in fæminis aſſuetis huic remediorũ generi, non erit ita periculoſus, dummodo minori quantitate iniiciantur, & ex eis comparentur, quæ molliendi, aut leniendi potiùs, quàm pungendi, aut valde detergendi facultate prædita ſunt.

Quemadmodum igitur purgatio artificioſè præſcripta competere poteſt in morbis grauidarum lõgis & acutis: ſic etiam præparantia, alterantia, & concoquentia accommodata, dommodo non præripiant convenientem cibandi occaſionem, quæ vires vtriuſque conſeruat. Ideoque formulæ iſtorum pręparãriorum ſub alimenti ſpecie, vt pote iuſculorum quantùm fieri poterit, erunt præſcribendæ, reliqua autem vacuantia per ſecundam & tertiam corporis regionem, qualia ſunt diuretica, & diaphoretica cautè erunt admittenda. Diuretica enim vera, propterea quòd attenuandi, aut detergendi facultate prædita ſunt, non ſatis tuta in illis videntur, quia menſes eodem modo, quo vrinas commouere poſſunt: ac pro-

inde, vbi opus illis fuerit, leuiora perpetuò in illis præſcribenda, & minus aperientia: ſudorifica tamen poſſunt vſurpari tutiùs, quia exhauriunt ſeroſos humores per ſuperficiem corporis cùm bilioſis aliquãdo excrementis, ideoque nullam vim, aut periculum grauidæ inferunt, dummodo ſint moderata ſine conatu vllo nimio, aut deiectione virium vſurpata: ſic enim multas grauidas, in quibus erat luis venereæ ſuſpicio, aut quarum fœtus ex patre inquinato ſuſceptus fuerat, decocto ligni ſancti, rad. cinæ, aut ſalſæ parillæ per plurimos dies aſſumpto cum diæta conuenienti curatas vidimus. Imò quaſdam, in quibus maior erat iſtius mali labes, obſeruauimus inunctiones ex hydrargyro ab empyricis inſtitutas cum ſputationibus copioſis, conſtanter & impunè ſuſtinuiſſe: vbi enim adſunt cauſæ morbificæ, aduerſus quas valentioribus remediis eſt pugnandum, non eſt dubium, quin natura mediocriter robuſta magis lædatur ex eorum vſu, quàm opprimatur, quia concurrit cum illis ſimul ad conflictum iſtum perficiendum, & poſt partam victoriam fœliciùs conquieſcit, quàm ſi peſſimarum illarum diſpoſitionum inſultibus ad finem vſque imprægnationis conflictaretur. Quæ dicuntur à nobis, non vt ſemper à medico vſurpentur, ſed vt quorundam puſillanimitatem incuſemus, qui in eiuſmodi fœminis nullum audent generoſum remedium, quantumuis artificioſè præſcriptum vſurpare. Iam ad alia igitur tranſeamus.

De Mola, & Monſtris.

CAPVT V.

NAturam Autodidactam, per ſe doctam propter finem agere docuit Philoſophus, quoniam generationes rerum non fiunt caſu, aut fortuitò, nec ex quolibet quidlibet fieri poteſt, ſed ex certo & determinato principio, potiſſimũ ſi illa generatio vniuoca fuerit. Quòd ſi aliquando natura aberret à fine ſibi propoſito, id fit propter cauſarum ad iſtas generationes concurrentium impedimenta, vnde exurgunt errores, & monſtra, nempe effectus quidam à recta & ſolita ſecundùm ſpeciem diſpoſitione degenerãtes. vt enim fiat monſtrum oportet ſimilitudinem ſpecificam non ſeruari cum ſua proxima cauſa principali, verbi gratia, ſi ex ſemine humano ſerpens, piſcis, aut canis generetur; vel certè puer aliquis habens partes iſtorum animalium: tunc enim verè & propriè ſunt monſtra, quia degenerant ſecundùm ſimilitudinem ſpecificam in toto, vel in parte. Illis autem latiore ſignificatione monſtra dicuntur, quoties ratione materiæ deficientis, aut exuperantis. v.g. ſine bracchiis, aut duplici capite: vel ratione qualitatis, ſitus, & ordinis habet aliquas partes malè collocatas, vel conformatas. Vbi ergo cauſæ ad generationem, puta hominis, de quo hîc nobis propoſitum eſt agere, concurrentes & neceſſariæ. v.g. ſemen vtriuſque parentis, materia ipſa, ex qua fieri debet fœtus, nempe ſanguis menſtruus: locus, in quo generatur

vterus ſcilicet, & omnia externa ad illam conferentia, vt cælorum aſpectus, aëris ambientis qualitates, matris imaginatio, & ſim. non fuerint rite diſpoſita, aut non ſeruarint conuenientem proportionem inter ſe, tunc etiam ſequitur defectus, ſeu error in iſta generatione. Vnde vocamus ea omnia monſtra in ſpecie humana, quæcumque in vtero muliebri genita ad alterius animantis ſpeciem & naturam accedentia, ſenſum tantùm, & motum voluntarium habent, aut habere potuerunt. Quæ verò rudia ſunt & informia, nullis diſtincta membris, ſed inſtar globi alicuius aut maſſæ carnoſæ effícta, molas appellamus. Quamuis enim multi illud molæ nomen extendunt, vſque ad vteri quaſcumque eleuationes præter naturam, ſiue ſint à flatu & aquis in eius cauo contentis, ſiue à tumore ſcirrhoſo, aut carnoſo illius ſubſtantiam occupante, certum tamen eſt eos affectus aliam longè habere naturam ab eo, qui verè & propriè mola dicitur, per quandam ſimilitudinem cum molis illis verſantibus piſtrinorum, quibus frumenta & alia conteruntur; aut certè, quòd ſit moles quędam importuna, vnde Siſychius Myroſarca appellabat.

Relicta ergo monſtrorum longa tractatione, vt quæ parum ad inſtitutum noſtrum faciat, & quia eorum curatio, ſi quæ cõtigerit, ad molæ præcautionẽ & ſublationem facilè referri poſſit. Ideo ad illius explicationem propoſita definitione accedamus dicentes: Molem eſſe diſpoſitionem præter naturam in vtero muliebri ob genitam in eius cauo ſubſtantiam carnoſam, rudem, informem, ex imbecilliore ſemine virili & nimia ſanguinis materni quantitate,

quæ

quæ ramificationibus quibuſdam prædita, & membranis inuoluta illis incrementum ſuſcipit, palpitat & veram grauidationē ex principio æmulatur, tandem verò grauiſſima infert ſymptomata. Hac deſcriptione ea omnia videmus complecti, quæcunque ad naturam & cauſas iſtius affectus intelligendos requiruntur. Dum enim dicimus eſſe diſpoſitionem præter naturæ intentum, quæ ex vitio ſeu neceſſitate materiæ, vt vocant, illud generat, quod poteſt, ac proinde cùm deficiat à naturali ſuo opere, author eſt ex accidenti morboſæ iſtius, & periculoſæ conſtitutionis, quæ reuera nihil aliud eſt, quàm numerus partis auctus prçter naturam cum obſtructione propter inſignem carnis quantitatem in vteri cauitate progenitam, non autem in illius ſubſtantia & poris propriis, vt diſtinguatur ab omni tumore prçter naturam, & ab omni alia ingrauidatione, quæ à flatu, aquoſitatibus, vel collectionibus purulentis ſuſcitari poteſt, quòd imprimis accuratè eſt annotādum, quæ eſt, & dicitur in vtero muliebri genita, quòd rarò, aut nunquam in vtero aliarum animantium produci ſoleat, tum quia carent menſtruis illis purgationibus, & ſanguinis redundantia, tum etiam, quòd non vtantur tam frequenti coitu, ex cuius frequentia maxima ſemini imbecillitas conciliatur. Quod enim de vrſa narrant, aut eſt omnino fabuloſum, aut fit ob pituitam quandam mucoſam fœtui adhærеſcentem, quam lambendo diutiùs aufert, & ſic effingere fœtum poſt parturitionem exiſtimatur. Potiſſima enim molæ generatio pendet ex imbecillitate ſeminis vtriuſque, præcipuè maris, quando non poteſt dominari & regere nimiam ſanguinis quantita-

effuſam,ſed poſt inchoata generationis rudimenta nempe vaſorum quaſdam ramificationes, tunicas, in volucra, veluti obrutum concidit & ſuperatur à multitudine materiæ, quæ deinceps per quandam appoſitionem in rudem illam & indigeſtam molem faceſſit, aliquando vnicam, aliàs plures,prout diuiſa eſt in varias vteri partes illi firmiter adhærentes inſtar piſcis illius,quem polypum vocant, aut certè ſimillimas illi,quem Raxam aſteriam,aut certè clauellatam vocant.

Eſt igitur hîc inſignis illa controuerſia paucis agitanda, qua quæritur, vtrùm mola ſine virili ſemine & congreſſu in mulieribus generari poſſit, nulla enim ferè eſt maioris momenti ad pudicitiam, vel impudicitiam fœminarum accuſandam, vel propugnandam; nec de qua maior ſit inter authores noſtros diſcrepantia.Plinius lib.10. cap. 64. Imò ipſe Auicenna,Paulus,Aëtius,exiſtimant molā, id eſt, carneam quandam ſubſtantiam ex effuſione ſanguinis in vtero generari poſſe, vel à ſolo vteri calore aſſumente & coagulante iſtum ſanguinem, vt contingit in multis aliis corporis noſtri partibus,quæ hyperſarcoſes frequenter patiuntur, vel concurrente muliebri ſemine, cui velut coagulo iſtius hominis imperfectam huiuſmodi actionem tribui poſſe aſſeuerant.Galenus etenim lib.14.de vſu partium,vbi agit ferè ex profeſſo de molæ iſtius generatione, dicit eam reſpondere ouis Gallinarum ſubuentaneis,quæ nullam habent generandi pullos vim,& ſine galli congreſſu producuntur.

Verùm iſta ſententia nobis placere non poteſt: primò,quia repugnat authoritati Hippocratis lib.2.

Gynæc.& lib. de ſterilibus: Deinde, quia aduerſatur experientiæ,& rationi:quotidianus enim rerum euentus ſatis ſuperque oſtendit iſtas molas non in virginibus,aut caſtitatem ſeruātibus fœminis contingere,ſed in illis, quæ viro coniunctæ ſunt, aut quocunque modo virili fruūtur cōcubitu: Imò plerumque iſtas molas eſſe coniunctas cum vero fœtu, ita vt falſam imprægnationem repræſentent, errorem in computando tempore partus inducant, & magnum fœtui,& fœtę periculum difficultatemque in pariendo inferant. Quòdſi ſolus ſanguis vteri calore condenſatus, vel ſaltem muliebri ſemine coniunctus ſufficeret ad molas producendas, certè frequentiſſima eſſet & penè ordinaria illius generatio in puellis nubilibus,aut quibus mēſes ſuppreſſi ſūt, aut viduis alacrioribus, quibus vtrinque copia ſuppetit,quod tamen nunquam contingere videmus, niſi in illis,quæ ſunt admodum ſuſpectæ pudicitiæ. Repugnat etiam rationi iſta ſententia,quoniam ſanguis effuſus in vterum cùm ſit extrauaſatus, niſi regatur ab aliquo,grumeſcit,vel putreſcit, eaque infert ſymptomata,quæ non dant ſpatium conformationi,aut generationi iſtius carnoſæ ſubſtantiæ,quæ paulatim accreſcere ſolet: quod .n. de hyperſarcoſi aliarum partium,non eſt par ratio quia materia iſtarum hyperſarcoſeon,aut tumorum præter naturam non extrauaſatur omnino in cauitatem partis,ſed ex poris illius erumpens,per modum nutritionis vitioſæ faceſſit in eiuſmodi ſuperfluas excreſcentias,quod in vtero pariter contingere poſſe fatemur, ſed non ideo verām illam molam conſtituere, de qua nunc eſt quæſtio.

Quòdſi dicas iſtum ſanguinem in vteri cauitat

effuſū regi & effingi in molā,ſeu corpus hemizoon, vita tamen plantæ præditum à ſemine mulicbri, cui imperfecta hæc actio tribuenda videtur; quandoquidem ad perfectam generationem ſemē iſtud efficienter concurrere concedunt medici. Reſpondemus ſemen quidem mulicbre quandam efficiendi vim habere virili coniunctum ad fœtum producendum: ſolum autem nihil poſſe, ne ad imperfectam quidem generationem, quandoquidem effuſum extra vaſa fœminarum ſpermatica, vt contingit aliquando per nocturnas pollutiones, aut titillationes partium genitalium, non retinetur in cauitate vteri, ſed effluit & eiicitur foras, quia nulla fit tūc vteri coarctio, vt in ſuſceptione ſeminis virilis, ad cuius velut gratiſſimi hoſpitis aduentum matrix ſeſe colligit, & vtrumq; in ſuo ſinu recondit ad futurum conceptū. Cùm igitur finalis cauſa deficiat, propter quā iſta vteri contractio fit, non eſt credibile, vterū muliebre hoc ſemē ſolū in ſua cauitate retinere, ſed foras, quamprimùm poteſt, expellere. Non valet igitur illa ſimilitudo ouorum, quæ à gallinis ſine galli congreſſu producuntur, quoniam gallinæ non recipiunt materiam quandam ſpermaticam à gallis, vt oua generent, ſed vim tantùm, ſeu ſpiritum quendam genitalem, quo perfuſæ, ouis communicant eundem, vt fecunda eſſe poſſint: mulieres verò contrà, & omnia animantia viuipara ex permixtione ſeminum ſolent ſuos fœtus efformare. Galenus itaque illa comparatione vſus eſt ad rem potiùs illuſtrandam, quàm vt quicquam doctrinæ Hippocrati contrarium ſuaderet. Iam ad alia tranſeamus.

Diximus itaque in noſtra definitione, ſubſtantiam iſtam carnoſam rudem eſſe & informem, ſi

comparetur cum vero fœtu, attamen partium [illegible]a-rundam habere delineationes, nempe tunicas, liga-menta & ramificationes vaſorum, quibus adhærens vtero trahit alimentum & accreſcit in omnem di-menſionē inſtar zoophyti, ſeu plantanimalis dictæ, quæ præter animæ vegetantis vim, motu etiam ali-quo palpitationis, ſeu dilatationis, & contractionis prædita eſt, quo nomine maximè mentitur veram imprægnationem & ancipites diu reddit contem-plantium animos, donec ingraueſcant maiora ſym-ptomata, quibus ſeſe manifeſtè prodit, & deinceps à vero fœtu diſtinguitur, vt poſtea dicemus.

Cauſæ autem quibus eiuſmodi in vtero inutilis ſubſtantia gignitur poſſunt conſiderari ex parte re-rum naturalium, non naturalium, & præter natu-ram, vt in aliis affectibus morboſis, idque primùm ratione viri ipſius, quatenus ſemen morboſum, aut inualidum generationi præſtat, vt pote quoties eſt iam effœtus & ſeneſcens, vel etiam tenerior adhuc & iuuenculus, aut naturæ delicatioris, aut infirmio-ris valetudinis, vnde ignaui ad venerem exercen-dam: quoties etiam ob errores externos corrumpit vim genitalis ſeminis, vt in illis, qui crapulæ addicti ſunt, qui nimio & intempeſtiuo concubitu euer-tunt robur caloris natiui, nec ſinunt materiam ſe-minalem debitè in teſtibus confici, quique ob im-moderatos labores, aut morbos acutos, vel diutur-nos, potiſſimùm gonorrhœas inueteratas, corpus habent totum languidum & quaſi effœminatum: Illud eodem modo contingere poteſt in fœmina ratione proprij ſeminis, quod generationi ſuppedi-tare debet; at verò præcipuè ratione ipſius ſangui-nis menſtrui; quoties enim ſubſtantia, quantitate,

motu vel qualitate peccat, maximam & potiſſimam præſtat occaſionem molæ in vtero generandę. Subſtantia enim menſtrui corrupta vel maligna, ichoroſa, ſanioſa; aut putris obtundit validè, vel ſaltem reprimit energiam ſpiritus illius, qui artifex eſt primarius generationis noſtræ; vnde contingit ab errore ipſius materiæ, vt imperfectum illud, & quaſi portentoſum opus gignatur. hoc nomine volunt mulieres Elephanticas, aut ſimili diſpoſitioni obnoxias generandis molis aptiſſimas eſſe: nimia etiam quantitas menſtrui id poteſt præſtare, vt eſt 4. de gener. animal. quia oportet generationis noſtræ principia non ſolùm eſſe bene conſtituta, ſed etiam proportionata: Vnde videmus plerunque polyhæmas & polyſarcas mulieres eiuſmodi molas producere, quemadmodum eas, quæ imminentibus aut fluentibus menſtruis auidiùs concumbunt, quando ſcilicet vterus humore ſuperfluo redundat, aut iſte humor citiùs, quàm par eſt, confluit ad nutritionem ſeminis poſt concubitũ. Eſt hiſt. lib. 5. epid. inſignis, vxoris cuiuſdam Gorgię, cui cùm per aliquot annos ſuppreſſa fuiſſet menſtrua purgatio, tandem cum multo & copioſo ſanguine proiecit molam, & ſanata eſt, quam ibi genitam fuiſſe ob copiam materiæ retentæ, & ſemini imbecilliori coniunctæ inſinuat Hipp. Ratione item qualitatis, credibile eſt calidiorem iuſtò & feruidiorem ſanguinem, nec non craſſiorem & viſcidiorem aptiſſimum eſſe ad efformandas iſtas molas, quia calidior abſumit benignũ humorem ſeminis, & ſpiritus diſſipat. Craſſior, & viſcidior ſuffocat vim plaſticam, nec poteſt facilè regi, vt in formarias partes efformetur, quæ ad perfectum fœtum requiruntur.

Quæ ſint autem cauſæ, propter quas ſanguis ille maternus corrumpitur, vel in ſua origine, quæ hæmatoſin ſpectat, vel permixtione aliena, aut in ipſo vtero ob peculiares dyſcraſias obſtructiones, & ſimiles affectus, facile erit vnicuique ex earum natura reperire, aut præcedentibus noſtris tractatibus repetere. Nunc ad Diagnoſin accedamus.

Nullus eſt affectus, qui maiorem medico difficultatem in Diagnoſi afferat, quàm diſpoſitio propoſita molaris, quia poteſt æmulari veros fœtus, hydropes vteri, tumores, aut obſtructiones cũ ſuppreſſa muliebri purgatione, ideo cautè admodũ, & ſolerter progrediendum, non ſolùm ob conſimiles affectus iſtos, à quibus eſt diſtinguenda mola, ſed etiam, quia cum illis ſæpiſſime complicari ſolet, vnde ſumma ſignorum confuſio emergit. In principio quidẽ generationis molæ vix eſt poſſibile eam ſecernere à vero fœtu propter affinitatem Symptomatum, vt docet Hippocr. I. Gynæc. nam & decolor fit mulier, & horrores infeſtant, cibi faſtidium, & nauſea apparent, menſesque retinentur ob clauſum orificium vteri, vel obſtructa illius vaſa; cæteraque eiuſmodi appareat initio, vt in vera grauiditate, progreſſu tamen temporis, vtpote circa tertium & quartum menſem, tria habet potiſſima, & quaſi characteriſtica ſigna Hippocrates, quibus molam eſſe in vtero deprehendit, quorum primum eſt ab ipſo motu, mola enim vel non mouetur omnino circa iſtos menſes, vt verus fœtus, ſed inſtar lapidis, aut rei inanimatæ, conuertitur ſimul cum corpore muliebri in hoc vel illud latus cum inſigni pondere, & grauitatis ſenſu, aliquando etiam dolore pungenti,

quo

quo etiam nomine diſtinguitur ab hydrope vterino,& aliis tumoribus præter naturam, qui huic vel illi lateri illius magis adhærent : aut ſi moueatur mola,mouetur tremulo tantùm,& palpitante motu ratione conſtrictionis & dilatationis,vt in ſpongiis, & aliis zoophytis apparet,non autem in omnem ſitum & partium differentiam, vt ſolet fœtus, cuius agitatio velut circularis ab imo ad ſummum vſque percipitur. Secundum ſignum repetit Hippocrates ex ipſa vteri mole,& figura,nam vbi iam intumeſcere incipit venter ex molæ incremento, dilatatur in omnem dimenſionem ferè æqualiter, cùm ex vero fœtu acuminetur potiùs verſus vmbilicum coarctatis vtrinque molliter lateribus ; et ſi quis contractet hypogaſtrij regionem diligenter,animaduertet in mola nullam eſſe partium diſtinctionem, ſed veluti globum quendam & maſſam verſus vteri & lumborum inferiorem partem poſitam. Tertium denique ſignum principale petitur ex ipſo lacte ; nam in grauidis ex vero fœtu ſolet natura de illius nutritione ſollicita tranſmittere circa quartum menſem compreſſis quodammodo vteri vaſis, copiam ſanguinis in mammas,vt ibi concoquatur, & in lactis naturam faceſſat, & tanquam in penu aſſeruetur, donec infans ex vtero prodierit : at verò in molæ generatione, quamuis intumeſcant mammæ ob ſimilem compreſſionem, non gignitur tamen lac verum & legitimum ſeu alimentarium, ſed cruda manet illa materia,& tandem euaneſcit, quia ſcilicet calor natiuus debilis factus in mammis per ſympathiam,quam habent cum vtero, & quaſi reuocatus ad expugnandum affectum morbificum negligit

gligit præparationem humoris illius, cuius nulla deinceps futura eſt vtilitas:progredíẽti magis tempore tanta mulierem mola laborantem infeſtant ſymptomata, ſiquidem infirmior fuerit, vt vix ab eis reſpirare poſſit, langueſcentibus ſcilicet, aut proſtratis omnibus facultatibus:ſin verò robuſtior & animoſa exiſtat, exurgit natura ſummo impetu, vt ſeſe hac moleſtia liberet, cum perpetuo meiendi,expellendi deſiderio,& doloribus dorſi,atque inguinum frequenter repetentibus, vnde eruptiones ſanguinis atri & impuri, aliquando fruſtulorum carnis, ſi incipiat diſſolui mola, cùm febre, & dyſphoria. Poſtmodum ſequitur excluſio informis iſtius & inutilis ſubſtantiæ,ſiquidem in plures partes diuiſa fuerit, vel putrefacta, aut minùs vtero adhæreſcens:quoties verò irritus eſt iſte naturæ conatus, molaq; durior, & globoſa, ſiue vnita firmiter cum ſuis ligamentis in cauitate matricis ſtabulatur,tunc præterlapſo partus legitimi tempore durat duodecimum,vel decimumtertium vſque menſem, aliquando ad tres, vel plures annos, niſi medica manus admoueatur, ſæpiúſque fœminam variè cruciatam de medio tollit. Maior eſt difficultas dignoſcendi molam,vt dicebamus,quando complicatur cum vero fœtu, cum hydrope, & tumoribus præter naturam, ex ſolerti tamen eorum omnium, quæ dicta fuerunt, conſideratione ſtabilienda erit diagnoſis, & quantum fieri poterit, ad vſum artis reuocanda.

Quod ad Prognoſin, pauca ex Hippocr. ipſo lo. cit.& de ſterilib.proponemus molam ſcilicet ex ſua natura & ſpecie perpetuò affectum eſſe periculo-

ſum,quia inſignem affert vtero deſtructionem, tötique corpori noxam ob refluxum excrementorum, quibus partes nutritioni dicatæ peſſimè afficiuntur.

Periculoſior verò multò, ſi vnita ſit & continua caro,quia,vt dicebamus,frequentiſſimè mulieres interficit,tum quod non poſſunt eam excludere,& infinitis exercentur malis, donec tandem moriantur: tum etiam, quòd in illius excluſione metus eſt, ne ob inſignem diuulſionem,dolorémque iſtarum partium, vteriſque aliquando dilacerationem atque hæmorrhagiam ſuperuenientem, quæ reprimi nequit, tandem intereant. Vbi autem in plures diuiſa eſt partes, ſæpius tertio, vel quarto menſe eiici ſolet, quando eſt mollior, poſtea enim valde difficile. Quòd ſi fœtui coniungatur, frequentiſſimè illum interimit: Si verò complicetur hydrope, vel ſubſequatur, vt ſæpe fit, vix euadere poteſt mulier duobus hiſce crudeliſſimis affectibus occupata. Iam igitur videamus, quibus auxiliis affectum iſtum expugnare poſſimus.

Vbi primùm molam in vtero genitam eſſe cognouerimus, non erit cunctandum in curatione, priuſquàm augeatur magis, vel radices in vtero firmiores agat, ideo ſuppoſita primò victus ratione, quæ fœminæ vires ſuſtentet, ſi ſit imbecillior; aut excrementa, vt ipſam ſanguinis multitudinem minuat, ſi ſit cacochymica, vel plethorica, omni arte ad iſtius ponderis, vel rei inutilis ſublationem erit incumbendum tam chirurg. quàm pharmac. remediis, quorum deſcriptionem repetere licet ex cap. de, ſuppreſſ. menſ. prouocand. & cap. de prouocando partu, ſeu propellendo fœtu mortuo extra

tra vterum, de quo deinceps acturi ſumus. Clarioris tamen doctrinæ gratia pauca ſubnectemus, quibus præcipuè huius affectus therapiam perficere licebit. Cùm itaque medicus naturæ dicatur miniſter, & imitator, in illis motibus, quos ſalubriter inſtituit, ideo quoniam experientia conſtat multas mulieres iſtis affectibus liberatas fuiſſe, inſigni diarrhœa, dyſenteria, aut hœmorrhagia vterina ſponte ſuperueniente, oportet & eadem methodo progredi in illis, quæ deſtituuntur iſto auxilio naturali, ac proinde purgantia accommodata, ſatisque valida; aperientia, attenuantia, & detergentia erunt vſurpanda, tam ſumpta, quàm admota variis formis, vt totum corpus exinaniatur, viæ reſerentur, excrementa extenuentur, & agitentur ſufficienter, ſicque per conſequutionem quandam natura impellatur ad depulſionem iſtius oneris.

Præſcribantur itaque potiones purgantes, catapotia apozemata incidentia, pulueres diuretici, & menſium prouocatiui, clyſteres acriores, peſſaria irritantia, & ſimil. à nobis dicto cap. propoſita, inter quæ etiam balnea naturalia tam ſulphurea, quàm bituminoſa potu, & lotione valde proſunt, aperiendo ſcilicet, detergendo & molliendo: Imò antequam hiſce omnibus purgantibus & aperientibus vtamur, optimum erit præmittere fotus, balnea, & linimenta valde mollientia & humectantia, vt viæ iſtæ omnes relaxentur, & ipſummet molæ corpus tenerius reddatur. Inter alia commendat Hippocr. lib. 1. Gynæc. clyſterem & fotum ex decocto rad. Ariſtol. & foliorum Mercur. Item peſſarium ex elaterio, & bupreſta, quam multi Cantharidis ſpeciem

exiſtimant, hæc enim permixta cum vitellis ouorum induratis, aut ſimilibus lenientibus magnam vim habere poſſunt ad eliciendas iſtas vteri ſordes. Exhibet etiam frequenter decoctum dictamni cretici, & ſabinæ, caſtorei puluerem,& cucurbitulas circa lumbos & latera ventris ſæpius adhibet, vt illarum vi deturbetur, & quaſi auellatur mola interiùs deliteſcens. Idem Hippocrates laudat aliquando ſanguinis miſſionem in hoc affectu copioſiorem. vt enim mulier vero fœtu grauida per phlebotomiam largiorem abortire ſolet: ſic etiam veriſimile eſt in iſto falſo conceptu naturam defraudatam humoris benigni copiam, qui ad nutrimentum molæ faceſſit, ſollicitari etiam poſſe ad eius expulſionem: attamen ſi diuturniorem in vtero moram illius reformidemus in muliere potiſſimùm exangui & minus plethorica, multò erit conſultius venas interiores poplitis,aut tali ſecare,quibus attrahitur materia verſus inferiores partes & vteri vaſa, quæ ſæpe illius multitudine aperiuntur, vt patet in prouocandis menſibus. Adde quòd poſt excretionem molæ frequentiſſimè ſequitur immoderata ſanguinis effluxio per vterum, quæ non ſolùm cucurbitulis, frictionibus, & vinculis ſuperiorum partium ſiſtenda eſt, ſed etiam per Phlebotomiam bracchij ad reuulſionem, ita vt non videatur tot debilitanda venæ ſectionibus.His itaque per aliquod tempus tentatis, ſiquidem nulla ſit ſpes exitus iſtius molæ,aut fruſtula tum quædam excreta fuerint reliquiis intus morantibus cum magno naturæ incommodo, conſulunt authores noſtri, vt antequam vires magis debilitentur, ad

chi

chirurgiam veniamus, ſeu operationem illam quam veteres mociclam appellant, quæ inſtrumentis accommodatis, maioréque artificio perficitur, collocata enim conuenienter fœmina, vtero per diopteram dilatato, primò ſola peritioris chirurgi manu intromittenda, vel etiam adhibitis laqueis, & vinculis ad extractionem molæ, ſi fieri poſſit. Quòd ſi hac arte educere nequeamus, immittendum illud organum, quod vulgo embriulcum ſiue extractorium dicitur, quodque à gryphij pedis ſimilitudine nomen deduxit: Illud autem peritè præſtandum tam in immittendo, quàm in extrahendo, ne aliqua mulieri, aut vtero noxa inferatur, ſæpe enim ex imperitia artificum ſequuntur ad hanc operationem ingentes hæmorrhagiæ, dilacerationes, vel diſtentiones vteri, quibus deinde mederi admodum eſt difficile, vt rurſum in puerperio videbimus. Sunt qui poſt excretum vnum aut alterum molæ fruſtulum malint relictis his operationibus horrendis ad putrefacientia, & ſuppurantia venire, quibus reliquiæ iſtæ molliantur, liquentur, & in ſaniem conuerſæ ſua deinceps ſponte fluere valeant. Verùm res eſt periculi pleniſſima, nam ex tanta corruptela in vtero ſuſcitata, & in materia rebelli, minimeque coctioni apta vix fieri poteſt, quin miſera mulier febre, lipothymia, doloribus, aut conuulſione tandem correpta intereat, aut ſi tantam malorum tempeſtatem euadere poſſit, qui incidat in carcinoma vteri, aut ſæuiſſimum aliquod vlcus, ex quo deinceps poſt multos cruciatus contabeſcat: meliùs eſt itaque vel totum naturæ negotium committere, quæ paula-

tim illud, quod ſuperat, excernunt, vel certè vti exiccantibus & detergentibus, quæ iſtas reliquias ſenſim abſumant, aut indurent. Eſt igitur opus magna hîc medici ſedulitate, & prudentia, ne quicquam in ægrotantis incommodum, aut artis opprobrium committat. Vbi igitur contigerit mulierem mola laborãtem bono aliquo fato, propria ſcilicet naturæ, aut artis opera illum excreuiſſe, deinceps curandum erit ſedulò, ne incurrat in iſtos inutiles & damnoſos conceptus, quod quidem fiet, ſi omnium illarum cauſarum rationem habuerit, quas ſupra proponebamus in generatione molæ: Inter has autem præcipua eſt, ne vnquam concumbat inſtantibus, aut fluentibus adhuc mẽſtruis, nec non repurgato toto corpore ſi ſit cacochyma ab omni excremẽtum ſorditie, quæ ſeminis energiam oborruere ſolet: debet etiam rarus eſſe coitus tam viri, quàm mulieris, vt ſcilicet redintegratis viribus, & bene cocto ſemine opus illud aggrediatur. Denique ſi vterus intemperantior, aut obſtructionibus obnoxius huic rei aliquam occaſionem præbere videatur, debent ceſſare ab omni congreſſu, donec omnia in meliorem ſtatum fuerint reuocata. Idem dicas de monſtris, in quorum generatione etiam auertenda, cauendum erit ab omni imaginatione aliena, & præpoſtera, quæ vt plurimùm ſolet eſſe cauſa fœtuum iſtorum extra naturalem ſpeciem formatorum. Atque de his ſatis, nunc ad ſuperfœtationem veniamus.

De ſuperfœtatione, & Gemellis.

Capvt VI.

Vno eodemque capite dicturi ſumus de Gemellis, & Superfœtatione, quia in eo tantùm differunt, quòd per gemellos audiamus conceptionem plurium fœtuum vnico coitu, & ex vnico ſemine procreatorum: per ſuperfœtationem verò conceptum variorum quidem fœtuum ſimul in vtero contentorum, ſed variis & diuerſis congreſſibus genitorum, ac proinde, neque iiſdem inuolucris contentorum, neque eodem tempore, vt vitales eſſe poſſint perfectorum.

Ad clariorem ergo huius rei intelligentiam, ſciẽdum eſt, vterum in mulieribus ita fuiſſe à natura comparatum, vt cauitatem habeat media quadam linea diſtinctam, & ſuturæ, quæ in ſcroto virorum apparet, perſimilem, cuius beneficio vterus in duas partes diuiditur, dextram ſcilicet, & ſiniſtram, vt voluit Hippocrates, dum ſcribit in dextro mares, fœminas in ſiniſtro vteri latere magis contineri, & vtrique lateri vtramque mammam è directo poſitam reſpondere: hinc fit, vt quoties virile ſemen mulicbri coniunctum ſemel, aut pluribus viribus in eodẽ cõgreſſu eiaculatũ ita in partes diuiditur, vt illæ ſufficiant ad perfectam generationẽ variorum fœtuum, delineationem ſcilicet partium principum & ſpermaticarum, tunicarum, quibus inuoluuntur, conformationem, atque alimenti

materni attractionem, vel aſſimilationem, tunc oriuntur gemelli duo, vel plures eiuſdem, vel diuerſi ſexus eiuſdem involucris contenti, ſed propriis ſinguli vaſis vmbilicalibus donati, quibus nutriri valeant: vnde ſi vterus ſit ſatis capax & validus, ligamenta, quibus annectuntur, robuſta, & alimentum ſufficiens, vt ibi ad naturalem vſque partus terminum manere poſſint, fit ſæpiſſime de duobus, vt vitales & perfecti exiſtant, de pluribus aliquando ad prodigium vsque auctis, ſi hiſtoriæ fides ſit adhibenda. ſæpius tamen eorum aborſus contingunt, quando ſunt numeroſiores, quia diſtendunt nimiùm matricem, iuſtum nutrimentum obtinere nequeunt, aut ex inæquali ſeminis materia geniti, alij aliis infirmiores exiſtentes ſeſe foras protrudunt: Vnde etiam obſeruatum eſt geminos diuerſi ſexus, quamuis ſint duo tantùm rarò eſſe vitales propter inæqualitatem ſeminis, ex quo producti ſunt, varietatem incrementi, motus, & perfectionis eorum, quæ impedit, ne ſimul cómodè in vterò geſtari, aut ex eo fœliciter erumpere poſſint. Atque hæc eſt ratio generationis gemellorum.

Superfœtationis autem modus paulò obſcurior videtur, quam ideo multi inficiari auſi ſunt validiſſimis rationibus: primò, authoritate Hippocratis Aphor. 51. ſect. 5. qui vult os vteri in grauidis ita clauſum eſſe, vt nihil deinceps admittere poſſit: cui etiam adſtipulatur experientia, nullum enim eſt validius imprægnationis ſignum, quàm ſi tangente obſtetrice iſtud orificium coarctatum indolenter ſentiatur. Ratio etiam id perſuadet, quia retentricis facultatis munus tunc maximè exercetur, quando

do aliquid adeſt in aliqua parte officiali, quod vel coquendum, vel perficiendum proponitur, ac proinde, cùm attracto ſemine virili permixtóque cum muliebri, vterus valde oblectetur, tũ ratione ſympathiæ, tum etiam finis, nempe conceptus perficiendi cauſa, hinc ſequitur illum, quantùm fieri maximè poteſt, retentionis huius ſeminalis materiæ tantùm incumbere contractis fibris, & oſculo clauſo, donec elaborata, & omnino perfecta fuerit. Hinc videmus naturam de conceptu ſollicitam, ne irruente materiæ alicuius copia in venas illas vterini interiores impediretur à ſuo munere aliam viam inſtituiſſe, nempe venas in collum matricis deſinentes, quibus prægnantes cacochymæ, aut plethoricæ expurgare poſsint redundantes humores ſine vllo fœtus detrimento, aut apertione illius orificij vterini Quibus poſitis videtur non poſſe dari ſuperfœtationem, quoniam oporteret poſt primum conceptum de nouo aperiri iſtud orificium, quod non fieret ſine aborſus periculo. Adde quòd, cùm vterus muliebris non ſeptem, vel pluribus cellulis vt quidam Iureconſulti, & imperiti Anatomici exiſtimarunt, ſed vnica cauitate præditus ſit per mediam tantùm lineam diuiſa, vbi ſemel prior fœtus in vtero vaſis ſuis vmbilicalibus ſuſceperit orificia venarum & arteriarum vteri, quibus Cotyledones inſtituuntur, non videtur deinceps quicquam ſupereſſe nouo ſemini, per quod nutritionem, & incrementum ſuſcipere poſsit. Denique prior fœtus vteri ſpatia occupans impediet, ne alter ibidem accreſcere poſsit, aut propter compreſsionem, & di-

ſtentionem nimiam vterque foras ante iuſtum partus terminum excutiatur, aut certè is, qui poſterior ingreſſus fuerit, vt limini propinquior.

His, & ſimilibus rationibus ſuperfœtationem in humana ſpecie, impoſſibilem eſſe probare nituntur, quam, vt nos raram, vt perdifficilem eſſe concedimus, non tamen omnino abnegandam putamus, ipſius etiam Hippocratis authoritate moti, qui libello huic dicato ſuperfœtationem fieri poſſe exiſtimauit, idque lib. 5. Epid. confirmat Hiſtoria cuiuſdam mulieris Lariſſeæ, vt omittam celebrem Alcmenæ partum, quæ, vt ait Plautus, *hodie illa pariet filios geminos*, nempe Herculem, & Iphilicum, *eorum Amphitruonis alter eſt, alter Iouis: alter decimo poſt menſe naſcitur, quàm ſeminatus eſt, alter menſe ſeptimo.* Et alia multa exempla, quæ recenſet Plinius, vt manifeſtum ſit eiuſmodi conceptus, qui ſuperfœtationem ſequuntur plerúmque à veteribus fuiſſe obſeruatos. quemadmodum Ariſtoteles ipſe 7. de Hiſtor. Anim. cap. 4. narrat de quadam ancilla, quæ eiuſdem diei coitu duplici alterum fœtum domino ſimilem: alterum procuratori eius edidit. Clauditur quidé vteri orificium in mulieribus, vbi primùm conceperunt; attamen non eſt incredibile, quin in maiori voluptatis ſenſu, quando fœmina prægnans marem admittit, vel gratiorem, vel libidiniſiorem vterus laſciuia iſta excitatus aliquando aperiatur: quemadmodum obſeruamus in ventriculo, qui ad lapidiorem cibum, vel potum excipiendum, quamuis plenus, aliquando aperitur, neque enim ad quamcunque vteri apertionem conſequitur ſtatim aborſus, vt patet in gemellis, quorum alter, vt eſt in Aphor. 38.

38. ſect. 5, per aborſum excutitur altero interiùs ad maturitatem vſque, & conſuetum terminum remanente, ſi tamen ſalutaris debeat eſſe iſta ſuperfœtatio, ſeu vitalis fœtus, qui per illam concipitur oportet illam contingere à primo primi conceptus die ad quadrageſimum, aut circiter, antequam ſcilicet prior fœtus magnum in vtero ſpatium obtineat, vel omnes venarum & arteriarum vteri propagines occuparit, quandiu enim prior fœtus exiguæ erit molis, & motus expers, facilè erit ſuperuenientis ſeminis ſpatium reperire idoneum, quemadmodum in gemellis contingit, & ſua ſibi vaſa adipiſci, quibus ſimiliter nutriatur. Poſt tertium verò, vel quartum menſem, fieri nequit, quoniam excitabitur aborſus, vel vtriuſque, vel certè illius, qui nouiſſimè vterum ingreſſus fuerit, ac proinde ſine vlla cellularum in vtero multitudine non eſt omnino abſurdum plures fœtus, atque etiam ſuperfœtationes contingere eo modo, quo dictum fuit, idque in Ægypto frequentiſſimum hiſtorici teſtantur: Iam igitur videamus quid ad vſum medicum ex iſta contemplatione referri poſſit.

Certum eſt itaque medicum ſæpiùs conſuli poſſe de Diagnoſi, & Prognoſi vtriusque affectus, quoniam intereſt multùm ſcire, vtrùm fœmina vnicum, vel plures fœtus in vtero gerat, vtrùm fœliciter euaſura ſit ex eiuſmodi partu, vel ex eo periclitetur, tum ad regimen illius ſtatuendum, quàm præcauenda infinita ſymptomata, quibus per iſtos conceptus infeſtari ſolent: ad erigendum etiam matris animum in partu, vt poſt vnius enixum alacriter alterius etiam, vel aliorum exitum ſuſtineat ſine

vllo tumultu ; aut adſtantium iam præmonitorum trepidatione.

Quod ad diagnoſin ſpectat,non eſt dubium,quin duo, vel plures in vtero fœtus,ſiue ſint in vno,eodemque latere, ſeu in vtroque collocati maiorem multò molem exhibeant, quàm ſi vnicus tantùm ibi habeatur: quæ moles, ſeu magnitudo non erit omnino æquabilis & continua, vt in vnico fœtu, ſed quaſi ſeiuncta in plures globos, ſeu eminentias potiſſimùm,ſi variis membranis cirundantur, quæ rugis etiam quibuſdam quaſi ſulcis interlineatibus diuiſæ apparebunt, aut ſaltem contrectanti ſentientur: Vnde ſubſequitur non ſolùm maius pondus, quàm in ſimplici fœtu, ſed etiam inæquale pro maiore, vel minore illius magnitudine.Raro enim gemini vel plures fœtus,vnius,eiuſdemque virtutis,eodem modo eorum motus in vtero non vniformis,& continuus;ſed diuiſus,aut diuerſus percipietur,quia vnusquiſque vbi ad terminum illum peruenerit,peculiari ſuo motu agitatur ad oppoſitas differentias.

Ex mole igitur, pondere, motu,& rugis illis velut præcipuis ſignis cognoſcemus, quando plures erunt in vtero fœtus.Vtrùm verò aliquis per ſuperfœtationem genitus ſit,cognoſcetur ex tardiore illius incremento & motu,quia tardiùs in vtero fuit coformatus.

Prognoſin verò ſtabiliemus ſalutarem, vel periculoſam, & ancipitem, ratione tum matris, tum fœtus; nam quęcùnque mulier geminos, aut plures fœtus gerit, nec illos conuenienter nutrire, in vtero continere ad debitum vſque terminum, & ſalubriter

ſalubriter parere poſſit, debet eſſe alacri animo, & corpore; neque nimia pinguetudine oppreſſa, quæ vias anguſtat, & debitam præripit foetibus alimoniam, nec nimia macie deformis, vt habetur aphor. 44. & 55. ſect. 5. vterus etiam ſit bene conſtitutus, ab omni illuuie & mucore repurgatus, quia in ſordidioribus vteris, vt eſt Aphor. 45. ſect. 5. acetabula facillimè præ mollitie diſrumpuntur, & propter multitudinem intempeſtiuè excluduntur.

Quæcunque igitur deiectis iam viribus, aut malè conſtituto corpore, & vtero, animíque imbecillitate laborantes in iſtas incidunt anguſtias, ita vt paruus, aut valde languidus motus iſtorum foetuum percipiatur, cum imprægnationis moleſtia, inquietudine, & dyſphoria, non eſt dubium, quin magnum incurrant vitæ periculum, aut abortientes, aut etiã iniuſto partu ob nimios dolores, hoemorrhagiam, & diuturnitatem temporis, quod aliquando interiectum eſt inter varias excluſiones iſtorum foetuũ.

Aphoriſmus eſt inſignis iam citatus 28. ſect. 5. mulieri, inquit, grauidę geminos ferenti, ſi altera mamma extenuetur, alterum abortit, & ſi quidẽ dextra marem, ſi ſiniſtra foeminã excludit. Quibus verbis ſummus iſte pręceptor indicare voluit, vnius fœtus aborſum cõtingere poſſe altero ſaluo & incolumi, quod apud nos vix, aut nunquam obſeruatũ eſt.

Quid igitur opis & auxilij medici hiſce mulierculis afferre poſſimus, primò, quod ad prophylaxin ſpectat, conſulendum eſt illis ad euitandas iſtas imprægnationes plurium fœtuum, vt fugiant diligenter omnes cauſas, quæ illas efficere ſolent, inter quas præcipua eſt

multi

multitudo ſeminis vtriuſque. Dum enim per longiora tantùm internalla coëuntes nimiam illius copiam colligunt, periculum eſt, ne vnico congreſſu, diuiſo in plures partes ſemine, varios fœtus concipiant. Ad vitandam autem ſuperfœtationem, quæcunque illi ſunt obnoxiæ, debent, vbi primùm conceperunt, quatuor illos menſes annotatos auerſati nouum complexum ſaltem laſciuiorem, ne ex illius dulcedine vteri os denuo aperiatur, & ſecundum efficiat conceptum.

Quod ad Therapiam attinet, vbi in iſtas grauiditates inciderint, accuratè ſunt obſeruanda ea omnia, quæ à nobis dicta fuerunt de regimine prægnantium, earumque leuandis ſymptomatis; quibus iſtæ magis obnoxiæ ſunt, ſæpius enim ex nimia ventris diſtentione & pondere ita grauantur iſtæ prægnantes, vt cogamur laxantibus fomentis & vnguentis galacticis emollire abdominis partes externas, ne diſrumpantur, aut compreſſione nimia fœtus & matres lædant. Item aliquando viſæ ſunt multæ iſtarum, quibus oportuit ventris ſuſtentare onus faſciculis, & ſubligaculis adhibitis, ne peritonæi tunica frangatur, & hernioſæ euadant. Sed de his, quia ſub cognitionem medicorum raró euenire ſolent, plura non dicemus, ad aborſus tractationem tranſituri.

De

De Aborſu.

CAPVT VII.

INTER omnia ſymptomata, quibus prægnantes infeſtari ſolent, nullum eſt frequentius, & periculoſius, quàm aborſus, ſeu abortus, Hippocrati variis nominibus inſignitus, quibus omnibus nihil aliud ſignificare voluit, quàm vitium impregnationis ſecundùm tempus; nempe excluſionem fœtus immaturi, & minimè vitalis cum inſigni noxa matris & periculo.

Dicitur enim excluſio, quia ad aborſum perſpiciendum, quamuis retentrix facultas debilitata concurrere poſſit, tamen præcipua illius natura poſita eſt in excretione embryonis extra vterum, nam etiamſi mortuus, putrefactus, aut induratus ibi aliquando deliteſcat; non tamen dicetur priùs prægnans aborſum paſſa, quin eiecerit eiuſmodi rem naturæ tam alienam & moleſtam.

Dicitur etiam fœtus, vt diſtinguatur ab illis, quæ molas informes, grumos ſanguinis, flatuum, vel aquarum copiam confertim ex vtero excreuerunt, quamuis ab illis aliquando impręgnatio vera repræſentaretur, quoniam iſtarum rerum excretio in bonis potiùs habenda, quàm inter damnoſos affectus, qualis eſt aborſus.

Dicitur etiam immatura & minimè vitalis, primò vt diſtinguatur à partu legitimo & naturali,

qui certis & demenſis ſpatiis contingens perfectum omnino fœtum, & vitæ producendæ aptum edere ſolet, cùm ſemper aborſus ad fœtus internecionem tendat: ſecundò, vt diſtinguatur ab illa effuſione ſeminis, quæ primis diebus fieri ſolet, quandiu materia illa in vtero contenta ad liquoris potiùs naturam, quàm partis ſolidæ accedit, tuncque Hippocrati, & Ariſtoteli, non ectroſmus, ſed ecryſis, & eclyſis vocatur. Vnde apud Iuriſconſultos is non habetur mortis reus, qui prægnanti mulieri vim intulerit, & ex vtero contentum fœtum deturbarit ante quadrageſimum diem, quia ante illud tempus credunt Theologi fœtum rationali anima non eſſe donatum; medici autem non eſſe adeptum ſpeciei perfectionem.

Dicitur etiam cum inſigni matris noxa & periculo, quamuis enim partus etiam legitimus ſit dolori & labori coniunctus, dum fit: attamen iam factus bonis deſinit plerumque parentis rebus, ſummamque illi poſt iſtas moleſtias lætitiam conciliat, cùm aborſus ob violentam diuulſionem præcocis iſtius fructus non ſine periculo, aut ſaltem noxa matris, vel vteri contingere poſſit.

Cause Videamus igitur, quæ ſint cauſæ efficientes, & commouentes eiuſmodi affectus, ex quibus etiam illius differentiæ exorientur. Serapio de cauſis aborſus, vt ſecundo & tertio, cauſam eſſe flatum quendam vterum diuellentem, aut quandam agitationem præpoſteram matris tenuiſſimas adhuc vaſorum fibras diſrumpentem: ſi mediis, vt quarto, quinto, & ſexto, ſine manifeſta cauſa accuſandos potiſſimũ eſſe mucores illos, & nimias humiditates,

quæ acetabula vteri relaxare ſolent, in poſtremis verò menſibus etiam eſſe vt plurimum inopiam alimenti, vel vteri anguſtiam. Galenus 3. de facul. naturalibus. cap. 12. triplicem conſtituit cauſam aborſus, nempe molem nimium pondus & morſum: ſed vt iſta melius eluceſcant lubet cauſarum aborſus ſeriem ex conſueta methodo recenſere. Ergo illud imprimis ſtatuendum partum fœliciter ſuccedere quoties matris vteri & fœtus bona eſt conſtitutio, ac proinde ex lege contrariorum, quando iſta omnia, vel quædam eorum præter naturam ſe habuerint toties etiam aborſus aut difficiles partus contingere, immutatur autem iſta à cauſis internis & externis: Externæ rurſus, vel ſunt contingentes & fortuitæ, vel ex rebus neceſſariis & non natura liberè datis repetitæ: Caſus igitur, ictus, occurſus, morſus, vulnera, preſſus & coarctationes veſtium, aut aliarum rerum geſtationes, aut eleuationes grauioris ſarcinæ, ſuccuſſationes, & ſi tam violenter aliquando maternum corpus commouent, vt diſruptis fœtus vinculis præmaturè excutiatur: ad hæc etiam referri poſſunt tetri vapores, odores, halitus vt extinctæ lucernæ & ſi à quibus multas aborſum paſſas, certiſſimum eſt ob horrorem & ſummam abominationem quam illis adferunt. Item omnia ſumpta & admota venenatæ qualitatis participia, cathartica vehementiora aut copioſiora, omniaque aperientia, & detergentia potenter aut occultis qualitatibus agentia, quibus peſſimæ quædam mulieres aliquando ad corrumpendos ſuos fœtus vel aliarum abutuntur. Eodem modo præſtat phlebotomia copioſior poſtremis

potiſſimùm menſibus vſurpata,ſeu ex venis cubiti, quia alimoniam eripit fœtui, ſiue ex malleolis,quia menſes aperit & proritare ſolet : Item balneum molliens & laxans, quia colliquando humores & deducendo verſus vteri regionem diſſoluit ligamenta vteri, aut etiam diſrumpit, atque hæc inter contingentia ſeu fortuita numerantur.

Cauſæ verò ex rebus neceſſariis repetũtur,quando ſex illæ res non naturales ratione indiuidui malè vſurpantur, vt pote aëris conſtitutiones inclementiores ſeſe inuicem, & quaſi immediatè ſubſequentes,aut inæqualiter corpora infeſtantes aborſus frequenter inducunt ex aph.12.li.3.vehementer æſtus non ſolùm abſorbendo & diſſipando corporis vires, ſed etiam ſuffocando, propter amotum reſpirandi vſum magnam grauidis moleſtiam & ſæpe aborſum infert; Aſtrologi etiam exiſtimant eſſe quaſdam conſtellationes malignas, propter quas nulla exiſtente alia cauſa manifeſta, certis temporibus tot aborſus promiſcuè in quibuſcunque fœminis contingere obſeruamus.Eodem modo cibus & potus nimia copia ſumptus nocere poteſt fœtui tum comprimendo, & quaſi ſuffocando, tum etiam irritando vomitiones violentas, aut diarrhœas diuturniores, parciùs verò ſumptus, vt per apoſitias illas & inedias quibus diuexatur, quia embrioni non ſuppeditatur conueniens alimentum, ſicque areſcens paulatim ſponte ſua decidit,vt contingit in fructibus marcore conſumptis:vbi verò vtuntur cibis maligna qualitate & ſubſtantia præditis, quod in pica & malacia contingit, fit vt non ſolùm alimentum conueniens deficiat fœtui,ſed etiam excrementa

menta congerātur, à quibus vterus cum fœtu valdè laborat, his adde vigilias & labores immēſos, animi pathemata vehementiora, vt terrorem ſubitum, iracundiam, effrenem alicuius rei appetitum, qua frui non poſſint, amorem furibundum, intempeſtiuum, & ſimilia. Frequentiſſimum eſt, vt mulieres aborſui obnoxiæ in illum præcipitentur propter exercitationes & motus violentos, choreas, ſaltus, vociferationes, equitationes &c. aut propter vacuationes inmodicas ſeu excrementorum, vt per vomitum, alui fluxum, ſudores & vrinæ profuſiones, ſeu ſanguinis per nares, aut hæmorrhoidas, ſed potiſſimū per venas illas vteri interiores, quibus apertis vix fieri poteſt, vt fœtus integer ad debitum vſque tempus maneat, quoniam ſi ſanguis iſte cohibeatur, coaleſcit intra vterum & putredinem concipit, irritatus erit, inſurgit ad illum expellendum, ſimulq; fœtum deturbat iam ſuffocatū, & putredine affectum: ſin verò effluat ita vt cohiberi nō poſſit, debilitatur ita fœtus, vt tandem exire cogatur: vnde Hippocrates aph. 60. ſect. 5. apparentibus menſibus in grauida impoſſibile eſſe putat, fœtum eſſe ſanum: eadem ratione aph. 32. ſec. 5. pronunciauit lactis effluxum copioſiorem ex mammis grauidarum, infauſtum eſſe, non ſolùm quia ſignificat magnam fœtus imbecillitatem, ſed etiam eandem cauſat, quia euacuat & quaſi reuellit illud, quod in alimoniam fœtus faceſſere debebat.

Iſtæ igitur cauſę externę nō ſemper ſubitò & immediatè aborſus excitare ſolēt, ſed vel interuenientibus diſpoſitionibus internis, vel de nouo genitis, & earū opera inductis: iſtæ autē diſpoſitiones inter-

næ reſpiciunt vt dicebamus, vel vniuerſum matris corpus, vel vterum, vel ipſum fœtum, vt peculiariter conſideranti patet. Vnde apud Hippocratem lib. de natura muliebri, diſpoſitiones omnes externæ inſigniores, vt potè gracilitas inſignis, vel nimia craſſities, catharroſa diſpoſitio, & ſimiles, reddunt mulieres propenſas ad abortiendum, ſed potiſſimùm morbi acuti, febres nempe continuæ, pleuritides & reliqui, tam ex plethora quàm cacochymia pendẽtes vbi in grauidas incidunt aborſus concitare vt plurimùm ſolent ob tres cauſas: primò, quia vehementer totum matris corpus ac proinde vterum cum fœtu affligunt & commouent: Secundò, quia ingens faſtidium ciborum inducunt, & triplicem corporis ſubſtantiam vehementer reſoluunt, vnde vtrique alimonia eripitur: Tertiò, quia iſti morbi ſoluuntur inſignibus vacuationibus, vel ſpontaneis & criticis, quas omnes fœtui periculoſas eſſe dicebamus, neque vacant etiam ſuo periculo morbi chronici in grauida, potiſſimùm illi qui per paroxyſmos reuertuntur, aut inſignibus laboribus, doloribus, & agitationibus illas exercent, vt febres quotidianæ & quartanæ, epilepſiæ, aut arthritides, dyſſenteriæ, teneſmi, tuſſes rebelliores cum frequenti ſternutatione & ſimiles, quia fieri non poteſt, vt fœtus integer & validus ad debitum vſque tempus in vtero permaneat, dum mater tot cruciatibus & tamdiu fatigatur: ex parte verò ipſius vteri, non eſt dubium, quin morbi ſimilares organici & communes, ſi grauiores ſint abortiendi anſam ſuppeditent, vnde eryſipelata apud Hippocratem, & omnes tumores præter naturam ſunt valdè pertimeſcen

meſcendi in grauida, quemadmodum vlcera, vulnera, diſtentiones, vel relaxationes nimiæ, quemadmodum leuitatem vteri, aut natura, aut vlceribus in ipſo innata contracta valdè accuſat Hippocrates lib. 10. Gynæc. in excitando aborſu: ex parte autem fœtus contingere poteſt aborſus, quando vel quantitate, vel qualitate peccat, quantitate quidem vt numero, magnitudine & pondere: numero, quoniam ſi duo, tres, vel plures in vtero fœtus ſtabulentur, periculum eſt, vt dicebamus ſuperiori capite, ne ſuimet preſſu & quaſi colliſione excludantur, vnde Gemellorum frequens aborſus: magnitudine verò, vt quando moles fœtus maior eſt & amplior, quàm par ſit ratione continentis vteri, hinc videmus mulieres puſillas frequenter abortire, potiſſimùm ſi iunctæ ſint viris proceris, magnum & citum in vtero incrementum capeſſit, vnde inſignis eſt & valde notandus contextus apud Hippocratem lib. de ſuperfœtatione, *qua mulier,* inquit, *concipiat quidem & frequenter, ſed fœtus bimeſtres, trimeſtres, quadrimeſtres, aut vetuſtiores ſtato ſemper & certo tempore excutit, illud eſt referendum ad vteri anguſtiam, qui angeſcentem fœtum ampliùs continere non poteſt.* Pondere autem dupliciter fœtus peccare poteſt, vel ratione virtutis ipſius vteri & ligamentorum, quæ infirmior ob varias cauſas reddita ne leuiorem quidem ſarcinam ſuſtinere valet, vnde ſequitur aborſus ſtatim aucto fœtu, circa quartum aut quintum menſem; vel reſpectu ipſius fœtus craſſioris, ſed & membranarum, ſeroſique excrementi ibidem copioſiùs collecti, qui grauitatem aliquando immoderatam adipiſcuntur.

Qualitate verò fœtus peccare poteſt multipliciter, vt potè quando exſiccatur & velut areſcens fructus ſponte decidit, vel defectu alimoniæ, vel facultatis nutricis in eo imbecillioris, ex cuius vitio plerumque in vtero moritur, & continuitatem phyſicam amittens, quam cum eo habere debet à natura foras expellitur, vel putredine quadam eſt affectus, propter inſignes obſtructiones, aut mordacibus & venenatis ſuccis imbutus, quemadmodum contingit in illis fœminis, aut etiam viris, qui lue venerea, elephãtiaſi, aut tetris vlceribus affecti coitum exercent, omnes enim iſtæ qualitates vtero infeſtiſſimæ illius vim expultricem citò irritant, ad etiam noxia ſimul cum fœtu propellenda: atque hæc de cauſis aborſus, iam ad diagnoſin.

Quod ad diagnoſin aborſus ſpectat, certum eſt illum, vel iam eſſe factum & futurum, vel fientem ſeu imminentem: aborſus iam facti ſigna non proſunt medico, niſi quatenus aliquando conſulitur à magiſtratu, vel aliis de pudicitia mulierculatum, quę fœtus ſuos clanculum corrupiſſe accuſantur: in hoc itaque caſu exploratis diligenter locis iſtis muliebribus per obſtetricem aut chirurgum, facile erit pronunciare de facto aborſu recenti, quia adhuc ſunt ita madentia & aperta, vt facilè ſit tunc coniicere aliquid abruptum violenter, & ex vtero depulſum fuiſſe: in aborſu autem inueterato poſt vigeſimum diem aut circiter non eſt ita facile comprehendere, ſi quid aut violentia qudam reſciſſum fuerit, aut etiam deiectum ex vtero, quoniam eiuſmodi partes rurſus inuicem coëunt, atque coaleſcunt, & paulatim in integrum reſtituun

ſtituuntur: futuri verò aborſus ſeu illius qui totus poſitus eſt in diſpoſitione ſuarum cauſarum, illius cognitio poſita erit in ſedula animaduerſione illarum, nam ex vario iſtarum concurſu, aut incauto prægnantis regimine & conſtitutionibus illis præter naturam ſuperiùs adductis poſſumus quaſi futuram eiuſmodi tempeſtatem præuidere: ſi per ſe igitur, vt imminentis ſeu fientis aborſus ſigna perluſtremus, quia maximè faciunt ad propoſitum noſtrum, illa certè repetenda erunt ex ſolitis fontibus: cùm enim fœtus naturaliter conſtitutus debeat eſſe in vtero indolenter in proprio ſuo ſitu & conuenienti, debeat etiam frui alimento ſibi debito, & expectare periodum ſiue tempus illud exeundi à natura conſtitutum ſine vllo motu præpoſtero, quotieſcunque iſta peruertuntur, periculum eſt, ne immaturè & violenter per aborſum excludatur.

Dolores igitur vehementer & crebri, qui grauidam exercent circa ventrem & lumbos, vt docet Hippocrates primo ſinax. quique ex proprietate huiuſce doloris verſus pubem & os ſacrum terminantur cum quadam compreſſione & egerendi conatu ſignant aliquid noxium latere, & iam diuelli membranas illas & vincula, quibus embrio matrici connectitur: quòd ſi poſt iſtos conatus & tormina, cruor ſanioſus, vel aqua, vel ſanguis purus, aut grumi illius exeant ſatis magna copia, iam inſtare aborſum apparet, quia non ſolùm diſrupta eſſe illa vaſa, ſed etiam apertum vteri oſculum ſignificatur, tuncque infantis ſitus non ſublimis & faſtigiatus in medio ventre ſentitur, ſed quaſi

Signa abor[...]

conglobatus & decliuis verſus hypogaſtrium,tuncque plurima ſymptomata miſeram prægnantem exercere, ſine cum febre, vt ſæpe accidit, ſiue abſque febre: nam & capitis grauitates,oculorum turbationes, rigores & tremores, inſignes cordis palpitationes, vomitiones, & cardialgiæ frequentiſſimè illas comitari ſolent apud Hippocratem in aphoriſ. vt iam dicebamus,ſi mammillæ prægnantis ſubitò gracileſcant,aborſum præſagiunt. Quemadmodum ſi fluxus lactis ex mammis grauidarum copioſior & diuturnior exiſtat, quia multum poſſunt mammæ ad denotandam fœtus & vteri conſtitutionem,quæ omnia ſunt grauiora prout primis vel mediis impægnationis menſibus apparent. Quod ad cauſarum verò aborſum committentium diagnoſin tam externarum quàm internarum,illa erit inſtituenda,non ſolùm ex ægrotantis & aſtantium relatu, ſed etiam ex peculiari cuiuſque natura ex propriis tractatibus repetenda: Illud valdè notandum eſt quod Hippocrates docuit ſecundo epid. textu 75. Quòd ſi ad caſum iſtum aut ſimiles externas & violentas cauſas vehemens dolor & perturbatio in grauida excitetur,ſtatim aut ſaltem eadem die ſubſequi aborſum; ſin verò minor fuerit vis cauſæ illius,tunc intra ſpatium trium dierum conſtare poſſe vtrùm fœtus corrupturæ ſint, quia vulnera huiuſmodi tertio aut quarto ad ſummum die recrudeſcere ſolent,vnde aborſus illo tempore contingit vel mitigatur, vnde infans denuò confirmatur,& in vtero retinetur.

Ex his prognoſin ſtabilire licebit; aliquando enim mulieres, vt dicebamus, ex aborſu de vita periclitan

clitantur,quia violentior eſt,quàm naturalis partus, vt docet Hippocrates lib.de natura pueri ; aliquando autem euadunt,ſed multis excruciatæ ſymptomatis,vnde plurimæ propter aborſum ſteriles deinceps per totam vitam manſerunt , quæ omnia ſunt prouidenda medico:quoties igitur violenter & ſubitò ex cauſarum externarum aut vehementia internarum accedit aborſus in muliere alioquin ſana,adeſt inſigne periculum, quoniam propter inſignes conatus & dolores, ex diuulſione aut diſruptione vaſorum vteri,contingunt hæmorrhagiæ largiores ad quas ſyncope,deliria,cõuulſioneſque cóſequuntur ſæpiſſimè ,tandemque mors ſi iſta diu perſeuerent,nullas enim vidit ſeruatas Areteus , quibus in aborſu,aut poſt aborſum conuulſiones ſuperuenerant : aliquando autem fit propter inflammationes & obſtructiones iſtarum partium , vt ſanguis non excernatur , ſed intus putreſcens ad ſuperiora recurrat,vnde febres æſtuoſæ , palpitationes cordis, cardialgiæ & etiam ſymptomata valde funeſta:aborſus itaque in primipara periculoſior, quia inaſſueta doloribus & anguſtiores habens iſtas vias , diutius & vehementius torquetur:adde quòd vt plurimùm ex iſta diuulſione dilaniandis oſculis vaſorum & exulceratis tandemque duriore callo obductis , aut certè præcipitato vtero & relaxatis ligamẽtis,deinceps conceptui ineptæ redduntur , & item graciles admodum & craſſæ mulieres valdè ex aborſu periclitantur:illæ propter infirmitatem , hæ verò propter obſtructionem locorum , per quæ excluditur fœtus : eſt etiam aborſus magis periculoſus ſexto, ſeptimo aut octauo , quia tunc grandior infans ma-

iorem in exitu moleſtiam & diuulſionem excitare ſolet;quæ verò ſunt humidiore & laxiore vtero ferè ſine noxa abortiunt primis potiſſimùm menſibus,imò exiſtimatur à noſtratibus fœminis, aborſus in hiſce mulieribus conferre ad fœlicitandam ſequentem conceptionem ,quia expurgant & exſiccant locos iſtos muliebres iuſto molliores.Eſt etiam inſignis contextus apud Hippocratem 2.epid. vbi vult aborſum ſexaginta dierum maſculinū cōforte partium ſuppreſſionibus, quod ego interpretandum cenſeo de illis,quæ non commodè expurgantur menſtruis periodis , & ideo valetudinariæ exiſtunt,quia per eiuſmodi aborſum aperiuntur viæ illæ obſtructæ,& ſanguis allicitur verſus vterum , qui parciùs antea fluebat,atque hæc de prognoſi ,iã ſupereſt,vt ad curationem veniamus.Curatio autem aborſus tota poſita eſt in præſeruatione futuri & imminentis: Iam factus enim reſtitui non poteſt & ex ea quæ inducit accidentia , facilè reduci poſſunt ad curam enixarum, quam ſequenti capite proponemus.Præſeruatio igitur futuri aborſus tota poſita eſt in ſublatione, vel artificioſa declinatione cauſarum illarum à quibus produci ſolet,quas in regimine prægnantium ſatis acuratè perſequuti ſumus:hîc igitur pauca tantùm aduertenda,primò, futurum aborſum prçcauere,vel dum grauida mulier eſt , vel extra grauiditatē: extra grauiditatem perſcrutandæ erunt imprimis conſtitutiones totius corporis, quæ aborſui anſam ſuppeditare poſſunt,vt pote plethora, cacochymia , gracilitas.vel craſſities nimia, plethoræ venæ ſectio , cacochymiæ iterata purgatio debebitur

debebitur, gracilitatem inſtaurare conueniet debito victu & balneis, craſſitiem imminuere, laboribus, frictionibus, attenuante victu, thermis ſulphureis & ſimilibus. Deinde contemplanda erit conſtitutio ipſius vteri, in quo omnes intemperies corrigendæ erunt diligenter, vt primo libro docuimus, potiſſimùm illa humida & mucoſa, propter quam laxantur vteri acetabula, nec non flatuoſa, propter quam ſæpe diſrumpuntur, eodem modo anguſtia locorum, præcipitationes vteri, vlcera & calloſitates illius erunt diligenter percurandæ, quantum fieri poterit, antequam mulier aborſui obnoxia conceptioni det operam: vbi verò ſemel conceperit cum hiſce diſpoſitionibus, maior erit præcauendi aborſus futuri difficultas, quia non licet tam liberè hiſce remediis in prægnante, quàm in non prægnante vti; eſt tamen audendum aliquid, & vbi frequens aborſus periculum præceſſit eadem remedia vſurpanda, vnde multas, quæ ob nimiam ſanguinis copiam abortiebant, ſæpe liberauimus iterata primis menſibus bis vel ter venæ ſectione ex cubito: in quibus verò inſignis cacochymia redundabat frequenti purgatione circa medios potiſſimùm menſes ex ſyrupo magiſtrali vel opiata laxante, quæ roborantibus etiam conſtaret, in quibus verò intemperies illa humida catharroſa mucoſa aut flatuoſa totius corporis & vteri infeſtabat dieta leuiter exſiccante, necnon decocto gaiarico, & ſalſæ parillæ in craſſioribus & robuſtioribus vel rad. ſchinæ in gracilioribus, vt aborſui minùs eſſent obnoxiæ,

quibus

quibus omnibus ita præſtitis ad futurum aborſum artificioſè præcauendum, ſi nihilominus propter imbecillitatem totius corporis vel vteri, propter morbos acutos aut cronicos ſuperuenientes in grauida, vel cauſarum externarum & de improuiſo agentium impetum, iam immineat aborſus, vt ex ſupra adductis ſignis innoteſcit, tunc antequam fiat omni opera & ſedulitate impediendus: ad illud autem hoc modo progrediendum erit: vbi quando dolores & tormina in ventris fundo & lumbis apparuerint verſus pubem & os ſacrum extenſa non erit cunctandum, ſed fœmina in lectum ritè collocata omniq́ue corporis & animi motu cohibito ſedandi ſint iſti dolores pro varietate ſuarum cauſarum, tam ſumptis quàm admotis; etenim ſi aſſumpta venenata aut maligna medicamenta oriri contingat, vt fit aliquando in illis, quæ deprauato appetitu donatæ varia & deleteria ingerunt, aut quæ ſibi aborſum ſponte conciliare voluerunt, tunc alexipharmacis propriis agendum, & iis etiam quæ manifeſta qualitate venenatorum vim obtundunt: ſi ob cruditatem & flatus excitetur aborſus quod eſt frequentiſſimum quando incipit à cauſa interna, diſſipentur & corrigantur illis, quæ ſimul roborandi vi ſunt prædita, ad quod guttæ aliquæ olei aniſi tum vino aut iuſculo ſumptæ prodeſſe poſſunt. Item puluis ex coriandro & aromat. roſato concinnatus, imo theriaca aut aqua imperialis exhibita, ſi maior ſit collecti phlegmatis & flatuum ſoboles: interea admoueantur abdomini carminantia & flatus diſſipantia, vt pote ſacculi ſeminis fœnugræci, floribus camomeli anthos & ſtecados refertis: panis

nis roſaceus vino rubro calente irroratus & pul. nucis moſcatæ & coriandri aſperſus. Item omentum recens mactati veruecis, pulmones calentes & ſimilia adhibita, ſummum adferre ſolent hiſce doloribus ſolatium. quòd ſi pertinaciores ſint, poterũt iniici clyſteres ex vino & oleo confecti, in quibus ℨ iij. philon. rom. diſſolui poterunt, aut requies Nicolai dicta per os exhiberi ad ℨ j. cum pauca conſerua roſarum, vt iſtis narcoticis leuioribus natura pauliſper recreetur, quorum etiam magna erit commoditas, quando iſti dolores ab acrioribus, virulentis & malignis humoribus pendent: tandem vbi dolores iſti diutius grauidam exercuerint ſolet erumpere ſanguis ab vtero, quod citò fit, quando abortus excitatur ab externarum cauſarum violentia & pendet: apparens igitur ſanguis non eſt ſtatim ſiſtendus, ne ad interiora ſtatim reuocatus concreſcat & fœtum ſuffocet, ſed reuellendus frictionibus ſuperiorum partium & ligaturis dolorificis admotis, & etiam cucurbitulis thoraci & ſcapularum regione ſub mammis & vtrique hypocondrio, quinimo ſi valentes ſint fœminæ & plethoricę, non fuerit tunc abſurdum venam cubiti ſecare, vt per epicraſin partitiſque vicibus ſanguinem educere, quòd ſi iam largiori copia effluere incipiat ſanguis per inferiora, tunc liberè adſtringentibus & repellentibus vtendum, ac proindè exhibeantur frequenter per os ea, quę ſanguinis fluxum ſiſtere valent vt alimentum incraſſantia & aſtringentia, ſuccus plantaginis recenter extractus, puluis granorum kermes, coralli vtriuſque, terræ ſigillatæ, & lapidis hęmatitis cum pauco vino rubro, aut aqua roſarum, maſtiches

ches etiam aliqua grana non inutiliter deuorantur. Item ſyrupus de papauere ad ℥ j.ſumptus cum pul. Boli arm. aut ſang.dracon.Item fiant fotus adſtringẽtes & roborantes ex vinaciis vuarum balauſtiis, cortice granatorum,nucib. cupreſſi, nucleis glandium & ſimilib.in aqua fabrorum & vino decoctis: inungatur totus venter & renum regio oleo myrtino,vnguento comitiſſæ & roſaceo, admoueantur emplaſtra regioni pubis & lumborum ex maſſa emplaſtri pro matrice, aut contra rupturam lentiſinio diſſoluti:bolus armena aut vulgaris excipitur albuminibus ouorum & aceto, & inſtar cataplaſmatis, quod ſupra ſtupas cannabinas, vel linteola admouetur vtrique hypocondrio & lumbis, in cuius locum ruſtici & quidam authores noſtri commendant ſtercus ſuillum recens aceto diſſolutum eiuſmodi partibus admotum; non ſunt etiam negligenda ea, quæ ex proprie[illegible]e fœtum in vtero continere dicuntur,& lapis ille atites ex collo ſuſpenſus, magnes vmbilico admotus, coralli, iaſpides, ſmaragdi,adamantes, oſſa de corde cerui legitima ſub axillis geſtata & ſimilia, quibus omnibus ſi nihil proficitur, ſed perpetuò adſit naturæ conatus ad expellendum cum ſanguinis copia & grumis prodeuntibus:tandem erit quieſcendum ab vſu iſtorum adſtringentium,& permittenda fœtus iam abrupti aut diuulſi excluſio,ne cunctatione ſua maiorem adferat noxam matri & vtero,quæ tunc roborantibus tam ſumptis quàm admotis iuuanda:atque hæc de abortu ſufficient:nunc.

De

De partu iuuando, & eis quæ ad partum conſequuntur.

CAPVT VII.

PARTVS naturalis & legitimus qui græcis Diſtochia dicitur contingere ſolet vbi omnia illa impedimenta ſublata fuerint, quę dicebantur generationem impedire & illius conuenientes terminos inuertere. Quotieſcumque igitur fœtus ſeptem illas quadragenarias tantopere apud Hippocratem celebratas, quæ nonum & decimum menſem complectuntur, attigerit, iam numeris ſuis omnibus abſolutus quodam quaſi critico motu & nouæ vitę cupidus diſrumpit, vt volunt, calcitrando inuolucra ſua, vel vt credibilius eſt, præ maturitate & pondere, vt contingit in fructibus decidit cum ſuis ſecundinis iam ob illius magnitudinem diuulſis, in partem abdominis inferiorem atque in caput conuerſus, mira naturæ prouidentia, vel propter pondus partium poſt effuſas illas interiores aquas, ſanguiniſque quantitatem mediocrem, vuluę oſtium petit, quo aperto & ſufficienter dilatato pro natura membranarum inſurgente vteri & muſculorum abdominis expultrice facultate, foras cum ſuis membranis erupit

pit, quaſi miraculo quodam naturæ inter anguſtias firmiſſimorum oſſium ſacri, ilium & pubis ſolo coxigis oſſe ſeu cartilagine potius leuiter ad poſteriora recedente, vt illis viam faciat: nam aliorũm oſſium diſparationes ſeu diuulſiones cum Auicenna admittere non poſſumus, quoniam nulla ibi apparet talis cauſa, quæ firmiſſimas iſtas coniunctiones disiungere valeat, neque mulier puerpera vnquam ſine luxatione, aut claudicatione euaderet, quamuis igitur acerbi ſentiantur in partu dolores hoc tantũ contingere poteſt ex diſruptione mẽbranarum & vaſorum illorum, quibus fœtus vtero annectitur, tum etiam ſumma contentione & nixu, quo opus eſt ad fœtum ex vtero depellendum: quemadmodum igitur in aliis omnibus naturæ operibus plurimi errores ac difficultates accidere poſſunt, ſic in iſto præcipuè quod inter alia maximi eſt momenti & laboris. Quotieſcunque igitur impedimenta grauiora naturam ab iſto opere reuocant exoritur diſtochia difficilis, ſed & laborioſus partus, in quo conſideramus difficultatem, primò ratione temporis, quod in excludendo fœtu inſumitur, quoniam in naturali partu, non debet excedere ſpacium vt plurimum viginti quatuor horarum à primo inſultu: deinde ratione doloris & grauiorum ſymptomatum, quibus puerpera præter modum torquetur in ipſo partu, aut poſt partum, ita vt ſanitatis latitudinem egrediatur & medicis auxiliis deinceps ſit iuuanda nunc: ad cauſas accedendum eſt.

Cauſas ergo diſtochias tam internas quàm externas repetere oportet ex contrariis vel oppoſitis conſti

conſtitutionibus earum quæ facilem & naturalem partum efficiunt: ad illum enim debent concurrere, quando omnia externa benè diſpoſita, non ſolùm tempore partus, ſed etiam ante illum vt in regimine prægnantium propoſuimus: deinde matris ipſius robur etiam & valetudo commoda plurimum conducunt, cum vteri recta diſpoſitione, quibus vt præcipuis agentibus maximè perficitur iſtud opus, debet etiam ipſius fœtus bona conſtitutio & alacritas adeſſe, vt pote, qui non ſimplicis excreti hîc rationem obtinet, ſed rei animatæ proprioque motu præditæ, qui maximè requiritur ad facilē & commodum illius ex vtero exitum. Dyſtochias itaque cauſæ erunt, vel internæ, vel externæ: hæ reſpicient res omnes tam neceſſarias, vt vocant, quàm contingentes: illæ verò matris vteri & fœtus, cum ſuis ſecundinis, malas diſpoſitiones: vt igitur ab externis neceſſariis ſiue ex rebus non naturalibus dictis incipiamus: certiſſimum eſt aërem inclementiorem præcipuè verò frigidum & ſiccum qualis eſt flante aquilone valdè infeſtum eſſe parturientibus, quia cogit poros, humores & ſpiritus verſus interiora repellit: & puellulo exeunti à tepentibus illis locis valde eſt noxius, ſic etiam torridus & præter conſuetudinem regionis exæſtuans plurimùm obeſt parturitioni, quia vires vtriuſque exhaurit, reſpirationem reddit laborioſam & inflammationem febrilem facilè inducit in corpus iam cachymū & exagitatū: Idem dicas de vſu intempeſtiuorum balneorum, lotionum, domus & loci peculiaris in quo habitant parturientes, quorum incommoda illis facilè communicantur. Quòd ad alimenta ſpe

ctat ſiquidem cruda multa, dyſpepta aut adſtringẽtia aſſumpta fuerint circa horam partus, vel ante aliquot dies, vt ſæpè contingit in voracioribus & moroſis fœminis, plurimum nocere poſſunt, debilitato ventriculo & conſtipatis communibus viis, quæ his maximè patere debent; odores porrò cibis permixti, aut ſine illis, tam fœtidi quàm ſuauiores impedimentum hîc aliquando attulerunt: Illi enim conturbant ſpiritus & ſuffocationis periculum infanti aliquando afferunt: ſi verò grauiores, quia alliciunt vterum ad ſuperiora, illiuſque liberam dilatationem impediunt, vt patet in hyſtericis mulieribus: ſomnolentia atque ſtupor in parturiente mala ſunt, tum quia oſtendunt inualidam naturæ vim, & parum propoſito muneri intentam, tum etiam quia retundunt, & cohibent vtriuſque impetum ad efficiendam iſtam excluſionem neceſſarium; maior eſt adhuc noxa ex parte exercitationis, & motus intempeſtiui ſiue nolint ſtare parturientes, ambulare, decumbere, ſedere in ſella obſtetricia quando opus eſt, ſiue importunè agitentur hinc inde præ doloris vehementia aut animi imbecillitate, vnde contingit fœtum, vel non poſſe exire ſecundùm debitam figuram, vel illam amittere ob iſtas circunuolutiones, imò certum eſt quoſcumque motus qui feruntur verſus exteriora corporis vt oſcitationes, pandiculationes, rigores, tremores, & ſimilia noxios eſſe parturienti: prodeſſe autem ſternutationem, compreſſionem, anhelitus ſiue ſuſpiria, quia impelluntur ſpiritus, verſus inferiora & vterus comprimitur, excretiones pariter ordinariæ præter modum ſuppreſſæ circa

iſtud

iſtud tempus magnam moleſtiam inferunt, vt vrinæ veſicam diſtendentis fœcum in recto inteſtino induratarum, hæmorrhoidum inſigniter tumentium, aut dolentium, tum quia coarctant vteri ceruicem, tum etiam quòd naturam auertunt à parturiendi conatu; his adde animi pathemata vehementiora, vt timorem in infirmioribus, & primiparis, , quæ nondum expertæ iſtas affectiones præ metu quaſi exanimatæ ſunt, mœſtitiam inſignem ante prægreſſę, vel præſentia incommoda, iracundiam præcipitem necnon ex his tribus compoſitum pathema moleſtiſſimum quod zelotypiam appellāt, his enim agitatæ quaſi furiis & tempeſtate quadam ab ouo & ſalutari pariendi portu, vt plurimum auertuntur: his neceſſariis & conſuetis cauſis difficultatem partus inducentibus, ſi non neceſſariæ, ſeu contingentes ſeſe adiunxerint, tunc multò maius negotium incumbit, inter iſtas autem præcipuè recenſemus ad ſtantes, nam & viri debent eſſe validi aut ſaltem fœmellæ, quæ parturientem ſubleuent & fulciant, dum eſt in ipſo enixu, debet etiam adeſſe obſtetrix, quaſi iſtius actionis præſes præcipua, ſapiens, ſcilicet & perita, cuius præſentia parturiens confirmetur, & bene ſperet de ſua ſalute, illius enim munus eſt parturientis animū erigere, debitū corporis motū, & ſitum imperare, in ſella aut lecto conuenienter collocare, inſtantem partum agnoſcere, vteri oſculum leniter aperire, puellulum rectè exeuntem excipere, morantem promouere, malam figuram ſeſe offerentem corrigere & immutare, vmbilicū illius ſæpiēter & tempeſtiuè reſecare, imò & eodem impetu ſi fieri poſſit educere,

& productum infantem comiter,ac peritè tractare, vt poſtea etiam dicemus:inter externa etiam & fortuita recenſeri poſſunt quæcunque ex improuiſo concurrere parturientibus poſſunt, vt ictus, caſus & ſimilia extra poteſtatem noſtram poſita: interiores verò cauſas dyſtochias peculiariter conſulemus, primò ex parte matris;ſecundò vteri; tertiò ipſius fœtus.Quod ad matrem ſpectat certum eſt illius debilitatem ſiue ſit ex naturæ primordiis ſiue ratione ætatis,vt in valde iuuenculis & ſenioribus. ſiue ob morbos acutos, aut diuturnos, quibus per grauiditatem ipſam diuexatæ fuerunt,aut adhuc diuexantur,vt ſępè contingit, maximum hîc impedimentum adferre, quæ valde macilento & conſumpto ſunt corpore ob ſiccitatē & anguſtiamviarum, quæ verò valdè pingues & craſſæ ob compreſſionem vteri multùm laborant in partu,nec ſolùm ratione totius corporis materni, ſed etiam partium principalium malè affectarū aut vtero circumiectarum iſta difficultas contingere poteſt, omentum verbi gratia craſſius, non ſolùm ſterilitatem, ſed etiam diſtochiam inferre poteſt, quando nimium coarctat iſtas vias per quas debet exire fœtus, ſic oſſa ilium, pubis, ſacrum & coxigis malè confirmata vt in claudicationibus; inteſtina flatibus diſtenta, veſica calculo aut tumore præter naturam affecta, ipſi etiam pulmones & reliquæ partes reſpirationi dicatæ ſi malè ſe habeant magnam parturientibus difficultatem afferre poſſunt, quia debent cohibere anhelitum & ſpiritum ad inferiora propellere: nouimus etiam quaſdam infirmiore ventriculo aut cerebro, quibus inſtante partu contigerint

tigerint vomitiones aut epileptici inſultus: aut magno fœtus detrimento & matris periculo, quod de aliis partibus eodem modo dici poteſt, præcipuè autem de vtero, cuius hîc præcipua debet eſſe vis ad excludendum infantẽ in ſinu ſuo poſitum, quotieſcunque igitur vel ante partum, aut in illo, grauioribus occupatur affectibus ſimilaribus organicis & cõmunibus, impoſſibile eſt fœlicem eſſe parturitionem, vnde propter obturationem, obſtructionem vel adſtrictionem illius deueniendum eſt ſæpius ad chirurgicam operationem, vt poſtea videbimus, idem dicas de intemperie illius communi quæ inſignior fuerit tumoribus præter naturam & phymoſi, vlceribus, cicatricibus orificij, & aliarum partium grandioribus, quemadmodum mater & vterus. Præter naturam ſe habentes negotium in partu faceſſunt, ſic etiam fœtus ratione ſuæ ſubſtantiæ, quantitatis, figuræ, & illi adiunctorum vitium ſubſtantiæ in fœtu adeſt, quoties vel mortuus, vel putrefactus aut maligna quadam labe infectus aut in vtero debilis & morboſus latitat, neq; quicquam virium præſtare poteſt ex parte ſui ad promouendam iſtam actionem: ratione autem quantitatis tam continuæ quàm diſcretæ impedimentũ adfert partui, quãdo maioris eſt molis, quàm par ſit, vel ſecundùm totum corpus, vel ipſum caput, vt apparet in puerulis megalocephalis. aut etiam quando ſunt plures in vtero, vel gemelli & diſcreti, vel cohærentes ſimul, aut certè vnicus, ſed pluribus membris quàm ſuiipſius ſpeciei ratio ferat præditus, vt pluribus brachiis & pedibus deformis: ratione autem ſitus & figuræ ad exeundũ idoneæ plurimi errores

& moleſtiſſimi contingere poſſunt in partus figura, figura enim ipſius infantis ad facilè exeundum comparata ectyponaſte dicitur apud Hippocratem quoniàm capite prçuio ſuoq; e pondere vt dixi, debet facere ſibi viam ad exeundum, tum etiam quia ſub hoc ſchemate nullum aliud membrum diſtorqueri, aut reflecti poteſt, aliæ igitur omnes figuræ vitioſæ, & partum remorantes, vt quando in pectus & manibus præuiis exire conatur, quando vnum tantùm pedem vel manum alterutram exerit, aut ſeſe offert duplicatus in nates, in ventrem, & ſimiles corporis partes: ſub hoc enim ſitu impoſſibile eſt partum innoxiè ſuccedere, vt plurimum enim ſuffocatur fœtus, vel illius membra diuelluntur, aut diſtorquẽtur; ratione denique adiunctorum fœtus, contingit difficultas in partu, nẽpe membranarum quas ſecundinas vocãt authores noſtri, quia ſecũdò aut ſtatim poſt fœtum exire debent, imò etiam in feliciori partu capiti infantis inuolutæ, inſtar galeæ exoriantur.

Quoties igitur iſtæ membranæ nimium ſunt tenues & infirmæ, ita vt eludant vim excretricis facultatis, vt citiùs quàm par eſt diſrumpantur, contingit præcox, & nimiùm feſtina aquarum, quæ in illis continentur, effuſio, ſicque reſiccatum manet vteri orificium, quando exiturus eſt infans, vel quãdo nimiùm ſunt craſſæ & duræ, ita vt facilè à fœtu diſrumpi nequeant, vel deinceps in vtero diutiùs morentur illius acetabulis firmiùs adhærentes, iſta omnia dyſtochiam inferre valent, quibus adde molę in vtero generationem ſimul cum fœtu, quæ ſi illi coniungatur & adhæreat, debent ſimul exire,

re,ac proinde impediens illius motus ſæpiſſime fœtus internecionem adfert, & ſummam in exeundo difficultatem, vnde à veteribus quibuſdam practicis eiuſmodi mola fœtui iuncta frater Lõgobardorum appellatur,quia frequens dicitur eiuſmodi partus in agro Mediolanenſi,ſiue in Suetia, atque hæc de præcipuis dyſtochias cauſis.

Præcognitis itaque eis omnibus,quæ facilem,vel difficilem partum excitare poſſunt,iam ad diagnoſin eſt deueniendum: oportet enim inſtãtem partũ agnoſcere priuſquàm de illius euẽtu pronũciemus, aut quædam auxilia ad eũdem iuuandum adhibeamus: deinde cauſas à quibus illi difficultas adferri ſolet diſtinguere,vt pro earũ varietate, methodicã noſtram therapiã,quando opus fuerit,inſtituere valeamus,vbi igitur ex ſupputatione prægnantis 7. 8. 9. 10. menſis grauiditatis ſuperuenerit,& iã contigerint dolores, ſiue tormina frequenter & validé ſeſe conſequentia verſus pubem, lumbos & inguina,non eſt dubium,quin natura excretionem infantis moliatur, qui tunc in procinctu maximè poſitus eſt,quando venter in ſuperiore parte ſubitò detumeſcens ad inferiora quaſi deuoluitur, genitalia intumeſcunt,vulua humectatur, vrina quadam incõtinentia vrget & oſculum matricis à perita obſtetrice contrectatum ; primò, inſtar oui tumens deprehenditur,deinde hians,mox aquarum,ſanguiniſque effuſione madidum, hæc ſi rectè ſuccedant ſolius naturæ impetu, puer in caput pronus, manibuſque ad genua conuerſis ſe te offert.& mediocri parientis conatu per vteri ceruicẽ ſaluus erũpit,cuius vmbilicalia vaſa adhuc vtero adhærẽtia cõuenié-

ter primo ligantur, ne ſanguis per ea effuſus internecionem, aut ſummam debilitatem puello inferat, vt ſæpe viſum eſt. Deinde ſecantur manu tantum obſtetricis firmiter apprehenſa, & quæ nō ſunt priùs dimittenda quàm monita parturiente & erecta, vt vno aut altero impetu cum ſanguine profluente, inuolucra ſiue ſecundinas poſtmodum excludat: his enim fœliciter peractis, nihil aptius ſupereſt, quàm vt enixa & infantis nuper nati conueniens cura habeatur. At verò in difficili & laborioſo partu omnia iſta peruerſo ordine ſuccedunt, nam ſiue externa impediant à nobis commemorata, ſiue mater ex parte ſui deficiat, ſiue vterus malè ſit diſpoſitus, vel infans non ſequatur naturæ leges, tunc cōtingit perturbatio in opere iſto perficiendo, malam autem externarum cauſarum conſtitutionem, ſiue neceſſariarum, ſiue contingentium facilè erit ex preſenti & prægreſſo rerum illarum ſtatu cognoſcere, matris verò defectus cum toto aut partibus vteriqúe diſpoſitiones morboſas ex cōuenientibus etiā ſignis oportet deprehēdere, quæ peculiaribus tractationibus fuere propoſita, infantis itaque errores & illi adiunctorum ſunt perquirendi, vt pote ſi ſit debilis, maligna aliqua tabe infectus, aut alio modo morboſus, illud innoteſcet ex prægreſſis, vel adhuc præſentibus affectibus tam acutis quàm chronicis, quibus diuexata mater vitioſam aut deficientem alimoniā fœtui in vtero præbuit, eiuſque vires afflixit: vnde Hippocrates fluētibus menſtruis in grauida eodem modo quo aut conceptum impoſſibile putat fœtū bene ſe habere; & dum mammæ ſubito in prægnātibus gracileſcunt ſignificatur maxima febris & vteri

debilitas

debilitas,propter illam,quæ cum mammis,& vtero eſt,coenoniam: quin etiam prægnantes in eiuſmodi fœtus debilioris aut morboſi geſtatione multùm laborare ſolent,exiguos & raros illius motus in matrice perceperunt & inſtante partu nullos aut certè languidos impetus, qui etiam ſi diutius morentur cõtingit puerum in vtero mori vel ſuffocari,prę nimia deiectione vitiũ,tuncque error cõtingit priore peior,quia demortuus infans non ſolùm impedit perſtrictionẽ,ſed etiam noxius euadit ſuo fœtore & putrilagine q̃ citò corrũpitur in illis locis cõcluſus, ideò ſtatim dignoſcendus infantis in vtero interitus vt poſſit excludi,antequam corruptelam ſuam matri communicet: vbi igitur illud contigerit primò ceſſat motus ille quem priùs in vtero aut obſtetrix percipiebat admota manu,aut aliis rebus tẽperantibus & roborantibus,quibus vis illius ſopita,ſi nõ ſit mortuus ſolet exſuſcitari:dolor grauis poſt modum cum maioris ponderis ſenſu hypogaſ. infeſtat,iamque vẽtris inferioris frigiditas tactu deprehenditur extincto natiuo calore & diſſipatis ſpiritibus, qui in puero continebantur:prouoluitur etiam moles illa inſtar lapidis aut rei inanimatæ in vtrumque latus conuerſa matre,tandem putreſcente fœtu ichores fœtidi & ſanioſi ab vtero manare incipiunt,abdomẽ ob vapores eleuatos inflatur,teter odor & graueolẽs ſpiritus non ſolùm ex ore matris per anhelitum,ſed etiam toto corpore exhalat:vnde aliquando etiam febres exoriuntur:ſuperueniunt etiam lipothimiæ, oculi redduntur concaui & contuſi, pallor horrendus faciem occupat,friguſque & liuor in extremis partibus apparent:donec fœmina è medio tollatur:

hæc enim eſt frequens demortui in vtero fœtus & miſerrima cataſtrophe. At verò vbi error contingit in partu ratione quantitatis fœtus ſi ſit nimia magnitudo in toto corpore vel capite ſimpliciter, aut ratione vteri anguſtioris, illud à perita obſtetrice percipietur, quia quantumcumque rectè procedunt puero & impetum facientem non poteſt tamen per illas anguſtias euadere; ſed in ipſo orificio ſubſiſtit ingens diſtenſio, moles & pondus ſentitur: omnes cauſas quæ illius quãtitatem augere poſſunt, præceſſere: Idem dicas de geminis aut pluribus ſeſe inuicem præpedientibus & demonſtroſis conceptibus, quibus partu abundant, aut malè ſunt conformatæ, hæc enim tactu ſeu dignoſcuntur, & vario motu ſituque, qui in vtero percipitur, figura etiam deprauata animaduertitur facilè, quia tunc fœtus offert partem aliquam, quæ primo exire nequit ſine periculo, vt pedem, manum, & ſimilia à nobis dicta. Denique cognoſcemus adiuncta fœtus impedimentum afferre partui, ſi aliis benè ſe habentibus, aliquid tamen lateat, quod excluſionem iſtam retardet: ſecundinæ enim teneriores & molliores quàm par ſit ex eo innoteſcũt, quia primo impetu diſrumpuntur, & emittun illas ſeroſitates longè ante partũ quæ lubricam fœtui viã reddere debebant: duriores verò quia nequeunt poſt multa tormina diſrũpi, ſed firmiter fœtũ & illas aquas retinẽt perſeuerãte parturiendi labore quod ſi aliqua mola aut tumor præter naturã coniunctus ſit cũ fœtu, ſentur manifeſtè aliquid adhærens vtero firmius, præpediensque infantis exitum: ita vt tempora computationis reſpe-
ctu

ctu grauiditatis incerta & confuſa propter iſtã complicationem receſſerint & in tumoribus præter naturam aut mola, impoſſibile eſt grauidam cõmodè ſe habuiſſe tẽpore geſtationis,ſed grauioribus ſymptomatibus infeſtatam ad hãc tandẽ partus horam perueniſſe: ex his igitur & ſimilibus diagnoſin cauſarum & difficilis partus ſtabiliendã. Quod ad prognoſin ſpectat partũ difficilem & laborioſum fore præſagiet medicus, ſi poſſit antea cognoſcere ſtatũ cauſarum à nobis enumeratarũ, potiſſimum ſi prægnans ſit primipara,tenuiori corpore & ſicciori,aut etiam pinguiori,anguſtioribus lũbis,&,clunibus diſtortis coxis, & alio modo circa iſtas partes vtero vicinas malè conformata,ſi ſit annoſa aut nimiũ iuuencula,corporis aut animi infirmioris propter natiuam conſtitutionẽ aut prægreſſos morbos,ſi aquarum aut ſanguinis effuſiones frequẽter in illa apparuerint priuſquã partus inſtaret cum aborſus periculo, ſi lac copioſum & crudum ex mammis effluxerit,aut illarũ extenuatio inſueta & pallor diutiùs perſeuerauerit,potiſſimùm circa vltimos grauiditatis menſes. Denique ſi languoribus aut horroribus frequentioribus per interualla corripiatur : imò ſi nullos aut non ſufficienter dolores inſtante partu, aut in ipſo partus conatu perſentiat, ſuſpectum eſt illud valde Hippocrati in Coac,quia ſignificãt ſummam vtriuſque imbecillitatem aut partium inſtar anaſtibian ſtuporum, & quaſi narcoſin abeunte calore natiuo ; bonum eſt autem ſternutationem ſuperuenire partui apud Hippocratem, tum quia naturę a lacrioris robur ſignificat,vimq́ue ſopitam excitat,& illud quod firmius corpori adhęret iſto concuſſu ſiue ſpirituum ad interiora impulſu expellet.

vbi partus diutiùs moratur, vt dicebamus ad quartum ſcilicet vſque diem, fieri vix poteſt quin vterque de vita periclitetur, quia collapſæ ſunt matris & fœtus vires, vterique inflammatio vt plurimùm ſuperuenire ſolet. Veniamus igitur ad auxilia quibus puerperæ in huiuſmodi periculo conſtitutæ iuuari poſſunt: Therapia igitur parturientium fœminarum partim communia quædam habet, quæ obſeruari vulgò ſolent in quouis partu iuuando: partim verò quædam peculiaria & appropriata differentiis cauſarum à quibus diſtochiam excitari duximus. Quod ad communia igitur ſpectat, primò, oportet in quocunque partu rationes habere virium puerperæ, ne videlicet collabantur, deinde caloris natiui qui occupatus maximè & intentus huic operi non eſt reuocandus ad alia, aut multitudine eduliorum opprimendus: ideò parturientes alendæ ſunt eupeptis, & euchymis cibis pauca quãtitate, ſed frequenter exhibitis ad reparandos ſpiritus, vt pote iúſculis conſummatis, panatellis, iure carnium expreſſo aut contuſo caponis vel perdicis, carnis veruecinæ, & ſimiles ouis tremulis recentibus, pauco puluere ducis qui ex ſaccharo, & cinamomo cõficitur aſperſis fruſtulo panis in vino generoſo intincti, vt maluatico, aut muſcatellino, & etiam hypocratico propter cinamomum vtiliſſimo, dummodo nulla adſit febris, vel inflammationis internæ ſuſpicio, odoretur frequenter vinum, aut acetum calfactum, cum pauca nuce moſcata, & gariophillis, ad ſpiritus animales recreandos, quod ſi diutiùs protrahatur patiendi tempus, vt pote vltra ſpatium viginti quatuor horarum exhibe

hiberi poſſunt quædam ſolidoria, vt nuces ſaccharo conditæ, cortex citri aut arantij ſimiliter conditus, & alia quibus ventriculi robur inſtauratur: Aër etiam in cubiculo parturientis ita temperandus, vt nullum qualitatis exceſſum repræſentet, omnis fœtor & immundicies amoueatur, eaque omnia quæ terrorem incutere poſſunt vt pote ſanguis in terram effuſus ex vtero & ſimilia: quando conquieſcunt tormina ex interuallo & nulla ſeſe produnt exituri infantis ſigna, poteſt indulgere leuiori ſomno, plus tamen vigilandum vt acrior ſit naturæ pugna & celerior ſi fieri poſſit expulſio fœtus iam ad exitũ properantis, ſi vrina aut fœces diutius ſint retentæ educantur accommodatis clyſteribus aut ſuppoſitoriis, quoniam iſta excrementa ob viciniam cum vtero, non ſolùm retardare excluſionem fœtus, ſed etiam illum comprimere valent: omnium denique adſtantium ſit alacritas ſumma & iucunda cum parturiente locutio, vt erigatur illius animus, neque vllo modo permittatur ingreſſus iuuenculis virginibus, nuper nuptis aut inexpertis laborum iſtorum, quia clamoribus ſiue eiulatu perterreſcere poſſunt ipſam parturientem & reliquis perturbationem inferre. In primis autem ſolertia obſtetricis hîc eluceſcere debet, quæ tanti negotij velut domina, parturientem iubeat decumbere, ambulare, ſtare, aut ſedere in ſella conuenienti quando opus fuerit; neque enim citiùs quàm par eſt aut alieno tempore oportet iſta præſtare, neque etiam vteri os diuellere, priuſquam ſponte ſua dehiſcat, quod leuiter & placidè tunc contrectare debet, manum paulatim inferre intinctis oleo liliorum

rum vel amygdalarum dulcium digitis, & accuratè reſectis vnguibus, ne quid interius violet: vbi iam caput infantis ad orificium vteri ſeſe offert collocet illam in ſella obſtetricia, quæ nullo modo comprimat clunis, aut poſtremum coxigis os, vel ſi deſit ſella fulciatur duobus viris aut fœminis robuſtioribus, tuncque monenda eſt vt vires ſuas valdè exprimat, compreſſo anhelitu, & ad inferiora vehementer compulſo, quod ſi tunc ſternutatio ſuperueniat aut arte excitetur vt ſolent, parata eſſe debet obſtetrix ad excipiendum feſtiuè, educendumque molliter infantem ab vtero exeuntem, eodem tempore vbi partus magis moratur, poſſunt admoueri coxis ea quæ à proprietate creduntur iuuare partum, vt lapis ætites, ſtirax, calamita, coriandrum virile, radix dictamni cretici, Ariſtolochiæ vel poligoni; imò in illis quæ ſolent diutius torqueri, non erit inutile poſt aliquot horas, vt dimidij diei ſpatium, aliquid per os propinare, quod excitet naturam torpentem, & diutius in hoc opere morantem: iſta autem omnia quandiu fœtus viuit, & adhuc in vtero manifeſtè mouetur debent eſſe mitiora & quodammodo naturæ familiaria, ne ab acrioribus & vehementioribus fœtus lædatur aut interimatur. Itaque in principio ſolemus exhibere cochlear vnum vel alterum aquæ cinnamomi, aut ipſum cinnamomum pulverem cum pauco croco diſſolutum iuſculo vel vino albo tenui, aut decocto cicerum rubrorum & petroſelini, noſtrates mulierculæ vt plurimum vtuntur axungia ſerpentis

pentis cum iuſculo diſſoluta, quia attenuandi, molliendique maximam vim habet, vbi autem paulò validioribus eſt agendum, propinari ſolet ſequens iulep.

Accipe trochiſcorum de myrrha ʒ j. cinnamomi tenuioris & electi, cort. caſſi. fiſtul, quæ peculiari dote creditur partum iuuare puerulí añ. ℈ i. croci g. ij. ſyrup. biſant. vel de iis rad. ℥ i. cum aqua fœniculi aut arthem. fiat potio, quæ detur calidè vt citiùs in actum reducatur.

Interea dum procraſtinat exitus infantis ſolet apud nos frequens vſus eſſe confect. Alchermes, cuius deſcripttio citè ante aliquo annos ita fuit inſtituta à profeſſoribus medicis Monſpelienſ. addendo ſuccum ipſum granorum tinctorum, & minuendo doſim lapidis lazuli & ambari vt mediocri nunc pretio à tenuioris fortunæ hominibus comparari poſſit & tutò quibuſuis exhiberi tam viris quàm fœminis debilitate virium tentatis, etiam alui fluxu detentis, atque in ipſo puerperio vtiliſſimè vſurpare : ad pondus ʒ ß. per ſe vel cum vino aut iuſculo diſſoluta, tum quia roborat admodum cor, ventriculum, & reliqua viſcera, tum etiam quod ratione cinamomi & moſchi plurimum prodeſt ad recreandum vterum, illiuque vias aperiendas, quod obiter dictum ſit aduerſus quorundam ſententiam, qui illius vſum in partu & aliis caſibus improbant, vt autem ad propoſitum noſtrum redeamus, mirum eſt quot generibus remediorum, mulierculæ vires tunc roborare, & morantem

partum accelerare conantur,quibus tamen non eſt omnino obtemperandum,ſed ſelectis & comprobatis inſiſtendum,ne ſcilicet vſu importuno aliorum,febris excitetur, vterina loca inflammentur, vel denique copioſior hæmorrhagia exoriatur. His omnibus fruſtra tentatis,iam veniendum ad peculiarem cauſarum conſiderationem, quæ fœtum in vtero tandiu remorari poſſunt,qua de cauſa medici ad parturientes ſæpè reuocari ſolẽt.Quod ad externas ſpectat illarum rationem habere ſuperiùs docuimus,ex regimine ſex rerum non naturalium & annexarum : internæ igitur in hoc caſu perluſtrandæ, vt potè ſi ex parte matris pendeant in totum corrigantur, aut in melius educantur, quantum rei huiuſce ſtatus & occaſio præceps permittit,vt potè ſi debilior ſit mater,ſi morboſa,aut aliis incommodis oppreſſa, ſubleuetur iis oneribus quæ vires recreare & augere dicta ſunt, ad ferendos iſtos laboris partus ſi valde tenuis & macilenta conſumpto & reſiccato corpore humectanda & remollienda, non ſolum conuenienti victu,ſed etiam balneo aut ſaltem ſemicupio,ſi vires ferãt,aliàs vtendum fotibus & linimentis omnium partium vtero circumiectarum quorum formulæ ſæpius fuerunt compoſitæ, ſi pinguior ſit aut craſſior toto corpore,omento abdomine aut ſimilibus partibus vtero vicinis conſulit Ægineta, & alij practici vt pariat quadrupedum more prona ſcilicet,& genibus ſubnixa,quia tunc ſcilicet omentum & venter pinguior propendens ad inferiora relinquunt liberam oſculi vterini viam, ipſeque vterus paulisper deuolutus in hypogaſtrium non præpedit exitum infantis, per canalem

ıalem vteri ceruicis: eodem modo & certa dilatatio-
æ, veſicæ aut inteſtinorum, obſtructiones, vomi-
us & ſimilia impedimentum hîc adferre videmus,
ut, omnia cruta ſimiliter lenienda quantum ſieri
poterit, vt acceleretur partus. Quòd ad vterum verò
ò ſpectat, quando diſpoſitiones illius inſigniores
occurrunt cum peruerſione, tantam ſæpius inſe-
runt difficultatem, vt eum oporteat recurrere ad
chirurgiam, extractionem ſcilicet, aut ſectionem,
quemadmodum ſupra annotauimus, & poſtea dice-
mus, quia eſt impoſſibile fœtum alio modo exire,
quando adeſt vteri Phymoſis obſtructio ab aliquo
tumore, diſtorſio, vel obliquitas nimia colli, & ſic de
aliquis: ex parte denique fœtus exoriuntur impe-
dimenta magni momenti, quando igitur fœtus debi-
lior apparebit, recreandus erit præter iam dicta
potu generoſo, ini calentis, vel admoto panis fru-
ſtulo leuiter torrefacto aut magmate roſarum inſper-
ſato puluere gran. kermes, & nucis moſchatæ, &
irrigato pauca aqua imperiali, aut vino tepente: ſo-
lemus etiam admouere fruſtulum carnis calentis
gallinæ irroratum aqua roſacea, aut omentum
recenter mactatæ ouis & ſimilia, quibus calor na-
tiuus infantis ſuſcitatur, quandiu in viuis fuerit: vbi
autem primò extinctus in vtero apparuerit, conan-
dum eſt, quàm primùm, vt foras propellatur, ante-
quam concepta putredine intumuerit, maiorem no-
xam matri, vteroque attulerit, ad id præſtan-
tiora vehementiora, quàm dum viuus eſſet vſui pari-
tiunt, tum quia nullum deinceps periculum ei
iminet, tum quod multò potentius excitanda eſt
facultas expultrix ceſſante omnino infantis motu;

exhibetur itaque per os decoctum ſabinæ, foliorum dictamni, & bacearum lauri puluis borracis ad ℈ j. cum vino albo, aut aqua arthemiſiæ, puluis etiam myrrhæ & caſtorei incorporatus, cum ſucco fœniculi, inſtar pillularum mollium, poſt quas aſſumere etiam poſſunt decoctum cicerum rubrorum, cinamomi & foliorum petroſelini: idem dicas de ſucco mercuriali, puluere, aut decocto ariſtolochiæ rotundæ, ireos noſtratis, folior. verbenæ, gentianæ, thymi, & ſimilium, quibus ſumma vis ineſt attenuandi & aperiendi, imò ſi recludetur diutiùs, non eſt inutile aliquando conſtantibus viribus medicamentum catharticum exhibere, quia ſimul eijciuntur vitioſi humores, qui in hoc ſtatu, facilè & citò colliguntur, & conſecutione quadam propellitur fœtus, non omittendus etiam fotus ex emollientibus, digerentibus, aperientibus, & irritantibus vim expultricem, vt pote addendo ſupradictis rad. ireos. flo. cucumis agreſtis, aut ariſtolochiæ rotundæ, flores camomel. ſthecad. & geniſtæ cum vino albo decocta, poſt quorum vſũ inungi poterit hypogaſteriũ regio pubis, & lumborum vnguento de artanita, vel etiam felle taurino cum pauco puluere colocincinthidos & agairci: prodeſt etiam ſuffimigia ex eiſdem ſuſcitare, aut ex vngula mulæ combuſta, piſcibus ſalitis, caſtoreo, galbano, & ſimilibus quæ per embrotium ſuſcipere debent, his adiungere poſſumus peſſaria ex benedicta laxatiua cum pauco puluere colocinthidos, ſucco mercuriali, aut oleo rutaceo confecta ſunt, qui immittant fœliciter ſolam rad. Ireos noſtratis, vel cucumer. agreſt.

actimo

oleo amygd. dulc. aut butyro recenti illitam, ne acrimonia ſua partes vterinæ exuberent. Demum ſi non ſuccedat expulſio infantis demortui, poſt vſum iſtorum remediorum pharmaceuticorum, non eſt dubium, quin tandem accedendum ſit ad chirurgicam operationem, quam vetere heuriulchiam, id eſt, extractionem fœtus appellabant, cuiuſque deſcriptionem proponit Aegineta lib. ſexto. & Aëtius lib. quarto. cap. 23. Hac noſtra ætate ſolemus artificioſè admodum, & ſine tanto inſtrumentorum apparatu, aut terrore ſola manu chirurgi immiſſa in vterum aut vinculis comitata fœtus demortuos apprehendere & extrahere integros vel per fruſta diſſectos, quando aliter fieri nequit. poſt extractionem curioſè tractandæ erunt miſeræ iſtæ puerperæ alimentis & medicamentis, roborantibus, ne omnino collabantur vires, & tandem moriantur, quod ſæpe contingit, potiſſimùm ſi tardiùs facta fuerit iſta operatio, à qua longè diſtat & diuerſa eſt ea, quam ſub cæſareo partu intelligunt authores noſtri & de qua diſputant recentiores: Eſt enim cæſareus partus, vt de eo etiam aliquid dicamus obiter, infantis in vtero exiſtentis extractio, per cæſum ſeu ſectum abdomen & ipſum vterum ſuperiori eius parte, qua reſpicit muſculos epigaſtrij, atque exercetur, quando nulla ſpes eſt fœtum exire aut extrahi poſſe, per viam conſuetam ſiue per collum matricis; hîc enim quæri ſolet vt rũ deſperato naturali partu cæſarèus tentandus ſit, debeatque medicus iſtam vteri ſectionem conſulere, vel poſſit

exerceri ſine opprobrio partis,infamia: multi enim exiſtimāt ſalua & matre & fœtu hanc operationem fieri poſſe,inter quos Franciſcus Roſſetus,huius Academię Doctor, libellū ex profeſſo edidit,vbi hāc ſententiam pluribus confirmare nititur experientiis, rationibus & authoritatibus. Dominus Laurentius in anatom. quæſt.ad illius opinionem accedere videtur: ſed vt liberè dicam quod cenſeo, primò ſupponunt illi extincta matre ſuperſtitem eſſe poſſe adhuc in vtero puerum, cuius ſeruandi cauſa hæc ſectio aliquando inſtituatur: quod tamen omnino impoſſibile videtur, quandoquidem fœtus in vtero exiſtens non alia vita quàm materna ſubſiſtat, & proinde ea extincta, illum etiam ſtatim mori neceſſe eſt: in hoc itaque caſu parui momenti, ſic etiam inutilis illa ſectio: quando verò fœtu mortuo ſuperſtes eſt adhuc mater, quod ſæpe contingit, non videtur etiam illa via capeſſenda, quoniam ſic videtur medicus matri mortem intuliſſe, vbi autem vterque adhuc ſupereſt, exiſtimo ego quidem tentari poſſe ad ſeruandum puellum ſi alio modo exire nequeat, quamuis matris interitus ſubſequatur, quia melius eſt ſeruari vnum quàm ſimul vtrumq; perire, vel quia aliquādo magis intereſt reipublicæ, aut ad illuſtrioris familiæ conſeruationem,vt puer ſaluus ſit quàm mater,vnde apud Romanos multi fuerunt cæſares,qui materno vtero ſalui & incolumes hac ratione educti fuerunt,matribus pereuntibus: quis enim Hippocraticæ doctrinæ peritus crediderit vterum tantā ſolutionem in ſuo fundo pati poſſe ſaluis parturientis rebus, quantam oportet fieri per medios

epiga

›igaſtrij muſculos & peritonæum cum hæmor-
ıagia inſigni àd educendum inde puerum : nam
ıod dicunt aliquando totam matricem delapſam
præcipitem fuiſſe reciſam & ſublatam ſine in-
ritu mulieris multò credibilius eſt, quia tunc ſa-
ı eſſe ſolet,& aliàs robuſta mulier ad id perferen-
ım, neque tanta vis infertur toti corpori, aut re-
juis abdominis partibus, quanta fit in eiuſmodi
ctione cæſarea, faciliuſque eſt hæmorrhagiam ſi-
re ligato collo matrici & vaſis obturatis quæ ad
anum ſunt poſita, cæteraque remedia admouere,
ıæ ad curationem requiruntur: imò multò ſecu-
ıs eſſe totam matricem abſcindere quàm illius
rtem diſſecare: apparet exemplo puncti aut leui-
r cæſi tendinis aut nerui, in quo vrgentibus do-
re & conuulſione cogimur ſæpiſſime totum diſ-
care, vt ſedentur eiuſmodi ſymptomata, quam-
ıam vt hoc etiam addamus, ſit iſta matricis diſ-
ctio de rarò contingentibus, quam ipſe Ægineta
aliorum potiùs relatu aut hiſtoria, quàm pro-
io experimento in medium adduxit. Nos igitur
l alia tranſeamus. Ratione itaque fœtus diximus
fficultatem in partu contingere aliquando, pro-
er eius nimiam magnitudinem vel multitudinem,
quo caſu debent laxari & amplificari viæ, per
ıas exire debet, quantum fieri poteſt.

Deinde facultas excretrix excitanda propoſitis
edicamentis irritantibus, quæ ſi nihil præſtare
ſſint, ad chirurgicam operationem veniendum,
ıæ manu vel inſtrumentis educat eiuſmodi fœ-
ım. grandiorem aut numeroſiorem integrum,
ıt ſi fieri non poſſit, membratim comminutum

antequam vires matris nimiùm ſint collapſæ, præcipua difficultas poſita eſt in educendo capite grandiore, propter illam figuram ſphæricam, quæ facilè comprehendi nequit, vbi ſemel à corpore fuerit ſeparatum: eſt igitur in partes diſſecandum & confringendum, vel ita comprimendum & elongandum, vt deinceps per os matricis tranſire poſſit. Situs denique & figuræ vitia in fœtu, propter quæ impeditur partus, ita ſunt à perita obſtetrice aut chirurgo emendanda, vt leuiter repulſo ea parte, verbi gratia, brachio, pede & ſimilibus, quæ erroris iſtius cauſa exiſtit conuertatur infans in decentem figuram, nempe caput, & ſic blandè educatur, vel ſi hoc fieri nequeat, potiſſimùm quando pedes primò ſeſe offerunt, ea eſt habenda cura, vt manus ſaltem ad latera componantur, ne impedimentum adferant exitui, melius eſt enim infantem periclitari de fractura vel luxatione alicuius membri, quàm in vtero diutiùs morari cum ſummo vtriuſque periculo. Idem dicas de tumore præter naturam & fœtui coniuncto, mola & ſimilibus, quæ ſæpiſſimè chirurgi manum expoſcunt, quando alia arte extrahi nequeunt, ſupereſt igitur, vt de ſecundina poſt partum relicta, pauca dicamus, quæ, vt valde miſeras iſtas mulierculas vel in partu, vel poſt partum exagitat, ita peculiarem tractatum de illa; quomodo videlicet ei occurrendum ſit, inſtituendum cenſuimus, licet, vt diximus, paucis.

De

De ſecundina retenta.

SEcundina autem iſta, membranæ ſeu inuolucra fœtus ſtatim cum ipſo, vel paulo poſt & mi-imo conatu exire debent, ſi omnia fœliciter in artu ſeſe habuerint: vbi verò diutiùs poſt illum orantur; exoritur affectus in genere retentorum ræter naturam, quia iſtæ membranæ excluſo fœ-, non ſolùm inutilia, ſed etiam multa periculoſa inuehere ſolent ſymptomata: retinetur verò b varias cauſas tam externas quàm internas: xternas quidem vt potè ſubitò aëris frigidioris ppulſu; cuius vi ſecundina repellitur & vteri rificium coarctatur, ob intempeſtiuum etiam quæ frigidioris potum, vel balneum: Item o-loramenta quædam quibus vterus ſurſum allici el exagitari poteſt, ob ſubitum etiam terrorem el timorem, ipſiuſque parturientis moroſita-em, quæ nequit, aut non vult in eodem ſitu ermanere, vel eos conatus præſtare, qui ad pus iſtud perficiendum requiruntur, accedit liquando infantis nimium pondus, propter quod diſrumpitur ex improuiſo vmbilicus, remanente intus ſecundina, ſed præcipuè propter im-eritæ obſtetricis errorem, quæ citiùs reſecuit va-a vmbilicalia quàm par ſit, aut non retinuit ſiniſtra manu vt debebat; ſit enim tunc vt ſurſum reulſus vmbilicus cùm iſtis membranis lateat: nternæ autem cauſæ præcipuæ eſſe poſſunt nimia iſtarum tunicarum craſſities, aut viſciditas quædam, propter quam parietibus vteri firmiter adhæ

adhærent aliquãdo etiam nimia earum exilitas, quæ ſub eius expultricis facultatis ſæpè propter diuturniores partus labores, ſecundinæ iſtæ intumeſcunt & inflammantur cum affluxu humorum, vnde grauis putredo & multi alij affectus ſubſequuntur: facilis eſt igitur retentæ in vtero ſecundinæ cognitio, tum quia debet ſtatim cum fœtu exire, tum etiam poſt partum vterus in excernẽdo laborat, cauſarum etiam tã internarum quàm externarum notitia habebitur ex conſtitutione earum rerum, quæ dictæ ſunt à nobis impedimentum afferre: ſic etiam vbi putreſcere & inflammari incipiunt, non ſolùm ex tumore vteri dolore & laboris ſenſu, ſed etiam febre continua, & inſigni fœtore per loca illa erumpente dignoſcetur: Imò ſi augeatur affectus, incipit teter iſte vapor, ventriculum, hępar, diaphragma & aliquando ipſum cerebrum impetere, vnde nauſea, lypothimia, diſpnæa, ſudor diaphoraticus, extremorum frigiditas, hyſterica ſuffocatio, epileptici inſultus & tandem mors ipſa ſubſequitur: Hinc igitur apparet, quod ad prognoſin quantum periculum immineat miſeris hiſce puerperis ex retenta diutiùs ſecundina. Hippocrates optimum voluit eſſe in hoc affectu, quando ſanies copioſa citò per pudendum effluit, idque confirmat lib. 1. epid. hiſtoria cuiuſdam Coriarij, quia tunc ſpes eſt membranas illas ſexto vel ſeptimo die putrefactas vel marcore conſumptas ſponte ſua decidere poſſe: non eſt igitur negligenda iſta curatio, ſed imprimis mulier in hoc affectu conuenientibus alimentis & remediis cardiacis tam ſumptis quàm adiunctis diligenter robo

robo

corroborāda, ne concidāt vires, aut fœtidus vapor partes nobiles inficiat: perficietur autem per ſublatiōnem integram rei noxiæ præter naturam retentæ, illud autem præſtandum ſi fieri poſſit dum adhuc umbilicus extra vterum prominet cum fœtu, vel ſi it reſectus manib⁹ obſtetrici firmiter teneri debet, aut coxa alligari parturientis: dein leuiter trahere hinc inde non recta, ne ſimul vteri fundum euertatur & matrix præcipitetur, ſed in obliquum & quaſi in orbem manum agitando. excitari etiam poſſunt tunc ſternutamenta, vt eſt aph. 35. ſ. 5. vt naribus occluſis ſpiritus ad inferiora fortiter conijcetur, non erit etiam inutile tuſſim commouere, ummodo illius impetus feratur deorſum, ſolet etiam ſuffiri vterus ex rameṅtis vngulæ aſininę combuſtis, quæ ad hoc peculiarem quandam vim obtinere creditur, raſura cornu capræ apud Hippocratem, vel odoratis, vt ex cinnanomo, nardo, thure, ſtyrace & ſimilibus: ita tamen vt nares non feriant, quoniam iſta dilatabunt & aperiēt vterum, eumq̄ue quaſi commonefacient de excutiendis hiſce ſecundinis: poſſunt etiam exhiberi aperientes & irritantes vim expultricem ſuperiùs propoſitæ ad partum accelerandum. Hippocrates commendat ſpolium ſerpentis ad duos aut tres obolos ſumptū cum decocto fœniculi. Item decoctum foliorū anchuſæ mercurialis, mulier poſtea deambulet vel ſaliet & ſe concutiat ſi fieri poſſit: quidam ſcribunt opobalſamum indicum ad ʒ. ß. cum pauco vino tepido exhibitum magnam vim obtinere, ſed poſtea volunt exhiberi lactis mulieris vel alterius calentis ciathū unum, aut etiam infundi in vtero lac & emulſio-

nes ad leniendam iſtius medicamenti acrimoniam. Non ſunt etiam omittenda peſſaria educentia, & irritantia ſuperiùs commemorata: verùm inter alia multùm poteſt manus periti chirurgi in vterum immiſſa, antequam inflammatio vel inflatio augeatur. Sic enim iſtis apprehēſis ſecundinis, & molliter circunductis poterit tutò, citò & iucundè illas extrahere, mulieremque à tot ſymptomatum & remediorũ moleſtiis liberare: ſi verò nihil hiſce omnibus proficiatur, aut eorum vſus impediatur vel reſpuatur, expectanda tandem ſecundinæ putrefactio vt docet Hippocrates, tuncque roborandæ partes principes magis ac magis, etiam ſi videatur iuuanda etiam maturatio iniecto ſæpius in vterum oleo iaſmino, vel amigydlarum dulcium: aut tetraapharco diſſoluto & aqua hordei & pauco melle, ad leuiter expurgandum non inutile: etiam erit frequens non inutilis vſus clyſterum, quia educunt morantia tunc in aluo viliora excrementa, & ſimul excitant ipſam facultatem ad munus ſuum exercendum.

De regimine enixarum.

Poſt partum tam naturalem, & conſuetum quàm difficilem, nō eſt dubium, quin puerperæ regimine indigeant, vt conſeruentur à noxa ſymptomatum impendentium, & in valetudinem reſtituantur. A quacunque enim parte adeſt veluti contuſio partiũ vtero vicinarum, confractio totius corporis ob pręgreſſos labores, & viriũ ſumma deiectio. Neceſſariò expurgandæ etiam à partu reliquię mēſtrui, quæ va-

ſis vtero circumiacentibus geſtationis tempore cōgeſta fuerunt, lochiorum catharſin vocat Hippocrates, quæ purgatio aliquando quadraginta dies perdurat, vt eſt primo Gynæc. ibiq; veriſimilem conatur reddere rationem: aliquando tamen pro varia puerperarum conſtitutione minùs contingit, & aliquando ſupprimitur, aliàs nimium excedit, vnde varij affectus exoriuntur: ſæpe etiam dum expurgātur propter flatus, aut crudos ſuccos illi permixtos patiuntur tormina, & ventris dolores: Sequitur etiam aliquando lactis in mãmis corruptio non ſatis cocti, 'roligala vocāt, cuius ratione multa accidūt in plethoricis potiſſimùm, & cacochymicis. Deniq; antequam mulier ſe accingat poſt partum conſuetis muneribus, confirmandū totū corpus, partes genitales à ſordibus per iſtas vacuationes, & moram in lecto contractis liberandæ. Hinc duplex in puerperis cura; vna quidem ratione partus, & neceſſariò conſequentium illum: alia ratione affectuum, qui illis à puerperio accidunt, quod nos duobus capitibus cōſequemur. primo agemus de Regimine enixarum, quatenus eo indigent ſecundùm naturalem curam partus: ſecundo verò de affectibus morboſis cum curatione.

Quod ad primū, vbi ex labore partus emerſerint omnino, collocādæ ſūt molliter in lecto, poſt repurgatas genitalium ſordes, appoſitis faſciis & linteolis excipiant profluētia excrementa. Noſtrates mulierculæ ad id puluinar ſupponunt furfure repletū, conſtituuntq; puerperas immodicè diuaricatis cruribus, ne exitus præpediatur. Sunt qui poſt partum eas inuoluunt pelle arietina adhuc calente

ad iſtum

ad leuandas laſſitudines, & contuſiones: alij contenti ſunt inungere ventrem & crura oleo myrtino & amygdal.dulcium, & ſimil. mixtis cum pauco vino calente. poſt arceatur ſtrepitus, imperetur ſilentium; & quibuſuis puerperis, in quibus leuiſſima agitatio commouet facilè humores, & nocet, obſerentur primis ſaltem diebus feneſtræ cubiculi, vbi degit, ne luce nimia diſſipentur ſpiritus: frigiditas aëris, & omnis aura impediatur, ne rarefacta corpora ſubintret: ſic odorata remoueri debent metu ſuffocationis vteri, qui præcedenti motu agitatus, & debilitatus facilè irritari ſolet illis odoratis. Eodem modo mœror, iracundia, riſus & gaudium nimium vitetur, quia exagitatis ſimul ſpiritibus infirmiores reddunt, & humores commouent in aliquam partem. Victus in principio debitus contra vulgus ſit tenuis & parcus, quemadmodum in illis, qui paſſi ſunt magna vulnera, nam natura infirma non poteſt tantam ciborum quantitatem conficere, & metus eſt, ne ex pleniore victu excrementa multiplicentur.

Adde quòd omni arte vitandus eſt peruius & vehemens lactis impetus, ex quo frequenter afficiuntur: ſenſim erunt augenda alimenta, prout meliùs ſe habebunt, & peracta conuenienti lochiorum purgatione, & lactis cùm apparet bona conſtitutio. Solent illas in principio puerperij nutrire iuſculis, panatellis: accuratè etiam cauent, ne primis nouem diebus bibant, vel ſaltem parcè & tepidè metu doloris & torminum, quæ illas ad nouem vſque dies ferè exercent. Si ſit inflammatio, aut febris ſuſpicio, abſtinent vino, & exhibent aquam infuſio

fuſionis Cinam.aut ſem.coriandri,ne ſimplex aqua flatus & cruditates excitet. non permittunt tunc mutare veſtes,aut induſia, niſi poſt ſeptem, aut nouem dies metu commotionis:circa vigeſimum ferè eas ſui iuris faciunt : aliæ niſi poſt integrum menſem,aut quadraginta dies ex ſententia Hippocratis vterinæ partes rite purgentur,& confirmentur, ne flatibus impleantur,aut diſtorqueantur, paucæ tamen tandiu morantur, ſed poſt decimum quartum diem incipiunt progredi per aliquot horas interdiu ad ſuſcitandum calorem,& excutiendum commodiùs ſordes in vtero deliteſcentes.In illis, quæ ablactare volunt proſpiciendum ſtatim vt principio purgationes vterinæ profluant, vt ſanguis à mammis reuellatur. Illud autem fit admotis axillis vnguentis roſaceo aut ſantalino, aceto diſſolu. ſupra mammas cataplaſmate ex farina fabarum, & orob. cum aqua ferrata,helpante,oxymel. mixta, aut decocto foliorum berul. menth. ap. & ſem. myrti, ex quorum reſidentia contuſa comparetur cataplaſ. ex oleo lentiſcino. ſunt etiam qui puerperis ad diſſipandum lac exhibent hydromel. dilutioris ℥ ij. vel iij. ſi non ſint obnoxiæ ſuffocationi vterinæ, ex quo ita ſumpto vidimus aliquando ſatis bonam lactis quantitatem cum vrinis excretam. Sed quicquid ſit tutius eſt educere in illo impetu, quod redundat lac ſugendo,aut mulgendo, dehinc paulatim repellere, & mammas adſtringere. Non eſt etiam permittendum,vt vbera ſtatim nuper nato exhibeat, quia primum lac feruidius & craſſius facilè coagulatur, aut aceſcit in ventriculo, variæque infanti infert ſymptomata : poſt ſeptem aut nouem

nem dies exhibeatur, vt ſequenti libro dicemus. Interea reget in illis, quæ ventris torminibus ſunt obnoxiæ, dum lochia purgantur, vtendum erit attenuantibus ſanguinem craſſum, & flatus diſcutientibus: vnde vulgò concinnatur puluis ex æquis partibus, ſex dauci, cinamo. ſex. Dauci tumoris partes duximu, cuius ʒ j. exhibetur mane & ſerò cum pauco vino albo tenui, vel rub. aqua fænic. vel borrag. diluto. ſi pituitoſæ mulierculæ porri capita, & paruas radices ſub cineribus coctas & contuſas puerperarum vmbilico admouent, & iuſcula cum pauco croco & vitellis exhibent, ſi nulla febris adſit: ſæpe etiam theria. vet. ʒ ß. cum pauca conſerua capill. vener. in formam boli exhibita profuit, in delicatoribus autem contenti ſumus puluere, quem Ducis appellant: interea inungitur venter oleo ex ſem. lini. ſambuc. & ruta. ſi flatus magis vrgeant, ad quos diſcutiendos parant etiam ſacculos ex milio, auena, ſemine lini, fænugræ. foliis ſiccis arthem. ſabun. cum pauco ſale, omnia ſingunt in ſartag. & irrigando pauco vino rubro, aut aqua vitæ includunt linteolis, quibus fouent enixarum ventres: deinde illinunt vnguento ſequenti.

℞. olei amygdal. dulc. & hyperic. añ. ℥ ij. olei myrtini ʒ j. ſem. Erui, & ſpermat. cet. añ. ʒ vj. pulu. diac. ℥ j ß. ceræ nouæ, quantum ſatis, fiat vnguentum.

Quod ſi dolores iſti & tormina magis adhuc vrgeant, poteſt adhiberi omentum veruecis recenter extractum, & adhuc calens, aut vino calente irroratum.

ratum. Eodem modo laudant pellem veruecis nigri recenter mactati adhibitam, in delicatioribus poteſt parari ſpanagrap. ſeu tela generaliter, hoc modo:

Acc. cer. nou. ℥ iiij. ſpermat.cet. ℥ ß. therebint. venet. in aqua roſacea, & arthem. lotæ ℥ ij.olei amygdal.dulc. & hyperic.an̄. ℥ j.olei myrtill. & de maſtic. an̄. ℥ ß. axung. cerui, vel medullæ cruris vituli ℥ iij. liquefiant omnia in vaſe dupl. deinde auferendo ab igne iniice vnam aut duas telas ad magnitudinem ventris,& ita concinnatæ & leuiter calefactæ toti abdomini viciſſim admoueantur;vel ibi ſinantur per diem integrum. fit etiam frequẽter puluis ſequens ad vitanda prædicta tormina.

Acc. ſem. aniſi ʒ j. nucis moſc. cornu cerui vſti an̄,ʒ ß.nuclei dactylorum, cinam. an̄. ʒ ij.ſacchari albi ℥ ß. fiat puluis. vel

Acc. rad. conſolid. maior. ʒ j. ß. nucleor. perſicor. & nucis moſc. an̄. ℈ ij. ambr. griſ. ſi non ſit ſuffocationi obnoxia. g̃. iij.conſeru. folior.abſynth. cum ſyrup.de arthem.quantum ſatis, fiat opiata, de qua detur ʒ j. cum vino diluto,aut iuſculo, vbi caliditatis eſt ſuſpicio.Quidam in hoc caſu valde laudant aquam ex floribus camomel. ſtillatir. ad ℥ i., adhibitis & fol.parietar. cum oleo ruta. frixa, & ventri ſæpius admota. Præter iſta ventris tormina, quæ enixas frequenter exercere ſolent, videndum erit, vtrùm poſt partum leues aliquæ exulcerationes, aut diſtorſiones vteri, & partium genitalium adſint, quarum reſtitutio erit procuranda poſt fluxum lochiorum, vt propriis capitibus docebamus,quemadmodum ſulci & rugæ ventris,quę illis

acci

accidere ſolent ob diſtrictam abdominis cutim geſtationis tempore, deinde poſt partum contractam, non ſolùm præcauendæ, vt ſuo loco diximus, ſed etiam corrigendæ inunctione olei de nuce Indica, quod hîc plurimùm valet, vel adipe illo ex vulua balenæ extracto addendo modicum ceræ & croci. Ad idem commendatur cinis teſtudinis nemoralis, ou. albumine excepti, aut aqua ſtillatit. ex illis comparata. Sed in primis proderit etiam tela illa à nobis propoſita, quæ æqualitatem ſummam ventri & mollitiem comparare poteſt: vt autem viæ illæ genitales poſt partum relaxatæ, & quaſi diuulſæ reſtituantur, non erit extra rem, ſi abſoluto puerperii pergamento foueantur decocto malicor. roſar. rubr. & ſem. myrti in vino rubro adſtringente, aut aqua aluminoſa, vel immittantur etiam peſſaria ex pulu. gall. cum prædicta aqua & goſſip. concinnata. Quibus omnibus peractis, antequam puerpera cogitet de egreſſu & ſolitis negotiis repetendis, videndum erit, vtrùm propter ſordes illas, & mora diuturniori in lecto contractas balneo indigeat, aut propter humores excrementitios & pituitoſos, qui ob deſidiam illam & vacuationem ſanguinis facile contrahuntur, ſtupha ſiue Laconico, quod fœminis noſtratibus valde eſt vſitatum, quædam balneum humidū cum ſicco coniungunt, ita vt poſt balnei vel ſemicupij vſum iubeant illas in ſtuphis mediocriter ſudare. Vt hac de re noſtram ſententiam aperiamus, certum eſt balneum à partu conferre valde poſt peractam lochiorum purgationem, & egregie reſtituere vires, quia ſic commodiſſimè abluuntur ſordes.

ſordes totius corporis,roborantur partes,& ad mediocrem habitum cõtrahendum deinceps diſponuntur;ſed hoc vſurpari debet potiſſimùm in fœminis biliosis,aut ſanguineis,macie quodammodo ob labores & vacuationes prægreſſas affectis,& quæ ſunt aſſuetæ eiuſmodi remediis:in aliis verò vt phlegmaticis,pinguioribus,quibus crudi humores colliguntur,venter aut pedes intumeſcunt, melius eſt abſtinere ,& ad ſtuphas relegare, ſi anni tempus illud permittat : aut eſſe contentas remediis , quæ poſtea dicentur. In illis itaque, quibus balneum competere videbitur poſt vigeſimum, aut trigeſimum à partu diem præmiſſo leui cathartico , aut cliſmate , necnon vigente aëris clementia, aut artificio ſaltem comparata , ita præſcribi poterit.

Acc. rad. acor.vuul. campan. & liliorum alb.añ ℔ ij. cort.citri ſicci ℔ ß. fol. arthem. puleg. maior. agrim. & borrag. añ. m. iiij. ſeminis lini , fænugr. leuiter contuſ. granorum myrthi añ. ℥.ij. florum camom. melil. & ſtæchad. & anthos roſar. rubr. añ. m. j. fiat omnium decoctio in aqua fontis vel fluminis pro balneo , quod ingrediatur tepidè , illicque maneat per duas horas manè , & per vnam tantùm à meridie ; antequam exeat ſumantur tres vel quatuor ſilices igniti , qui in ſartagine poſiti irrorentur vino albo, in quo parum aluminis diſſolutum ſit,proiiciantúrque in prædictum balneum , vt eiuſmodi fumum excipiat circa regionem renum ad eos confirmandos, & vincula matricis roboranda, dum morabitur in balneo , neque potu, neque cibo vtatur , ſed ante-

quam illud ingrediatur per ſemihoram,aut circiter ſumat iuſculum aliquod, aut vitellos ouorum cum vini momento, tacita etiã,& ab omni ſtrepitu libera quieſcat,tam in dicto balneo, quàm vbi in lecto erit poſita, contra morem vulgi, quod Bacchanalia tunc temporis celebrare ſolet:continuet per biduum,aut triduum,vt moris eſt,ſi nullam ex eo laſſitudinem ſentiat. finito balneo per aliud biduum vtatur ſequenti ſuffimigio,ſi voluerit, ad facilitandam futuram conceptionem:

Acc.ſantal.citrini.cort.cit.ſicci.& nucis moſc.añ. ℥.ij. granorum herui, & nucum cupreſſi añ. ℥. j. Gariophyl. & carabe añ. ℈ j.fiat puluis craſſior, de quo iniiciatur parum ſuper prunas in ſella perforata poſitas,vel in olla,quæ canalem ſeu tubulum habeat. Quòd ſi timeas fumigium ſiccum propter vaporesa criores, paretur ex decocto ſcęnanthi & aluminis cum tribus, aut quatuor gariophyllis in vinò calente feruefactis.

Vbi autem venter, vel pedes puerperæ tumidi apparent poſt dies decubitus conſuetos inſtituatur purgatio ſolemnis & integra, ſi autumnus, aut ver vigeant,vel ſaltem per Epicraſin pro natura laborantis:deinde committatur ſtuphis per duos aut tres dies horis matutinis tantùm; quòd ſi abhorreat ab vſu ſtupharum,vt ſolent multæ, præſcribatur diæta ſudorifica per duodecim,aut quindecim dies ex decocto rad.chinæ,vel ſalſæ parillæ,& interea parentur fotus,lixiuia, vel linimenta quædam ad diſcutiendos iſtos flatus,& humores ſeroſos in cruribus contentos.Multas etiam ab eiuſmodi cachexia ex puerperio contracta vſu thermaram noſtarum Bellilu-

canarum artificioſè præſcriptarum conualuiſſe certiſſimum eſt,atque luto illo calenti větri & pedibus admoto omnem tumorem euanuiſſe.

De Affectibus morboſis Puerperarum.

Oſtendimus ſuperiori capite partum quendam eſſe naturalem,alium verò difficilem & laborioſum,præter naturam,& extraordinarium,qui nō tantùm dolores atrociſſimos & periculum inferre ſolet in ipſo parturiendi conatu,ſed etiam poſt illum grauiſſimum laborem in enixis affectus morboſos, qui medicam curationem expoſcunt: Quemadmodum enim in grauidis acuto morbo, aut chronico detentis exoritur peculiaris quædam ratio illas tractandi propter fœtum in vtero contentum; Sic etiã in puerperis non eſt dubium, quin multæ conſiderationes peculiares exurgere poſſint, propter quas & prognoſis illarum,& Therapia ſæpius immutentur.Cùm ergo dixerimus ſuperiùs præcipuũ in puerpera bonæ valetudinis fundamentum poſitum eſſe in debita vacuatione lochiorum, hinc etiam ſequuntur plurima incommoda aduerſæ valetudinis quando vel deprauatè fit,vel imminutè,vel abolitè: eo enim tantùm modo, vt hoc obiter annotemus enixæ à vulneratis diſcrepant,quòd in puerpera largius, quàm in vulneratis fluere debeat iſte ſanguis, propter contractum ex diuturna mora vitium, & naturam partis affectæ, quæ huic vacuationi eſt aſſueta. Quotieſcunque ergo poſt primos impetus & labores partus, excluſumque fœtum &

ſecundinas ſanguis iſte ob rupta vaſa, vel nimiùm aperta tanto fluit impetu & copia, vt puerperæ vitæ ruinam minetur, quod ex viribus potiùs decumbentis, & pulſu, quàm menſura conieċtandum. Vnde illud Aphor. 54. ſect. 5. in fluxu muliebri ſi conuulſio & lipothimiæ accidat malum, toties accidit negotium, vt huiuſmodi fluxui maturè ſuppetias, & prudenter afferat medicus. Ergo inſtituenda eſt victus ratio humoribus incraſſandis, & cohibendo illorum motui accommoda, vt pote pro earum potu præſcribet aquam ferratam, vel in qua parum maſtiches bullierit, addendo modicum vini rub. & adſtringentis, ſi iam adſit magna virium deiectio, item panatellas gelatiuas, anytum, aut oryzam cum iuſculo capi, aut pedum & cruris vituli, decocto pyra etiam, & cydonia mala, carnes aſſas, & ſucco granatorum aſperſas, aliáque eiuſmodi ad hanc rem comparata, quæ frequenter potiùs & variis vicibus quàm magna quantitate & in fotum exhiberi debent.

Non omittendæ etiam frictiones, & ligaturæ dolorificæ ſuperiorum partium, cucurbitulæ ſub mammis, & vtroque hypocondrio admotæ, inunctiones hepatis & renum ex vnguento roſac. Et cataplaſ. ex bolo armena cum albumine oui ex pauco aceto comparata, quæ lumborum regioni, & pubis admoueri ſolent. Valde etiam commendant authores noſtri ſtercus ſuillum adhuc calens aceto mixtum & ventri admotū. Poterunt per os exhiberi quædam potiones ex terra ſigilla. cum ſyrupo myrtino, & aqua plantag. vel ipſe ſurculus plantag.

g. recenter extractus ad ℥ ij. vel iij. Atque etiam mulieribus bilioſis Rhabarb. pul. ad ʒ j. cum ſucco ſemine plantaginis in iuſculo, aut vino aſtringente, vbi immodicè fertur iſte ſanguis, vt nulla arte reuocari poſſit nullum eſt præſtantius auxilium, quàm venam cubiti aperire, & inde ſanguinem paulatim, & per interpoſitas vias ducere: ſic enim multas iam deploratas, & ab omnibus derelictas conualuiſſe obſeruauimus. Quodſi præter iſta adſtringentia ſumpta & admota ſanguis iſte craſſior redditus concreſcit in grumos in vtero conſiſtens dolorem, tuſionem & fumos cordi & cerebro malignos communicet, videndum erit, vt illi maturè excutiantur, antequam maiorem putredinem conceperint, & febrem induxerint: Ideo vbi erit ſuſpicio coagulati ſanguinis, iubendum imprimis, vt deambulent leuiter, ſi vires id ferre poſſint, aut ſaltem erectæ per aliquod tempus maneant, vel genibus enixæ, ſic enim aliquando ſuopte pondere decidunt iſti grumi, aut ſi hoc fieri nequeat, educantur manu peritæ obſtetricis, vel ſi interius adhæreant diſſoluantur conuenienti iniectione tepida in vterum facta, vtpote ex decocto hordei, & oxymel. vel aqua nucum & rubiæ, in qua mellis roſacei parum fuerit diſſolutum. Cautè tamen agendum: nam hîc vndique periculum, ne ſcilicet poſt eductos aut diſſolutos eiuſmodi grumos reuocetur ſanguinis fluxus cum vitæ diſcrimine: aut ſi eiuſmodi ſanguis coagulatus in vtero diutiùs ſubſiſtat, ne calorem natiuum ſuffocet, reſpirationem intercipiat, aut inducta putredine febres, lipothimias, ſudores

lentioribus ſi opus eſſe videatur, fiant frictiones femorum & crurum aſperiores deorſum verſus, ligaturæ dolorificæ articulorum pedis, cucurbitulæ inguini & coxis cum multa flamma, atque etiam parti carnoſiori tibiarum cum leui ſcatificatu, ſi rubor in illis appareat. Quòd ſi malum magis ac magis ingraueſcat, neque adſit ſpes reuocādi iſtā vacuationē per dicta remedia, tunc procedendū erit ad apertionem venarum poplitis, aut vtriusque cruris, vt docet Hippocr. 2. Epid. vel etiam hæmorrhoid. ſi natura eò vergere videatur, diſtrictis ſcilicet, & dolētibus venis exterioribus: aut fit etiam aliquando, vt ſanguis iſte commodè fluere nequeat propter craſſitiem & viſciditatem illius, quod Hippocr. etiam notauit lib. de Nat. Mulier. Cùmque adhibet fotus attenuantes & mollientes toti ventri, peſſaria menſes prouocántia ex farina nigellæ rom. cum ſucco mercur. fumigium ex bdellio ſinapi & myrrha, & vngula aſini, aut capræ.

Exhiberi etiam poſſunt ea, quæ menſes prouocant, vt decoctum rad. appetitiuarum, cinamb, & cicer. rubr. cum pauco croco: imò etiam ʒ j. trochiſcor. de myrth. cum pauco vino albo, aut aqua fœniculi, antequam febris inualuerit. His enim & ſimilibus reuocāda erit iſta lochiorum purgatio: deinde partibus peculiariter affectis erit proſpiciendum. Accidunt ergo puerperis primò & principaliter ob iſtam purgationem malè conſtitutam: ſecundò ob intenſos labores & dolores, quos in partu præter naturam paſſæ ſunt: Tertiò ob lactis redundantiam in mammis, & effluxum illius in totū corpus: Quartò ob malum corporis habitum innatum

naturalis & ordinarius tendit vt plurimùm ad integram fœtus valetudinem, neque facit maiorem humorum motum, quàm par ſit, ita vt niſi horror aliquis externus de nouo contingat, puerpera non egrediatur terminos ſanitatis. In hoc itaque partu, ſi poſt aliquot dies propter cauſarum internarum, aut externarum violentiam exoriatur febris continua, non debet fieri computatio dierum criticorum ab hora partus, ſed à die morbi, quando ſcilicet humores agitari præter naturam & putreſcere cœperunt: contra verò in partu difficili, quamuis febris poſt tertium, vel quartum diem exoriatur, oportebit initium computationis facere ab ipſo partu, quia tunc incipit totius corporis œconomia euerti, humorumque perturbatio fieri: à qua deinde iſte affectus proficiſcitur vt obſeruare ſolemus in magnis vulneribus & inflammationibus partium internarum. Vnde patet conciliatio locorum Hippocr. & ratio numerandi dies criticos in iſtis affectibus explicatis. Videamus, quid de Therapeutica febris iſtius continuæ, & primariæ ſit ſtatuendum.

Conſiderandum primò, vtrùm eiuſmodi febris oriatur ex ſola lactis redundantia & refluxu in venis tali, dum vt plurimùm intra ſpatium duorum aut trium dierum inſtar Ephemeræ extuſæ ceſſare ſolet, niſi lac in mammis coaguletur, & computreſcat: vnde inflammatio febris ſymptomaticę ſubſequitur, de qua hìc non habetur ſermo: deinde videndum, vtra febris coniuncta ſit

cum ſuppreſſione lochiorum, vel nimio illorum fluxu, aut illis immoderatè fluentibus, & rite ſe habentibus contigerit, quoties enim contigerit cum ſuppreſſione, aut imminutione iſtius vacuationis tota ferè curatio pendet à prouocatione illius, vt à nobis ſupra dictum eſt: Sin verò fiet cum immoderato lochiorum fluxu, oportet febrẽ iſtam pendere, vel à ſumma corporis exagitatione & humorum ob prægreſſum partum, vel certè ab inſigni quadam cacochymia in maioribus venis latitante, quæ non potuit per eiuſmodi euacuationes curari, ideoque ſi vires ferant, expoſcere phlebotomiam ex venis brachij, cùm ad ſiſtendum impetum hæmorrhagię, tum ad ventilationem faciendam interioris illius inflammationis. Deinde non omittenda erit purgatio ex benignioribus & roborantibus catharcticis, vt excrementa illa ſenſim vacuentur. Quòdſi illa febris oriatur lochiis rite ſe habentibus ſecundùm quantitatem & qualitatem, vt apparet ex Hippocr. 1. Epid. tum exiſtimandùm errorem quendam in victu, vel aliam cauſam externam contigiſſe, quæ humores vehementer commouet, & ad putredinem adducit. Hîc itaque agendum erit ſolita methodo per roborantia, coquentia, & expellentia, hoc tamen excepto, quòdſi permaneat ille lochiorum fluxus, purgationi potiùs, quàm venæ ſectioni incumbendum, quia per Phlebotomiam venarum cubiti poſſet ſubitò recurrere ſanguis iſte ab vtero fluens, verſus corporis interiora: quòdſi lochia iſta ſiſtantur perſeuerante febre, decernere poterit

poterit medicus prudens de vſu phlebotomiæ ratione magnitudinis febris & aliarum circumſtantiarum. Secundariæ verò ſiue ſymptomaticæ febris exemplum ſumemus in pleuritide, tum quia frequens eſſe ſolet in illis propter labores & conatus immenſos, madores & ſudores contractos, perfrigerationes, & ſimil. tum quia ex illius paradigmate facilè erit de cæteris febribus inflammationes partium internarum ſequentibus idem ſtatuere.

Pleuritis itaque in puerperis magnam adfert curandi difficultatem, præcipuè propter vſum phlebotomiæ, quæ eſt præſtantiſſimum illius remedium. Itaque eodem modo conſideranda eſt in hoc affectu lochiorum conſtitutio, quemadmodum ſupra dicebamus. Nam ſi lochia præſente pleuritide affluant modicè, nõ eſt dubium, quin tunc, & quàm primùm, veniendum ſit ad venæ ſectionem ex brachio lateris dolentis ſanguiſque ſit mittendus per epicraſin, & iteratis vicibus, vt vires conſeruentur, & ſimul iſta vacuatio immoderata ſiſtatur. Vbi verò ſuppreſſa eſt iſta lochiorum purgatio, quæritur vtrùm vena illa brachii ſtatim ſit aperienda ad ſedationem fluxionis, & inflammationis. Ego quidem non exiſtimo, quia in eiuſmodi lochiorum ſuppreſſione, & refluxu magis ac magis accerſetur materia iſta verſus interiora & partem affectam: ideoque per initia morbi melius eſſe videtur venam ſpoplitis, aut malleoli κατ᾽ἴξιν aperire, cucurbitulas & frictionem inferioribus partibus admouere, reliquaque præſtare,

quæ

quæ ſunt neceſſaria ad educendum ſanguinem verſus vterum, vt inde reuocetur iſte lochiorum fluxus. Quibus præſtitis, ſi adhuc perſeueret affectus, aut augeri videatur, tum non erit procraſtinandum in vſurpanda phlebotomia brachij eiuſdem lateris affecti, quia ſignificat fluxionem iſtam, quæ commit tit pleuritidem, aliunde pendere, aut ita concluſam eſſe iſtam materiam, vt deinceps remitti non poſſit verſus vias matricis. Supereſt igitur, vt dicamus quid ſtatuendum ſit, quando lochiis naturaliter fluentibus pleuritis exoritur in puerpera. Quæ difficultas eadem eſt cum illa, qua quæri ſolet, vtrùm mulieri extra grauiditatem, aut puerperium ſecanda ſit vena brachij, quando pleuritis, aut alius morbus id poſcit, ſi præſens ſit purgatio menſtrua. Multi exiſtimant non eſſe tundendam venam, quia timent, ne ſanguis ad interiora reuocetur, & ſperant ex iſtis vacuationibus ritę ſe habentibus ſatis commodè educi poſſe materiam iſtam, quæ morbos committit: verùm hac diſtinctione opus eſt, vt ſi pleuritis, vel alius morbus apparuerit iam præſentibus & fluentibus lochiis aut menſtruis non ſit cunctandum in vena illa brachij eiuſdem lateris aperienda ſecundùm ſententiam Hippocr. vt occurramus ſæuiſſimo morbo, cuius generatio & augmentum non poſſunt impediri ab illa vacuatione præſenti, ſed omnem conatum naturæ ſuperant.

Quòd ſi pleuritis, aut alia inflammatio præceſſerit, aut ſimiliter inceperit cum iſto fluxu, tunc

ne expectandum aliquantiſper, vt videamus rum ab iſta vacuatione imminui poſſit præſens fectus: quòdſi dolor & difficultas ſpirandi,quantumcunque fluat illa materia, augeatur, non t tunc cunctandum in ſecanda vena proximi cuti, quæ citò cauſam morbificam reuellere potet. Quod verò ſpectat ad aliquam curationem dendum erit eiſdem remediis, quæ in aliis hoc orbo detentis vſurpari ſolent. Hoc tamen nondum de purgatione, quòd ſi ea neceſſaria viatur, vt in pleuritide notha & ad hypocondria rgente,eam tunc celebremus potiſſimùm, quan finis vacuationis iſtius menſtruæ,vel lochiorum ſtare videtur,quia per iſtam catharſin artificiòm, vt plurimùm ſiſti ſolet magno ægrotantium commodo: illud tamen audendum,quando mors mitior eſt,& quaſdam naturæ inducias præbevidetur, aliàs enim ibi imminet periculum ex ultitudine excrementorum,quàm primùm ad eom vacuationem erit accedendum. Atque hæc de euritide in puerperis.

Siſtendum itaque quàmprimùm fieri poterit nſuetis remediis tam purgantibus, quàm borantibus. At ſi ſanguis nimio impetu ad periora feratur reuellendus illicò non tanm cucurbitulis & frictionibus inferiorum parm, ſed etiam ſectione venarum illarum, quæ r poplitem & talum excurrunt. Præter iſtos ectus non rarò ſolent infeſtari puerperæ poſimùm primiparæ & ſanguineæ ob vehementem rtium comprehenſionem & nixum in partu inflamma

inflammationes & dolores vehementiſſimos hæmorrhoidos. Ad quorum medelam omnia genera anodynôn ſunt vſurpanda, vt proprio tractatu dicetur, quod ſi iſte cruciatus nequeat alio artificio ſedari, venæque illæ admodum tumentes appareant, quauis præſente lochiorum purgatione accedendum erit ad earum apertionem admotis hirudinibus, vt peſſimus ille humor educatur, qui non poteſt retrocedere à venarum extremitatibus, aut mitigari. Sed quando iſta effuſio ſanguinis per anum poteſt intercipere aliquando lochiorum vacuationem, ideoque ſedatis iſtis doloribus reuocanda erit rurſus remediis accommodatis, vt ſæpe dictum eſt. Solet etiam à partu multas puerperas exercere vterina ſuffocatio, cuius ſedationi oportet diligenter incumbere ob ſummam conturbationem, quam toti corpori inferunt. In iſtis itaque ſolemus ſtatim poſt partum admouere regioni pubis, aut poſtremo hypogaſtrio emplaſtrum ex bdellio & galbano confectum, cuius extremæ parti verſus collum vteri aliquot grana cibetæ, aut moſchi optimi ad recreandam matricem adhibeantur. Poſſunt etiam olfacere aſſam fœtidam, aut oleum de gagate, cuius tres aut quatuor guttas cum pauco vino vel iuſculo diſſolutas ſorbere erit vtiliſſimum in crudeliori affectu.

Supereſt ergo, vt adhuc annotemus affectum quendam, qui frequenter in illis apparere ſolet, poſtquam ſurgere & deambulare cæperunt, nempe coxendicum dolorem, ob quem ſæpé claudicare coguntur, putat Rondeletus hunc affectum

non

n propriè eſſe coxarum, ſiue ſciaticum, ſed re-
:endum eſſe ad vteri ligamenta humoribus im-
ta, quæ verſus inferiorem Iſchij partem defe-
ıtur: quod etſi veriſimile ſit, non eſt infician-
m, quin mulieres ægrè parientes poſſint aliquan-
ob compreſſionem, & quaſi contuſionem vici-
rum partium, longámque decubitus moram in-
;nem arceſſere humorum copiam, quæ ipſum
:hij articulum & ligamenta ſubeant, vt quoti-
ıno vſu didicimus: Ideo in iſtis mulierculis ſole-
ıs poſt cathartica accommodata, totiúſque
rporis, & humorum præparationem præſcribere
lorifica decocta, aut Laconica ſuperiùs à nobis
ımmemorata cum inunctionibus partis affectæ,
vetere theri. oleo lumbricor. balſamo Guido.
ſimil. multis etiam profuit vſus muſti, aut vi-
calentis cum herois naualibus in formam ſe-
icupij, aut fotus: cùm diuturnior aut pertina-
ɔr eſt iſte affectus, ſolemus eas ad thermas no-
as Bellelucanas relegare, vbi balnei & luti vſu
ſipatur tandem humor ille infarctus, & pars inte-
æ ſanitati reſtituitur.

Atque hæc de præcipuis affectibus puerpera-
ın, quoniam alij multi, quibus ſunt obnoxiæ, vt
i prolapſus, diſtorſio colli, vel oſculi matricis, præ-
ɔitatio & vlceratio vteri, ſciſſura venæ ad anum
ıue ob nimiam fœtus magnitudinem in iuuencu-
facilè reduci poſſunt ad peculiarem therapiam
s locis propoſitam. Hoc tamen notandum in ipſa
luæ ſciſſura, quòd ſi tanta fuerit, vt ſutura, &
ſimili chirurgi opera indigeat, quoties de

nouo

DE AFFECTIBVS MVLIERVM LIBER TERTIVS, ET VLTIMVS.

De Regimine puerulorum à partu.

CAPVT PRIMVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

GENERATIONIS impedimenta ex parte mulierum ſuperioribus libris tollere & curare docuimus, ſupereſt igitur hoc libro tertio opus ipſum generationis editum iam fœtum ſcilicet onſideremus, quoniam in illo ſtatu poſitus exoſcit maximè alienam opem, & ſedula cura iniget, vt educari, augeri, & ad ſpeciei humanæ erfectionem poſſit peruenire. Erit igitur dulex iſta cura, vna quæ perſpicit tenellum pueri

Digitized by Google

corpus, quomodo ſit peculiariter tractandum pro debito quodam regimine ad robuſtiorem vſque ætatem conſeruandam: altera verò nutricem, ſiue fœminam illam cuius lacte frui debet donec ſolidioribus alimentis reficiatur.

Quod ad priorem partem ſpectat, non eſt dubium quin pueruli poſt ipſum ortum vacui ſint conſtituti, alij ſiquidem infirmiores, alij robuſtiores; quidam verò malè ſe habent ex accidenti propter labores, quos in ipſo partu paſſi ſunt. Robuſtiores cenſentur illi, qui ſtatim poſt exitum plorant, aluî & veſicæ excrementa ſtatim excernunt; mammam oblatam liberè admittunt, & ſugunt; oculos ad lucem intrepidè aperiunt, manum vtramque iactant, & ſimul alacritatis ſigna exhibent, quæ ſi deſint omnia, vel plura, imbecillum, aut minùs validum eſſe fœtum oſtendunt. Verum verò habeant ab origine & principio generationis ab vtroque parente ſignificabimus conſtitutionem: à ſanis enim & robuſtis ſana plerumque ſoboles oriri ſolet, vt contra. Item grauiditatis & geſtationis modum, quæ enim mulieres ſymptomata, & incommoda multa patiuntur, dum vtero geſtant, potiſſimum morbos chronicos, aut acutos, vix bene valentes fœtus producere poſſunt. Prætereà ſi menſe incommodo, ſeu termino irregulari pepererit, quod oſtendit maximam naturæ perturbationem: ſin verò huiuſmodi infirmitas fœtui contingat ex accidenti, & reliqua quidem abſint. Sed ipſa difficultas pariendi, quæ præceſſit, aut diuturna mora patefacient, vnde illa proficiſcuntur; imo

mò ipſum aliquando infantuli corpus quaſi contuſum & liuidum ob iſtos labores & concuſſionem apparet, & vt plurimùm poſt aliquot horas, vbi in lucem editus fuerit, extinguitur. In huiuſmodi itaque fœtibus imbecillioribus ſolent multa moliri, quæ plerumque ſunt irrita. Faciunt enim inſpirare in os illius delicatulam quandam virginem, ſi mas fuerit; puellulum verò ſi fœmina, inſerunt roſtrum gallinæ viuentis in eius podicem, eamque ibi extingui ſinunt, quod putant hoc modo exhalantem calorem & ſpiritum gallinæ refocillare infantis vires. Poſt deterſas autem eius ſordes exhibent modicum theriaces, aut confect. alker. diſſoluta cum lacte: quodſi nequeat præ infirmitate ex vberibus ſugere, mulieris manibus in fauces pueri in canaliculis argenteis vel potiùs ex membrana coriacea infertur, quod in plures dies præſtandum erit, donec paulatim vires ad ſugendum collegerit. Præterea, ſi neque alui, neque veſicæ ſordes emittant partes illæ ad ignem blandè erunt pertractandæ, vt excitetur facultas excretrix, vel etiam immittendus in podicem cauliculus maluæ vel betæ oleo imbutus, aut etiam mel roſatum calens cum cochleari per os exhibendum, vt expurgetur excrementum illud, quod in corporibus nuper natorum deliteſcit nigrum & glutinoſum ab authoribus noſtris papauerculum appellatum ob quandam ſimilitudinem.

Si contuſiones & liuores in prædicti pueri corpuſculo appareant, foueantur vino rubro adſtringente, aut ex decocto florum Camomeli-

ſem. Coriand. & aniſi ſimul mixtis, ſi etiam excoriationes adſint, puluere roſaceo aſpergantur, aut oleo roſaceo, & inuoluatur bombace, aut panno lineo molliori.

Sed nos ad naturalem partum, & alacriores fœtus tractandos redeamus, quorum regimen occupatum etiam eſſe debet, vt ex generoſis iſtis, & fœlicibus plantis genus humanum augeatur. Poſt ſectum & nexum conuenienter pueruli vmbilicum, inunctumque oleo roſaceo, & inuolutum panno lineo, ne ita ventrem immediatè contingat, quod dolores, & tormina excitare ſolet, cùm ſenſim putreſcit, debet perita & ſapiens obſtetrix puerulum iſtum blandè contrectare, & ſi quid malè conformatum in vultu, & aliis partibus, dum adhuc quaſi vitrea ſunt oſſa effingat in melius, artus omnes explicet, crura & brachia ſæpius extrudere faciat, et ſi quid in articulis muci vel lentoris reſidet, diſſipent palpebras aurium, narium, vuluæ, podicis, mentulæ, ductus & orificij. Vtrum bene papant exploret, linguæ radicem, & ligamenta tentet, & conuenienter abſcindat, ſi nimium ſint adſtricta: Inde enim maximum in loquendo impedimentum, & in ſugendo lacte exoriri poteſt. Tandem exhibeat illi parum mellis roſacei: aut olei amygdal. dul. recentis, & ſine igne extracti, vt ductus illi abluantur, & aluus ad prima excrementa eiicienda. Quibus præſtitis, ſi quid craſſioris inquinamenti externæ cuti pertinaciùs hæreat detergendum oleo communi, aut myrtino, aut vrina pueri impuberis, & ſimul deinde faſciis & lin-

teo

eolis commodè eſt inuoluendus, & in cunis re- ponendus. Galenus 1. de ſanit.tuenda aſperſit ſale corpora recenter natorum, vt exiccetur magis, cutis & membra robur contrahant. Sed propter remedij iſtius acrimoniam & mordacitatem vix audent illud in pueris noſtris tentare, qui inflammationibus, & pruritibus facilè corripiuntur. Antiqui ſecundùm eundem Galenum, ſtatim natos in aquam frigidam immergebant, vt validiores redderentur, vt ferrum candens aquæ immerſum, Vnde apud Virg.

Durum à ſtirpe genus, natos ad flumina primùm Deferimus, ſæuoque gelu duramus, & vndis.

Sed illam conſuetudinem non probamus hoc tempore, tùm quòd pleriqùe delicatiores ex tam ſubita mutatione ex calore in frigus perirent, tùm quòd nimium conſtipata cutis, & habitus corporis denſatus, quamuis dum eos reddat externarum rerum iniuriis nimis obnoxios, attamen putredinoſis affectibus, & cauſarum internarum moleſtiis ſuſcipiendis magis comparatos ob impeditam tranſpirationem, vt patet dum exanthemata, & ecthymata in illis erumpunt. Credibile eſt igitur immanes illos populos & bellicis artibus tantùm addictos tutandi potius cauſa in puerulis ſuis præſtitiſſe, vt, qui hoc frigidæ lauacrum ferre poſſent, educarentur. Repoſitus itaque in cunis ab omnis aëris nimia inclementia pro varietate anni, temporis, regnorum, & locorum veſtibus, linteolis, & regumentis eodem modo commodè muniatur, in quibus munditia potiùs & mollities quàm ſplendor quærâ-

tur. Luminis etiam eſt habenda ratio ratione ocu-lorum, vt ſolem directè excipiat nunquam di-ſtortis muſculis oculos mouentibus verſus illam partem: ac proinde ſi quid vitij hac in re conti-giſſe apparet, res quædam ſplendidiores, vt ſpe-cula, aut pannus coccineus ad oppoſitam partem affigantur, vt ſic intenta in contrarium acie ocu-lorum illi muſculi conuenientem ſitum adipiſcã-tur. Non eſt tamen omittendum in prima pue-ritia, cùm iam intueri incipiunt, neque ſunt res turpes aut horrendæ obijciendæ, quòd ex illa-rum aſpectu facultates interiores in animi ſum-mam perniciem incidunt. Neque etiam con-trectandi à ſordidis, vetulis, vel aliis, quæ gra-uem emittunt ſpiritum, quoniam corpora iſta mollia, & quaſi ſpongioſa facilè concipiunt ex-ſpirationem omnium inquinatarum rerum. Vn-de Poëta:

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Recentes etiam puerili ex conſuetudine in vtero contracta plus ſomno indulgere debent, quàm vigiliis, quod ſic concoctiones naturales meliùs perficiantur, & minor fit ſpirituum diſſipatio, vnde cantibus blanda agitatione cunarum, & fre-quenti vberis exhibitione ad id ſunt excitandi. Vbi verò primùm expergiſcuntur à ſordibus dili-genter mundandi, & toties in die mutandi, quo-ties inquinati apparebunt, contra vulgi ſenten-tiam, qui bis tantùm in die præſtandum exiſti-mat, ne dolore aliquando, pruritu, excoriatio-ne, aut fœtore afficiantur ex eorum diuturniore contactu, & ita faſciandi de nouo, vt neque

pro

opter nimiam laxitatem diſtorqueri aut laxari
ſſit aliquod membrorum, neque propter ni-
iam adſtrictionem comprimi, aut dolore tra-
ri. Proſpiciendum etiam perpetuò in hiſce in-
ntulis, vt aluus liberè fluat, & vrina liberè
fundatur: eſt enim ſignum optimæ nutritio-
s, quoniam ex lacte liquidiore liberaliùs ſum-
o maiora excrementa ſuſcitantur: vnde qui
ſtrictiore ſunt aluo pueruli, vt plurimùm va-
as incurrunt ægritudines, multúmque pericu-
& laboris in ipſa deiectione ob nimiam cere-
i, & totius corporis repletionem, quæ gin-
uarum magnas inflammationes, humores, pu-
edines, & conuulſiones parere ſolet.

Quod ad exercitationem verò ſpectat certum
t puerulos, quamdiu faſciis continentur pro-
er oſſium mollitiem nullum obire poſſe cor-
oris motum, donec confirmatis membris poſt
apſum circiter annum ambulare incipiant; tum
iligenti indigent cuſtodia, ne cadant, aut vio-
nta agitatione ſibi vim inferant. Vagitus et
am, ploratus & clamores in eis eſſe debent
nediocres, quia faciunt quodammodo ad va-
uandam cerebri & pulmonum pituitam, dila-
andum thoracem, & excitandum calorem na-
uralem; quandiu in cunis degunt immoti, dum-
nodo id non contingat ex vi doloris alicuius, vt
uando linteolo premuntur, aciculis punguntur,
ut aliquam ægritudinem patiuntur, vt pote
entris tormina, quibus ſunt valde obnoxii,
iiſce enim omnibus ſtatim & prudenter pro-
piciendum, ne in animi deliquium, aut in mar-

coreth incidant. Vbi verò grandiores iam ſunt facti, & ambulare incipiunt cohibendi illi omnes impetus, quantùm fieri poterit, potiſſimùm ſi ab animi pathemate perdeant, ne malos mores contrahant. Adde quod ex nimiis illis clamoribus & ploratu facilè catharros & fluxiones excitant, aut incidunt in hernias inteſtinales ob laxiorem peritonæi, & muſculorum conſtitutionem, quæ omnia ſunt valde animaduertenda. Denique quod ſpectat ad illorum alimentum, quando ex ſolo lacte debet conſtare per aliquot menſes, aut leui pulticula, quouſque dentire incipiant, & ſolidiores cibos cóficere poſſunt. Ideo maxima ſollicitudine tale erit comparandum lac, quod ſecundùm ſubſtantiam, & qualitatem, & omnia ſit laudatiſſimum, vt proximo capite dicemus.

2 Quod ad quantitatem, tempus, & ordinem lactis exhibendum ſpectat, quandiu illo ſolo vtuntur, debent qua in hora illud frequenter ſugere, dummodo vomitu, aut alui fluxu non teneatur. Vt enim in vtero perpetua erat ſanguinis illius materni attractio ad fœtus mutationem: ſic eſſe debet frequens lactis ſuctio extra vterum ad corporis incrementum. Vbi verò incipiunt pulticulas ſorbere, iuſcula, aut etiam alios cibos ſumere, vtile erit, vt per horam vnam ſaltem poſt ſumptum cibum à lactis ſuctione abſtineant, ne lac diutius in ventriculo aliis cibis permixtus recenter corrumpatur: neceſſum eſt enim per multos lumbricorum tutari, quando ſolo lacte tanquam æquabili & proportionato alimento vtun

untur. Cogimur iam tamen illis grandioribus alios cibos exhibere, tum illis aſſueſcant paulatim, & firmiores euadant, tum etiam ne nimis exhauriant ſuas nutrices, vel in lactis penuria quæ in mulieribus noſtratibus frequentiſſima ſit) fames, quam pueruli difficulter ferunt, hos aliquando torquet ratione iſtius gratioris, & audatioris alimenti, quo debet frui infans per duos aut tres annos integros, donec ablactetur. Summa etiam eſt habenda ratio fœminæ, quæ alem illi alimoniam ſuppeditare debet, ſiue ſit mater, quæ illum peperit, ſiue nutrix.

Primùm igitur quærendum; vtrum ſit melius merulum materno lacte, vel nutricis educari. Et vtrinque ſatis validæ rationes adducuntur. Plutarchus, Agellius, valde exagitant matres, velut Aſtorgos, quæ infantibus ſuis nuper natis lud denegant, quod coactæ prius in vtero exhibuerunt. Addunt Phyſici, eò melius alimentum, quò ſimilius, & magis naturæ conſuetum; ideo maternum lac, quod ex eodem ſit ſanguine, quo alebatur in vtero, illi magis ſimile eſſe, & conſuetum, ac proinde commodius ad eius nutritionem, quàm nutricis, quæ aliquando diſſidet ab vtriuſque temperamento. Item amorem, & beneuolentiam longe maiorem eſſe, quàm nutricis, quæ mercede id tantùm præſtat. Verùm quod contingit vt plurimùm in familiis illuſtribus Magnatum, & reliquorum matres omnes delicatiores, quàm vt ferre poſſint tantam & tam moleſtam educandi fætus moleſtiam poſt geſtationem, non abs re eſſe videtur, ſi ob ma-

tris mollitiem, vel quando non eſt rite comparata ad lactis generationem, deſes, faſtidioſa, querula, apoſitia laborans, vt ſolent fæminæ iſtæ illuſtriores, vt pueri tradantur alendi egregiæ cuidam, & robuſtæ nutrici, quam facilè inter ruſticas eligent ex conſilio medici optimo temperamento præditam, vel parum diſſimilem. Si corrigenda ſit aliqua intemperies in puerulo, quam ex parentibus contraxerit, benè moratam, ſollicitam & expertam in tractandis paruulis, quos & ſummo amore proſequantur, vt variis hiſtoriis teſtatum eſt, & cum generoſiores validioresque viros Reip. adminiſtrandæ idoneos educare ſolent. Cùm igitur nutrix eligi poſſit, non mater ad commodè educandum puerulum, cui etiam poteſt imperari debitum regimen, quàm matri moroſæ, & deliciis addictæ, ideo à tali caſu non eſt improbanda educatio, quæ à nutricibus obitur. Adde quod duo maximè nutricum educationem commendare videntur: Primum, quòd minùs ſint animi pathematum obnoxiæ, quàm matres; quando enim morbis afficiuntur pueli, quibus valde ſunt obnoxij, impoſſibile eſt matres non valde commoueri: Vnde ſumma humorum & lactis perturbatio, ex quo vidimus multos puerulos periclitantes, & tandem nutricibus fuiſſe tradendos. Alterum, quòd matres iſtæ perpetuo coitu vtuntur, aut impræegnantur frequenter, vel menſtrua patiuntur: vnde lactis copia valde minuitur, aut certè exhibetur paruulis lac calidius, & intemperatius, quàm nutricis à coitu abſtinentis.

Vbi

Vbi igitur contigerit infantem nutrici propter dictas cauſas eſſe tradendum, eligatur mulier boni habitus, & temperamenti nigricantis potiùs, quàm albi, lati pectoris, & ſcapularum, mammarum mediocrium, & bene conformatarum cum elegantibus papillis: ſit etiam ætatis degetæ à trigeſimo ſaltem anno ad trigeſimum quintum, non primipara, aut abortiens frequenter, ſed quæ fæliciter & pepererit, & proprios fœtus educauerit, hiſce ſcilicet laboribus ferendis aſſueta, & tractandis infantulis; cuius lac nec valde recens, nec nimis inueteratum eſſe debet, quoniam à tribus menſibus poſt partum vſque ad ſecundum annum laudatiſſimum cenſetur. Volunt quidam nutricem, quæ fœminam peperit, marem nutrire, & contra. Sed hoc non eſt perpetuæ veritatis, niſi ſit corrigenda in infante aliquâ intemperies, vt iam annotauimus. Sit etiam nutrix bene morata, & quantùm fieri poterit tranquillo corpore, & animo, quæ enim iracundæ, biliofæ, melancholicæ aut ſalaces exiſtunt, eiuſmodi vitia ſimul alienis communicare poſſunt, & lac facilè corrumpunt.

Attendenda eſt etiam familia & natura parentum, à quibus orta eſt, ne aliquam habeat ſanguinis maculam hæreditariam potiſſimùm elephantiacam, luem veneream, ſtrumas, phthiſin & ſimiles morborum contagioſorum, quibus facilè inficient traditos ſibi puerulos.

Præter iſtos omni etiam affectu morboſo & vitio carere debet, vt balbutie, lue pediculari, ſcabie, & ſimilibus. Quodſi in ægritudinem ex acci

accidenti incidat, vt in catharchum febrem, & ſimil. tunc abſtineat ab exhibendo lacte infanti, donec curata fuerit, tamen lac ex vberibus illius extractum erit, hæc ſiquidem talis iudicata fuerit, cui puer tradi debeat, tum enim regimen conueniens illi præſcribendum pro variis circumſtantiis, vt poſſit ſalubriùs & tutiùs propoſitum opus obire.

Imprimis itaque aëris illā nimiam inclementiam vitare debet, quantùm fieri poterit, mutationes etiam loci intemperatioris, ſi ita videatur, vigilias etiam immoderatas fugiat, quòd ſomnus valdè facit ad lactis coctionem, non ſit tamen ſomno valde addicta, quæ enim profundo ſopore tenentur, negligunt puerorum ſuorum curam tota nocte, illoſque vociferantes aut lacte indigentes non exaudiunt. In talibus etiam cauendum, ne infantulos ſimul, & iuxta ſe poſitos in lecto habeant, quamplurimi enim ab illis fuere ſuffocati. Ne ſit etiam deſes, & otioſa, ſed alacris, & ad ſuſcipiendos mediocres labores comparata potiſſimùm in quibus brachiorum motus requiritur, vt ſanguinem ad mammas attrahat, & lac meliùs concoquatur, alium nec minùs fluxilem, nec nimis adſtrictum habere debent, quod vtrumque lactis naturæ nocet, eam minuendo vel corrumpendo. Sed ſi cacochima videatur, aut propter victum liberaliorem & inſuetum excrementis redundet, poterit purgari per internalla leui quodam catarctico, dummodo illa die mammam non porrigat puerulo, niſi eadem opera infans etiam purgandus. Vt enim

iim eſt apud Hippocratem, mulier & capra ti-
hymalum comedentes lac habent purgatorium,
itet autem pathemata quantùm fieri poterit,
ieque ipſi vlla occaſio mœroris ab vllo domeſti-
orum præbeatur, quia pœna infanti infligitur.

Quod ad alimenta ſpectat, ſi ſola lactis ratio
abeatur debet vti Euchynis, & Eupepis, ita ta-
nen vt non fiat ſubita mutatio à victu conſue-
o, verbi gratia, ſi ruſtica ſit in domum alicuius
Magnatis vocata, debet illi aliquantum conce-
i, vt aſſuetis cibis paſcatur, donec lautioribus
ſſueſcat paulatim: alias enim ita faſtidioſæ e-
adunt, vt vix alimenta delicatiora propoſita ſu-
ıcre valeant. Quodſi ſit robur & alacritas com-
aranda puerulo, quod Nobiles noſtri valde cu-
iunt in maribus ſuis, debent potiùs in agro,
uàm in aula, aut in vrbe morari, & ibi ordina-
am viuendi rationem ſeruare: præſcribi tamen
oterit, vt à valde intemperatis abſtineant, vt-
ote frixis piperulis, & ſimilibus.

Quæritur præterea, vtrum nutrix vinum vel
quam bibere debeat, diximus enim ſupra non
ebere eſſe ebrioſam ſeu vino addictam, inde e-
im infinita ſequuntur incommoda, tum quia
inum immodicè ſumptum lac reddit feruidius,
im etiam, quòd eiuſmodi temulentæ nutrices
laciores redduntur, nimiùm ſomno indulgere
oguntur, aut turbata mente puerulos ſuos in
ille pericula præcipitant. Attamen in illis quæ
no ſunt aſſuetæ, niſi temperamentum, aut
gritudo pueruli repugnat, poteſt moderatus
ius vſus concedi ad vitandas cruditates, &

ven

ventris imbecillitatem, in quam incidunt ex commoda vini priuatione, quo deinde, vbi datur occaſio ſeſe ingurgitant. Idem dicas de vſu coitus, à quo nutrices tempore lactationis abſtinere optimum: attamen cum illis, quæ coniugem habent, & cum illo degunt permittendus potiùs, quàm ſi immenſo eius deſiderio in corporis perturbationes incidant: Ita tamen, vt ſi ex illius vſu prægnantes factæ, aut menſtruis purgationibus teneantur, deſinant à lactatione pueruli propter incommoda iam à nobis dicta. Sic igitur eligenda, & regenda nutrix. Poſtea peculiaris ratio lactis & mammarum habenda, vt omnia rite in pueri propoſita educatione ſic ſe habeant, quod ſequenti capite moliemur.

De Bona Lactis, & Mammarum conſtitutione.

Capvt Secvndvm.

Mammæ ſunt corporis noſtri partes glanduloſæ, copioſo adipe & venarum multiplicium ramis conſtantes, in anteriori mediaque pectoris regione poſitæ, figura rotunda, quæ in papillam fungoſam velut apicem deſinunt ad thoracis ornamentum, cordiſque tutelam in vtroque ſexu formatæ: in mulieribus peculiariter ad alimoniam recentis fœtus parandam, & Galactopoëticam facultatem poſtmodum exercendam, illa

llarum itaque affectus particularis, cuius præ-
:ipuum opus eſt ipſum lac, quod definitur: Hu-
nor benignus, dulcis, albicans, in mammis fœ-
ninarum concoctus ex puriore ſanguinis por-
ione, & redundantis proprio mammarum ali-
nento ad nutritionem editi fœtus. Diximus eſſe
iumorem, quia inſtar aliorum liquidorum cor-
orum in nobis contentorum, ſanguinis, ſeri,
eminis, & ſimilium diffluit. Eſt autem beni-
na admodum, & laudabilis ſubſtantia, quam
iatura comparauit ad tenelli fœtus nutritio-
iem. Huius natura in humido calidoque vitæ
nimantum principio poſita ſimiliter indiget ali-
nento, vt continenter refici, & incrementum
apere poſſit. Eſt enim tanta iſtius humoris be-
iignitas, & ſuauitas, vt non ſolùm ex illius vſu
enella puerorũ corpuſcula ſuſtentẽtur, ſed etiam
uando grandiores macie aut febre hectica de-
inentur. In quibuſdam etiam nationibus, vt
e Scythis narrat Hippocrates, præcipuum ex eo
ppetit alimentum. Adde quod ex lacte tres
lucuntur ſubſtantiæ, Serum, Caſeus, & Buty-
um, quorum in diæta communi hominum iſta
ſt vtilitas, vt nulla alia ferè ſit, quæ huic com-
arari poſſit. Diximus præterea in mammis fœ-
ninarum concoqui, quòd verum lac fit tantùm
i fœminis, & eo tempore, quo fœtus in vtero
oſitus moueri incipit ratione ſolius finis pro-
oſiti, nempe educationis illius extra vterum,
uo creſcente videmus poſt aliquot annos iſtam
ctis generationem in mulieribus deſinere, do-
ec denuo congreſſu vtentes fœcundo concepe-
rint.

rint. Non enim quicunque virilis congreſſus ſufficit ad lactis generationem; neque enim ſteriles ex quacunque cauſa, neque meretrices quantumvis libidini indulgentes lac in mammis proferre poſſunt, niſi ex huiuſmodi concubitu ſequatur maſculi ſeminis fœcundi in vtero relatio, & verus conceptus, vnde falſæ omnes illæ impręgnationes à nobis recenſitæ, & ſimiliter monſtrorum molæ priuantur iſtius ſucci generatione, vt ipſemet notauit Hippocrates.

Quamuis igitur dicantur mares aliquando, vt ipſe aſſerit Ariſtoteles, vel virgines aut mulieres quædam, quibus menſtrua defecerunt abſque impręgnatione quandam produxiſſe ex vberibus ſubſtantiam albicantem, & lacti ſimilem, non eſt tamen putandum eſſe lac, ſed portionem alimenti mammarum redundantem, quæ nec idonea ad puellorum educationem, nec ab ea tres illæ partes ſecerni poſſunt, nempe Serum, Caſeus, & Butyrum, cùm tota ſit ſeroſa, & veluti albicans pituita.

Quodſi obiiciat aliquis iſtud lac quod falſum appellamus in muliere cui menſtrua defecerunt, non eſſe tantùm portionem alimenti proprij mammarum, ſed etiam ſanguinis illius menſtrui retuſi, & refluentis. Reſpondeo ſanguinem illum, qui in fœminis iuſtæ ætatis retinetur pręter naturam, quando ſcilicet neque lactantes, neque prægnantes ſunt vitium citò concipere: calorem natiuum ſuffocare, & infinitos morbos inferre, vt docet quotidiana experientia, ac proinde non eſſe appoſitã materiã, vt ex ea lac generetur.

Verùm

Verùm obiiciet adhuc aliquis, ſi lac ſit in mammis per concoctionem, id eſt, per viam nutritionis, vt vocant, pendebit iſta vis Galactopoëtica à facultatibus naturalibus, & inſitis, quæ perpetuò ſunt præſentes, & continuo propoſito agere ſolent: Atqui iſta vis lactis generandi videtur confluere vel à viro cuius congreſſu fœmina fœcundatur, & lacti generando redditur idonea; vel certè è virili ſemine in vteri cauitate ad conceptum retento, cuius energia mammis communicata intra quartum aut quintum menſem grauiditatem incipiunt turgere & lac producere. Reſpondeo ad illud, vim iſtam Galactopoëticam eſſe quidem inter actiones naturales, cùm ſit per modum concoctionis & aſſimilationis ipſiſque mammis inſitam, quæ tamen non exerit ſuos effectus inſignes, & manifeſtos, niſi præſente alimento conuenienti & fine propoſito vtili. Quandiu igitur fœmina extra fœtus generationem conſtituta eſt, inutilis illius generatio; ideo propriis tantùm mammarum commodis, & nutritioni ſeruit illa facultas concoctrix, neque habet tantam ſanguinis copiam refluentis & elaborati, vel attracti in ſuas cauitates, vt ex eo lac proferri poſſit, ideo tunc temporis ceſſare videtur, ſicut ſpermatopoëtica ceſſat in puerulis, & ſenibus etiam auctrix facultas, poſt vigeſimum tertium ætatis annum. & ſic de cæteris.

Quæ ſint autem potiſſimùm cauſæ, cur præſente fœtu in vtero incipiat lac generari, non autem priùs. Exiſtimat Hippocrates id fieri, quia vaſa vterina multo tunc temporis ſanguine re.

fecta repellunt quaſi ſanguinem verſus mammas, vt in futuram pueri alimoniam cõuertatur: deinde quia propter conceptum dilatantur omnia corporis vaſa, quæ priùs erant anguſtiora, & ſic tunc etiam ſanguinem faciliùs refluere per communes vias vteri & mammarum. Sed illud videtur mihi magis præcipuum, quòd ex præſentia ſeminis maſculi & fœcundi in vtero propter ſummam correſpondentiam, quæ eſt inter duas iſtas facultates, ſpermatopoëticam, & galactopoëticam, hæc veluti ſopita excitatur, & ex communi officio in communem quaſi actum deducitur: vel etiam addimus iſtam materiam, quæ ab vtero & reliquis venis in mammas ad generationem lactis inſtituit, non eſſe ſimpliciter ſanguinem, ſed elaboratum & præparatum circa vaſa vteri, vt ex eo deinceps lac fieri poſſit, ſicut materia ſeminalis non ſolùm ex reliquis corporis partibus ad vaſa generandi ſeminis cauſa ferri debet, ſed etiam in vaſis præparantibus præparari.

Diximus itaque ad lactis generationem concurrere duplicem materiam, vnam quidem ex vtero, & reliquo corpore per venas communes & proprias, quæ circa epigaſtera poſitæ illam mammarum & vteri κοινωνίαν efficiunt, nempe ſanguinem menſtruum præparatum, & elaboratum: aliam verò portionem proprij alimẽti mammarum ſuperfluam, ex quibus iſta materia lactea conflatur: etenim ſi ſolus ſanguis lactis naturam cõſtitueret, ipſũ lac aut eodẽ gradu caloris, aut maiori prĕditũ eſſet propter diuturniorem coloris in [illegible]

eandem

eandem materiã applicationẽ & concoctionem. Attamen ex Galeno certum eſt lac eſſe frigidius ſanguine, & ex lacte chylum primò, deinde ſanguinem generari debere in lactantibus, vnde oportuit illud habere caliditatem recuſſiorem, vt ex ea deinceps quatuor humores alibiles dicti commodiùs æquabiliter ſuſcitentur. Adde quòd ipſa docet experientia, lactis vſu hectica detritos temperari, & actus præcordiorum ſedari, quod nemo ſanguini tribuat, cùm & ipſo aſſumpto inualeſcat corpus, & peſsimè nutriatur imo ipſe ſanguis extranaſatus, & in cauitates corporis incidens graueſcit aut putreſcit.

Quoniam igitur lac dicitur à Galeno ſanguis dealbatus, & leuiter immutatus, non eſt putandum illud ideo dici, quòd nõ ſit diuerſa ab eo ſubſtantia, vel quòd non ſit aliis dotibus præditum ad alimoniam corpori tribuendam, ſed quòd inter concoctiones ſanguinis, quæ fiunt in corpore noſtro, nulla ſit inter omnes lenior, quæ non apponitur, vel affigitur parti, in qua aſſimiletur. Ac proinde non eſt recipienda illorum ſcientia, qui exiſtimant naturam in lac tantum ſanguinem dealbaſſe, ne cruor in mammis effuſus matri, vel puero horrorem incutiat, quandoquidem, vt iam diximus, ipſe ſanguis non poterat eſſe idoneum alimentum, quo nutriretur fœtus extra vterum, quia iam ventriculus & hepar ſuo munere fungi incipiunt, quo erant priuata, dum eſſet in vtero, & per vaſa vmbilicalia ſanguis ille maternus deducebatur, in ſingulas partes,

ſolamque homiôſin patiebatur.

Obiiciat aliquis lac eſſe ſanguine calidius, quòd ſit ex eo per vlteriorem concoctionem, & elaborationem, illud enim quod ex philoſophia affertur, omnia, quæ concoquuntur, euadere calidiora & craſſiora, eſſe intelligendum de eis quæ vnam aut eandem tantùm concoctionem patiuntur, non autem diuerſas, quia enim varias coctiones ſubeunt, fit vt vel propter partis, vel vaſorum mutationem, quæ diuerſo temperamento prędita eſſe poſſunt: vel alicuius rei ſecretionem, vel permixtionem, refrigeratio potiùs, & attenuatio, quàm calefactio & incraſſatio in rebus coctis aliquando contingat. Id igitur ſanguini maniſeſtiſſimè euenit, dum in mammis glanduloſis, & exanguis naturę particeps decidit, ibique permultùm proprio alimento ipſarum valde ſeroſo, & pituitoſo diluitur & temperatur, ideoque lac à Galeno dicitur ſubſtantia quędam media inter pituitam & ſanguinem eodem loco citato, vbi etiam vult à loci proprietate, in quo degenerat in lactis naturam ſufficienter refrigerari.

Contra iſtud tamen afferri poteſt: Quòd ſi ſanguis in mammis refrigeratur, dum lac fit, idem continget ſemini genito in teſtibus etiam glanduloſis, cùm tamen ex Galeno longè ſit ſanguine calidius. Verum diſpar eſt admodum ratio lactis & ſeminis, quòd ſeminis natura nuſquam ingreditur teſtium glandes, ſed in ipſis paraſtatis retinetur impermixta, imò ſi quid ſeroſi excrementi in illo ſit, exugitur ab ipſis teſtibus ad ſuam alimoniam, vt ab eo ſemen depuretur.

Adde

Adde quòd copia ſpirituum, quę per arterias, & nervos, quibus vaſa ſpermatica componuntur, ex omnibus partibus corporis illatorum, maximè facit ad ſeminis caliditatem augendam, quibus euaneſcentibus videmus craſſamentum ſeminis ſatis aquoſum & frigidum, ex quo potiſſimùm augmentantur partes ſpermaticæ.

Supereſt adhuc alia difficultas aduerſus iſtam lactis naturam à nobis propoſitam. Etenim ſi lac fiat ex ſanguine concocto & elaborato, idem contingeret lacti & ſemini, quod ſcilicet natura non poſſet ferre magnas illius vacuationes ſine maximo periculo, cùm tamen videamus nutrices tantam illius copiam ſine noxa ſingulis diebus profundere. Quodſi reſpondemus diſparem eſſe rationem lactis & ſeminis, vt ſupra fuit annotatum, quòd ſemen in parte exigua conficiatur, quę non poteſt tantam humoris copiam continere, vt mammę: deinde ſemen eſſe donatum inſigni ſpirituum multitudine, ex quorum effuſione valde debilitatur totum corpus per moderatam venerem: aut ſi ſemen ſit deſtitutum illis ſpiritibus, multóque ſero ſit permixtum, vt patet in gonorrhęa nunc non tantum inferri detrimentum corpori: Vrgent illi denuo ſaltem eandem fore reſolutionem virium in ſanguinis & lactis effuſione, imò maiorem, quòd lac eſt plus concoctum, quàm ſanguis: Attamen ſi quis venam tundat mulieri ad ℔. j. facilè eam in ſyncopen pręcipitabit: aut ſi menſtrua, aut hęmorrhois purgatio fiat pręter modum, ſtatim deficiunt vires, & totum corpus vehementer lan-

gruebit,cùm tamen nutrices vegetæ, imò alacriores videantur tunc temporis,dum inſignem illam lactis copiam ſingulis non ſolùm diebus ,ſed penè momentis profundunt. Ad id reſpondeo,magnam eſſe vim & prudentiam naturæ diſpenſantis actiones corporis noſtri, quæ enim fiunt propter certum finem, & ex primario illius inſtituto illa jucundiſſimè feruntur & obeuntur à ſingulis partibus, quamuis ſatis difficiles à prima fronte appareant, ideo cùm natura dicauerit partes iſtas coctionis lactis ad fœtus editi nutritionem, illi ſummam tribuit attrahendi & concoquendi potentiam , ad quam ſequitur excretio facilis & innoxia, huic autem rei maximè confert ſpongioſa illius partis ſubſtantia , quæ poteſt ſenſim alimentum illud lactis generationi dicatum ſuſcipere , deinde illud excernere per diapedeſin & fungoſis papillarum canalibus ſine vlla aut parua natiui caloris diſſipatione,quod non contingit in minima ſanguinis perfuſione per apertas venas, quæ διάβρωσιν, διαίρεσιν, aut ἀναστόμωσιν ſaltem patiuntur. Adde quòd dum ſanguinis impetu , & conferrum ex aliquo loco excernitur , non ſolùm ſit ſuperfluus & redundans,ſed etiam naturę amicus vacuari poteſt ad vltimam guttam , vt patet in vulneratis ; cùm lac ex mamma tantùm emitti poſſit vna vice,quod iam coctum eſt & ſecretum, naturæque ipſi ſuperfluum exiſtit.

Diximus denique in noſtra lactis definitione hunc ſuccum produci à natura ad alimoniam fœtus iam editi,quod tamen nō videtur vſquequaq; verum,quando lac nō ſolùm poſt partū gignitur,

ſed

ed etiam in prægnantibus poſt quintum mēſem
i fœtus bene habeat. Illud itaque eſt intelligen-
lum, lacteam ſubſtātiam fieri ad nutritionem iam
:diti fœtus ex primo inſtituto, quę omnia propter
nem & bonum operatur, quantum poteſt appa-
ere etiā in prægnantibus lactis quandā genera-
ionem propter vſus quoſdam naturę etiā vtiles,
um vt aſſueſcāt iam mammæ huic lactationi in-
ımbere, tum etiam vt ex hac lactis productione
aulatim incipiat alimētum auerti ab vtero, ſicq;
llius indigentia infans iam perfectus & maturus
noueatur & incitetur ad diſceſſum circa nonum
nenſem. Vnde in Aphor. quando in prægnanti-
us mammæ ſubitò gracileſcunt; vel ex iis lac co-
io ſum effluit, dicitur aborſus imminere, quòd
eſinat, vel auertatur ſubitò materia ad ¦alendum
ım vtero fœtum idonea.

Dicamus nunc de eius electione. Superiori igi-
ır capite dum de regimine nutricis ageremus,
atis propoſuimus cauſas optimi lactis generandi
am internas ex parte nutricis, quā externas, quæ
oncurrere poſſunt ad iſtud opus iuuandum, vel
erficiēdum. Supereſt igitur, vt paucis tractemus
otas ſiue cōditiones, quæ in ipſo lacte requirun-
ur, vt conueniēs ſit & idoneū pueri alimētum. In
acte igitur recenter ad vberibus extracto conſi-
erāda, & ſubſtātia ipſa, & ſubſtātiæ modus, quem
nedici conſiderant in iuſta quadam conſiſtentia,
uæ media ſit inter craſſitiem, & tenuitatem, vt
nim mammæ craſſities impedit eius coctionem
ventriculo, & facilē diſtributionem, hincque
rumi ſæpius concreſcant; ſic nimia tenuitas,

cùm ex cruditate pendeat, vel ſeroſæ materiæ copia eiuſdem præcipua ad alendum diſpoſitio; vnde alui fluxus & vomitus, & totius corporis macies in puerulis ſæpe exoritur. Aëtius itaque ad cognoſcendam lactis conſiſtentiam immergit in eo pilum, ita ſi laudabile ſit lac, æqualiter pilo hærere debet; vel ſi vitioſum nihil aut minus. nos coniicere ſolemus lactis portiunculam ſuper ſpeculum, quodſi ibi conſiſtat immota, optimæ conſiſtentiæ erit indicium: ſi ſtatim effluit aut inſtar tenuis & ſeroſæ ſubſtantiæ nimiùm quòdſi nimis, craſſæ dicitur & viſcidæ; imò etiam digitis illud contrectando aduertere poſſumus, vtrum lentore, vel tenuitate nimis præditum ſit. Secundò, oportet quantitatem lactis, quæ in nutricibus generatur, præpendere: nam ſi valde exigua ſit, aut per interualla deficiat, vix poteſt proba mutuò ab eiuſmodi ſperari; ſi verò illa redundet, vt pondere ſuo, & quaſi fuſione moleſtum ſit, nocere etiam poteſt; tum quia puellus nimia illa copia confertim irruente ferè ſuffocetur, & dum non ſatis abundè ſubtrahitur, facilè inflammationem, aut grumos in mammis concipit: tum etiam quòd eiuſmodi vbera lacte turgidiora facilè oſtenduntur à quacunque re comprimente, vnde ex illis infinita mala exoriri ſolent. Adde quòd vt plurimùm nimia illa lactis redundantia ad tempus in penuriam, & defectum maximum exinanito ſcilicet nutricis corpore finiatur. Tertiò, in lacte conſiderandus erit color, vt enim ſanguis ruber & floridus laudatur ob exquiſitam temperiem in hepate, & concoctionem:

ıem: Sic etiam lac album & ſplendidum proprio ūo colore donatum, qui lacteus propriè dicitur,]ui neque in ſero, pituita, muco, aut ſemine, vt ·t albicantibus reperiatur, ab hoc colore quanum recedit lac, ·k d etiam deterius, quòd vel ruditatem arguit, vel aduſtionem, aut certè ali:uius humoris dominium, ex cuius permixtione actis temperies labefactatur, vt pote bilioſi, ſi lauescat: melancholici, ſi liueſcat, pituitoſi au:em, ſi aliena albedine inficiatur. Quamuis nim colores vniuerſaliter conſiderati non ſint erta indicia temperamentorum in vnaquaque pecie, & indiuiduo, quia certus adeſſe debet olor, qui rei illius bonam vel malam diſpoſitioem demonſtrare poteſt, quæ pendet ex certa roportione mixtionum, & ſingularum conco:ionum integritate, vel vitio. Quartò, in lacte onſiderandus odor, qui in ſucco iſto tempera-), & æqualiter cocto debet eſſe ſuauis & blanus, nullo vitore aut acrimonia infectus, qualis c corporibus rudioribus expirat, nulla etiam :eroſitate præditus, quod teſtatur illius refri:rationem maximè. Lac enim facilè vitium conahit non ſolùm in ipſis vberibus, ſed etiam in entriculo intemperato. huius notas repræſenınt motus accidi, ſi frigidior, ſi calidior, indo:lenti, quod etiam ipſæ nutrices ſolent in pueris ;noſcere ex ſolo halitu, qui per os mittitur, vbi ıim lac crudum & infectum in pueri ventriculo manet, talis vapor accidus euari ſolet: ſin :uratur nimium torridus & acer. Verùm iſta nnia ex Quinto ſigno nempe ſapore cognoſce-

mus. Nam ſi quis deguſtet eiuſmodi lac recenter mulctum, deprehendet non ſolùm caliditatem illius actualem maiorem, aut minorem per ſenſum tactus in lingua poſitum, ſed etiam potentialé, vt loquuntur, per guſtũ; vt enim dulcedo gratiſſima, & quaſi ſaccharea, ſignũ erit præſtantiſſimi lactis: ſed etiam ſalſedo, acrimonia, amaror illius intemperiem calidam; imò tanta eſt vis iſtius ſigni, vt poſſit quis vitium nutricis detegere, vtrũ illa alimento quodam vitioſo, aut qualitate inſigni præditо in damnum infantis vſa fuerit, vt cæpis, alliis, piperalibus, ſalſis, frixis, & ſimilibus, quorũ exceſſus huic liquidæ ſubſtãtiæ facilè communicetur. illud nos vidimus aliquando iucundiſſimè vſurpatum in gynocæis illuſtrium fœminarum. Præter iſtas notas & ſigna lactis realis, vt loquuntur, non inutile erit habere rationem loci & tẽporis; loci, nempe regionis vel pagi, ex quo oriunda eſt nutrix, quia multùm differt lac earum fœminarũ, quæ montes, frigida, calida & humida loca inhabitant. Temporis autem reſpondendum grauiditati, & extra illud, quia durantur geſtatione, vix poteſt bonitas lactis adeſſe: præterea conſiderandum, num longè fuit à partu, nam vetuſtiores, vt pote, quæ tres à partu annos exceſſerunt, lac paucum, craſſum, & turbidum ſuppeditant; quæ verò proximæ ſunt partui ad tertium menſem valde crudum, & aquoſum, ita vt intermedio tempore laudatiſſimum eſſe debeat.

Vt igitur omnes lactis conditiones ſunt ſpectãdæ ad eius electionem faciendã, ſic mãmarum, veluti cauſarũ efficientiũ diſpoſitio contẽplanda,

vt ſit optima, & ſecundùm naturam inſtituta ad munus proprium. Siue igitur fœmina ſit virgo, ſiue mulier, venereo vtens congreſſu, ſiue prægnans, ſiue puerpera, ſiue nutrix debet perpetuò mammas ita habere temperatas, vt in illis nullus primarum qualitatum exceſſus morboſus ſentiatur, debet etiam habere rite conformatas figura decenti, ſcilicet globoſa, & faſtigiata, quæ in papillam teretem, & modicè craſſam deſinat, eleganti latitudine poſitas, & firmitate quadam mediocri donatas, quæ ſit inter duritiem & mollitiem quaſi media. Sint etiam ea magnitudine non ſolùm in virginibus, aut fœminis elegantiæ ſtudioſis, ſed etiam in nutricibus, quæ iuſtæ corporis moli reſpódeāt. Præterea ipſe ſitus in mammis debet eſſe elegans & decorus, vt ſcilicet connexę & quaſi confuſæ in media pectoris regione, ſed ita diſtinctæ, vt vnaquæque ſuum locum ad latera thoracis è Diametro oppoſita ſeruet. Nulla denique ſit macula, lentigo, vlcus, aut cicatrix, quæ membrum illud viſui & tactui expoſitum deturpet. Ex eiuſmodi mammis delitias expirantibus non ſolùm humana iucunditas, ſed etiā vtilitas ad pręcipuam operationem ſcilicet Galactopoëticam exercendam, & ſobolis educationem. Hanc igitur exquiſitam & laudabilem mām̄arum conſtitutionē debet medicus prudens conſeruare. Quòd ſi contingat aliquādo propter cauſarum internarum & externarū violentiā, eam immutari, & ab affectibus morboſis deprauari, tunc recta methodo, & cōuenientibus remedijs illos oppugnare conabitur, quod ſequēti capite meditabimur.

De

De affectibus Mammarum.

Capvt III.

IN pertractandis mammarum affectibus præter naturam, illos tantùm proponemus, qui grauiores, & in praxeos vſum frequentiùs venire ſolent, ex quorum cognitione aliorum notitia, & curandi ratio facilè haberi poteſt. Hunc igitur tractatum perficiemus quinque ſectionibus; in quarum prima agemus de immodica mammarum magnitudine, & gracilitate: in ſecunda de earundem tumore oedematoſo. In tertia, de tumore Schyrroſo earum, & carnoſo. In quarta, de mammarum inflammationis phlegmone, & quæ à lacte corrupto contingunt. Quinta denique de earumdem vlceribus tam ſimplicibus, quàm malignis tractabimus. Ad iſtorum enim accuratam explicationem reuocari poterunt commodè reliquæ omnes, vt diſpoſitiones mammarum familiares tam ſimplicis intemperiei, quàm compoſitæ, affluxu variæ materiæ, & ſine ea: Item diſpoſitiones organicæ, quæcunque medicam curationem expoſcunt, & ſolutiones continui ab Hipp. commemorati adſtrictæ ſcilicet veſiculæ ſcabiei, noruæ. Ad primam igitur partem accedamus; vbi iam illud monuerimus prædictos affectus à nobis nunc ex-

plicandos contingere poſſe in quocunque ſtatu mulieris, & proinde non reſpicere peculiariter nutritionem editi fœtus, quamuis illam impedire poſſit, ſed potiùs indiuiduum ipſum muliebre. Ideo poſt iſtam tractationem ſubiungemus tractationem de vitiis, quæ contingunt ipſis mammis ratione lactis præter naturam contenti in nutricibus.

De immodica mammarum magnitudine, & gracilitate.

SECTIO PRIMA.

CORporis noſtri partes intra vterum ita conformari, & augeri debent, vt iſta omnium quantitate & inter ipſas debita proportio ſeruetur quòd ſi aliter contigerit, fiunt vitia ab ortu magnitudinis auctæ, vel imminutæ præter naturæ inſtitutionem, aut ſpeciei conditionem. Vnde Longimani, Craſſipedes, Platones, Macrocephali: & ſimiles appellati fuerunt. Extra vterum etiam, dum fit incrementum totius, & corporis partium, niſi iuſta ſeruetur proportio, eadem vitia contingere poſſunt. Sic videmus multis collum oblongum fieri, & valde gracileſcere circa pubertatem: aliis ſcapulas alarum inſtar eleuari, & ſimilia. At verò vitia auctæ vel imminutæ magnitudinis maximè eluceſcunt ceſſante vi illa auctrice poſt vigeſimum quintum annum, aut circiter, tunc enim multos obſeruare licet

præ

præ adipis & carnium magnitudine vix ſe mouere: alios circa declinantem ætatem ita extenuari toto tempore, vt ſcheletarij vel laruæ videanur. Sic enim peculiaris quædam craſſities quibuſdam partibus, aut gracilitas contingere poteſt, quæ commodum actionibus afferat. Vidimus multos prępingues craſſo corpore, quibus tamē crura, & pedes erant ita exilia, vt vix incedere poſſent: contra tibias in aliis ex multitudine carnium ita intumuiſſe, vt vix illas attollere poſſent. in fœminis quibuſdam omentū ita impinguatur, & venter craſſeſcit, vt ſterilitatem inducunt apud Hippocratem Eorum mos, & frequentiùs mām̄is contingere ſolet propter ſpongioſam illā, & glādulosam ſubſtantiam, qua præditę ſunt, vt incidāt in iſtos affectus auctæ, vel imminutæ magnitudinis, ex quibus non ſolùm propria, ſed etiam partium vicinarum & brachiorum, & thoracis actio lædatur. Vnde patet propter turpitudinis indecoram diſpoſitionem mammoſas illas mulieres frequenter difficultate ſpirandi, & ambulandi laborare: narrantque authores de bellicoſis mulieribus, quæ ſibi mammas dextras comburebant, eſſe alacriores ad motum exercendum.

Quęri tamen poteſt, vtrum magnitudo immodica mammarum eodem modo ſit inepta ad lactis generationem, quemadmodū reliquis actionibus officit; nam eiſdem gracilitatem obeſſe certiſſimum eſt, cùm neque ſufficiens lactis quantitas in illis contineri, nec etiam commodè concoqui poſſit ob duritiem, & gracilitatem plerumque cōiunctam, quę omnia naturales functiones facilè

lè perturbant:Magnitudo autem mammarum cũ excipiendæ materiæ lactis ob vaſorum amplitudinem & continendæ ob ſubſtantiæ laxitatem,& conſeruandæ ob humiditatem, qua præditæ ſunt, idonea videatur iuuare plus lactis generationem, quàm impedire.Si tamen rem inſpiciamus, videbimus magnitudinem mammarum, quæ non eſt proportionata thoraci,& reliquo corpori,eſſe incommodam ad bonum lac generandum, quia cũ ſint valde laxæ & humidæ,nequeunt habere eum caloris gradum,qui ad iſtam actionem requiritur, neque etiam poteſt à ſubiecto corde & pulmonibus conuenienter calefieri propter nimiam diſtantiam.Adde quòd in profundioribus illis pendularum mammarum cauernis ſtabulatur vt plurimùm copia ſucci crudioris,& quodam mucore affecti,quo reliquum lac afficitur, nec lubenter à puerulis ſugitur.

Sunt igitur propoſiti affectus diſpoſitiones præter naturam organicæ intemperiei coniunctæ ex defectu vel redundantia proprij alimenti, ſine vllo tamen tumore præter naturam, aut humiditate in cauitate conſtituta, vel deficiente.Sic enim propriè diſtinguitur à diſpoſitionibus phlegmonicis, ſcyrrhoſis,& ſimilibus, in quibus adeſt tumor præter naturam propriè ſumptus: diſtinguitur etiam ab illa magnitudine,& gracilitate, quæ ex lacte copioſiore, vel pauciore in eis contento,dum prægnantes ſunt,vel nutriunt,quia nõ ſunt propriè aduentitiæ diſpoſitiones, vt ſuis capitibus oſtendemus.

Diximus itaque iſtam magnitudinẽ & gracilitatem

tatem propriè ſumptam pendere à mammarum alimenti exceſſu, aut defectu, ex multitudine, vel inopia nutritionis; quotieſcumque enim adeſt boni ſanguinis copia calore attrahẽte ad partem, vel conſequentis vbertatis, viarumque amplitudinem accommodata, totius corporis noſtri partes potiſſimùm laxæ, & fungoſæ debent recipere magnam proprij alimenti copiam, quod concoctum & aſſimilatum facit incrementum partis immodicum; & ſic mammæ in plerisque fæminis etiam virginibus valde tument, & tumidæ apparent, præcipuè ſi lato ſint pectore, & ſcapulis. ſunt & quædam regiones, in quibus vel iure quodam hæreditario, vel peculiariter aëris conſtitutione non ſolùm hernia illa gutturis, Bronchoule dicta: vel etiam mammæ, quæ prodigioſæ viſuntur: ad illud etiam iuuat victus nimium liberalis & euchymus in corporibus ſanguineis præcipuè, ſi ſomno & otio indulgeant balneisque humectantibus, & relaxantibus vtantur.

Obſeruauimus etiam mulierculas illas, quæ caſeo pinguiore, inteſtinis, adipe animantium, butyro, mellitis & ſanſaritis leguminibus, caſtaneis recentibus, paſtinacis frequenter veſcuntur immodicas iſtas mammarum accretiones pati. In his autem ad illud confert paucitas menſtruæ purgationis, in Virginibus tam nubilibus, quàm mulieribus venere abſtinẽtibus, ſi conſortio iuuenum, blandisque tractationibus vtantur, ſic enim vterus & mammę facilè delectantur, incaleſcunt, ſanguinemque ad ſe copioſiorem attrahunt, & in adipem, & propriam rei materiam conuertunt.

Gon

Contra verò Gracilitas inſignis mammarum gnoſcit omnes illas cauſas, quæ prædictum alinentum imminuere in toto, vel in parte poſſunt, & à mammis reuellere, vel alio deriuare & temeriem totius corporis: vnde hepatis ſiccitas, inelia, labor immodicus, vigiliæ, moleſtiæ ambienes, calor intrinſecus, vacuationes ſuperfluæ, febres colliquantes, vlcera interna, præcipuè pulnonum abſumunt, & imminuunt eius corporis artes præcipuè laxas & fungoſas, quales ſunt nammarum. Illarum autem alimenta intercipiũt ngustia, vel obſtructa venarum præcipuè axillaium, quibus irrigantur mammæ, repellunt verò mnia adſtringentia admota, vel comprimentia, t veſtes arctiores, faſciæ, & ſimil. quibus fœminæ ſæpius ad ornatum & elegantiam abutuntur: epellunt autem frixiones & cucurbitulas infeioribus partibus ſæpius admotæ, potiſſimùm, ſi b illis immodica ſequitur exeretio per vterum. int quibus ex diuturniore & copioſiore lactaone, ſiue laborioſo puerorum nutricatu, prorio & radicali iſtius partis humido, quod auiores noſtri tabem alicuius partis vocant. Ex is itaque & ſimilibus omnis pendet mammaum magnitudo, & gracilitas nimia.

Signa verò iſtorum affectuum ex iam dictis cilè haberi poſſunt; quia viſui & tactui patent, iſſerentiarum etiam, quia debent iam dictæ iſpoſitiones ſine dolore vllo præter natum tenſiore, & duritie inſigni, debent etiam ſe ſine vlla lactis generatione, quòd pendent ab exceſſu vel defectu lactis, tunc aliis exo-

Ccc

riretur affectus ſuo loco explicandus. Signa etiam mammarum haberi poſſunt ex ſedula animaduerſione rerum naturalium, & præter naturam.

Quod ad prognoſin ſpectat, vt magnitudo mammarum turpitudinem affert, & impedimentum, ſic gracilitas earum deterior, tum quòd ſequantur vt plurimùm affectus grauiores, & curatu difficiliores, tum quòd minùs eſt apta ad munus exercendum, cui mammæ dicatæ ſunt, nempe lactis generationem, quoniam vtraque confirmata eſt, vix curationem poteſt ſuſcipere, ac proinde maturè illis proſpiciendum erit. Vt autem rectam curationem in illis præſtare poſſimus, imprimis Diæta conueniens vtrique affectui præſcribenda, quæ cauſis illis generantibus, & iuuantibus opponatur, quam vnuſquiſque ex prædictis ſtabilire poterit. Quod ad remedia ſpectat tam ex chirurgia quàm ex pharmacia, ex venis ſuperioribus, aut inferioribus, cucurbitulæ, frictiones, cauteria, ſeu fontanelli videantur, ex vſu item purgantur, alterantur diureticis menſes, aut ſudores prouocantur. Illud periti medici arbitrio relinquemus, cuius etiam erit munus omnes alios affectus iſtis complicatos, aut qui originem & cauſam aliquam eis præbuerunt prudenter oppugnare, deinde ad peculiaria accedere.

Vt igitur magnitudo mammarum coërceatur, dum adeſt, vel prohibeamus ne augeatur vtemur faſciis illis comprimentibus, ne tan-

tam

:am alimenti copiam recipiant, & ligaturis ac-:ommodatis, quibus impeditur prolapſus ea-:um ad inferiora, quo magis & magis diſten-luntur. Si iuuencula ſit, quæ ipſum affectum 1uper patiatur, poterunt fieri fotus adſtringen-es, ac modicè refrigerantes, deinde admoueri :mplaſmata, aut cataplaſmata eiuſmodi faculta-i, non ſolùm mammis, ſed etiam ſub axillis, um ad coarctandam ſubſtantiam partis iſtius nollioris, tum ad conſtringenda ipſa vaſa, & ad mpetum materiæ repellendum, quæ ad illas de-ertur. Non eſt tamen tutum, vti narratur, quæ-ia potiſſimùm ab Empyricis probantur, vt oleum 1yoſciaminum, ſemen cicutæ, ipſa herba con-uſa ſimul, potiſſimùm in illis, quæ aliquando iutritioni fœtus daturæ ſunt operam, quoniam iuſmodi remedia deſpuunt penitus, caloris na-iui vim, & extinguunt facultatem illam Ga-actopoëticam. Laudem illud potiùs Aëtij ex erra Cimolia cum Omphacio, aut luto illó, uod in molaribus reperitur cum ſucco plauta-;inis, & etiam ex ærugine ferri, aut croco-nagmatis diſſolutum cum oleo myrtino. Com-nendant multi ouum perdicis integrum, & quaſſatum, & mixtum cum pauco aceto & oleo roſaceo ad illinendas mammas nimium :reſcentes, folia hederæ, oliuarum & lentiſci, ontundunt irrigalido pauco aceto, aut aqua aluminoſa, & eiuſmodi mammis quarum ma-gnitudinem imminuere cupiunt, in ingreſ-u lecti adhibeant inſtar Cataplaſmatis mane

& aqua aluminoſa, & aqua peculiari roſacea lauant, & quoniam iſta adſtringunt, prodeſſe poſſunt in iuuenculis virginibus: ſic in iis, quibus propter ablactationem diuturniorem mammæ nimis increuerunt propter infarctum humoris, probarem potiùs ſiccantia,& reſoluentia, quibus paulatim reſoluatur excrementorum illa humiditas parti hærens,& pori conſtringantur, & roborentur. Quod non ita quidem fit adſtringentibus: eorum autem paradigmata facilè haberi poterunt ex communibus formulis, inter quas ſequens Cataplaſma valde commendatur.

℞. far. fabar. orob. & lup. añ. ℥ ij. decoquatur in ſufficienti quantitate oxymel. addito ſub finem florum. camæmo. melit. & roſar. añ. p. ſ. foliorum menth. abſinth. & aneth. ʒ j. olei erui quantum ſufficit. fiat Cataplaſma, vtatur, vt ſupra dictum.

Quod autem ad gracilitatem mammarum curandarum ſpectat, ſi illa coniuncta ſit depauperationi huiuſmodi primigenij, & totius corporis conſumpti,eodem modo erit curanda,quo hectica febris, aut maraſmus ſine febre, quem conſequitur. Imò in quacunque mammarum gracilitate inſigni, ſiue ſit ſola, ſiue complicata, optimum erit præſcribere vnguentum analepticum, balnea humectantia, & Galactopoſiam, ſi fœmina non abhorreat, aut ſaltem mammarum fotum & lacte tepente aut decocto capitis, aut inteſtinorum veruecis cum herbis & radicibus mollientibus & humectantibus. Deinde inunges oleo amygdalino dulci, vel de nuce Indica,

quod

uod hîc valde prodeſſe ſolet. Sin verò propter ccitatem ſanguinis, quædam craſſities appareat, it venarum anguſtia, propter quam ſanguis on poſſet penetrare ad mammas, tunc non erit utile vini generoſi potiſſimùm albi, reliquo-m aperientium vſum imperare ad illud vitium orrigendum, vbi autem facultas mammarum on videtur ſatis valida ad attrahendam ſatis va-lam alimoniam, eámque concoquendam, ex-tanda erit potu vini albi, & aquæ tepentis, aut hibito leui diopare, aut ſynapiſmo, poſt leues ictiones, aut etiam admotiones cucurbitula-m. Sed quoniam hac de re rurſus acturi ſumus p. de Lactis defectu, ideo hiſce erimus con-nti, vt ad tumores mammarum præter natu-m accedamus.

De Tumore Mammarum Oedematoſo.

Sectio II.

Qvemadmodum diximus mammas aliquan-do corrumpi intemperie humida frigida-te, ſic etiam tumoribus oedematoſis infeſtari ſſunt, quoties materia ſeroſa, flatuoſa, aut legmatica ſolæ, vel inuicem mixtæ in illarum ſtantiam, & proprios poros effunduntur. uod ſæpe videre eſt in noſtris fœminis, quan-cachexia, & pallidis coloribus detinentur; iciente enim natiuo calore intumeſcunt pau-im partes, & oedematoſæ euadunt, ita, vt

albicent præter modum, & impreſſum digiti veſtigium ſine dolore diutius ſeruent, quando rarò tamen in mammis & pectore iſti tumores phlegmatici apparere ſoleant propter ſubiectam cordis caliditatem diſſipantem iſtos humores, quandiu aliquid ipſi ſupereſt virtutis. Attamen non eſt dubium, quin aliquando contingere poſſit, vt obiter proprio cap. notauimus, qui tum à fluxione ſuperiorum, & inferiorum partium, tum congeſtione ob eneruatam vim facultatis concoctricis.

In iſtius ergo affectus curatione, qui corpori & vitæ maximam perniciem videtur minari, poſt habitam rationem diætæ exiccãtis & calefacientis, in cuius diligenti obſeruatione præcipua illius curandi ſpes, videndum vtrum humor ex capite in mammas, quod eſt frequentiſſimum protrahatur, vel pendeat ex generali quadam conſtitutione caloris natiui infirmioris, vt contingit in Anaſarca.ſeu leucophlegmaticis. Etenim ſi hydrops coniunctus ſit, recurrendum ad curam eius ordinariam, vel cachexias, quæ à nobis alibi tractata fuit cap. de Chlorôſi: Sin verò pendeat à cerebri catharro, erit reuellendus ille omni arte, ac deriuandus, ipſumque caput exiccandum, expurgandum, & roborandum, ne præbeat materiam affectæ parti: deinde ad coniunctam diſſipandam veniendum. Vbi verò per ſolam congeſtionem videbitur affectus hic genitus ob violatam particularem coctionẽ; tunc omnia arte roboranda, iſta pars humórque collectus diſſipandus & reſoluendus, id autem fiet

reſol

eſoluentibus , purgantibus ſudoribus ; tum tiam topicis parti admotis. Vnde ſolemus vti in ac regione potu aquæ thermarum Belleru. aut otu lexiuij ſarmentorum vitis , caulium cum auco ſale roſis & alumine, vt ſimul robur parti oncilietur. Item Catapl. ex farina fabar. cum ulucre ſeminis Cynamomi, orobi. & vino albo alido. Ad idem emplaſtrum de ſulphure, & de accis lauri diu ſupra affectam partem geſtatum: a tamen cautione, ne violenter reſoluamus, uod œdema diutiùs perſeuerans reſolutis tenuiribus partibus degeneret in Scyrrhum, quia pituita illa euadit gypſea, neque etiam nimium, aut iutius calefaciamus, quia ſanguis in partem ſtam fungoſam attractus putreſcit permixtus nateriæ phlegmaticæ, & tandem malignos abceſſus producit, vt videmus in ſcrophulis.

De Tumore Mammarum Scyrrhoſo, & Cancroſo.

SECTIO III.

DVo iſti affectus valdè ſunt familiares mammis, tum ob ſubſtantiæ laxitatem, multiudinem vaſorum, quibus excipiunt facilè reundantes in corpore humores, tum propter inignem ſympathiam, quam habent cum vtero; d cuius obſtructiones facilè ſequitur recurus menſtrui illius ſanguinis impurioris ad nammas.

Dicamus itaque Scyrrhum mammarum eſſe humorem præter naturam durum,& indolentem ab humoris melancholici ſolius,vel permixti collectione ; aut alio quocumque tumore poſt reſolutionem excitato. Sic igitur diſtinguimus Scyrrhum à Cancro , dum dicimus eſſe indolentem, aut ſaltem minimi doloris participem & à naturali melancholia frigida,ſiccáque fieri;cùm Cancer è fæce humorum putrefactorum , aut incenſorum,quam propriè atram bilem dicimus, contingat. Diſtinguimus etiam vltima parte Scyrrhum exquiſitum à non exquiſito , & primarium à ſecundario, dum dicimus illam fieri non ſolùm ab illo humoris melancholici Synatriſmo , ſed etiam alterius cum illo permixti,vnde variæ ſpecies Scyrrhi non exquiſiti oriuntur.Diſtinguimus etiam primarium à ſecundario ; quia primarius eo, quo iam diximus,modo contingit : ſecundarius verò fit ab aliis omnibus tumoribus præter naturam induratis ; ſiue per ſe ob vehementem caloris actionem , & tenuiorum partium reſolutionem,ſiue intempeſtiuo vſu remediorum indurantium. hinc dicitur Scyrrhus albitiis *ille*, qui pituitam gypſeam & exiccationem conſequitur, quo nomine omnes etiam glandulæ,nodi,& ſtrumæ continentur.

Cancer autem mammarum eſt tumor præter naturam,durus,fixus,& inæqualis cum circumjectis venis nigricantibus , coloréque partis liueſcente ex atræ bilis affluxu cum feruore,dolore pungitiuo, & tuſione inſigni. Talis eſt idea ferini, & horrendi iſtius affectus, quando perfectionem

nem ſuam attigit. Nam incipiens valdè obſcurus exiſtit, ciceris aut fabæ magnitudinem ſuperans, quo tamen paulatim augeſcente miſerè cruciantur iſtæ ægrotantes, & tandem occumbere ſolent. Vt autem diximus de Scyrrho, ſic etiam Cancer legitimus alius, alius non exquiſitus, ſiue ſpurius, quando ſcilicet alij humores permiſcentur atrabilarij, ex quorum miſcella fit quidē affectus mixtio & inter Scyrrhum, & Cancrum, quodammodo medius; diuturnitate tamen temporis aut remediorum vſu intempeſtiuo tandem acuteos illos & tuſiones acquirit, atque in verum carcinoma ſiue in Cancrum exulceratum degenerat, qui ſecundarius appellatur.

Cauſæ igitur vtriuſque humoris ſiue Scyrrhoſi, ſiue Cancroſi in mammis eædem ſunt, quæ aliorum tumorum, fluxio ſcilicet, & congeſtio: quarum illa pendet ex totius corporis, vel alicuius partis vitio, potiſſimum amandante in mammas ſuperfluos & noxios humores: Hæc verò ex proprij alimenti reliquiis præter naturam exuperantibus, vel malè concoctis. Quod nos accuratè hic non proſequemur, quia ex generali tumorum doctrina repeti debent. Signa etiam diagnoſtica & diſtinctiua ex prædictis diſtinctionibus ſatis patent; prognoſtica ferè omnia periculum, aut certè difficultatem ſummam curandi oſtendunt, ſiue ſpeciem morbi ſpectes; ſiue cauſarū & ſymptomatum magnitudinem cum partis iſtius naturali quadam infirmitate, & ad ſuſcipiendum aliunde confluentem humorem, patiendamque aptitudinem. Ad Curationem itaq; veniamus.

In vtroque tumore ſumma imprimis habenda ratio cauſarum externarum efficientium, vel iuuantium iſtos affectus: item internarum antecedentium, quæ illis continuam ſuppeditare poſſunt materiam, & incrementum. Ideo accurata victus ratio imprimis inſtituenda ſecundùm ſe & res nonnaturales dictas, quæ auertunt iſtius humoris generationem, & ad partem affectam concurſum. Deinde ſi ſanguis, & cacochymia in maioribus venis exuperare videbuntur celebranda erit phlebotomia ex maioribus venis: vel ſi menſes, aut hæmorrhoides ſuppreſſæ originem illis præbuiſſe videantur, ex venis inferioribus & ani eliciendus erit ſanguis ad reuulſionem & deriuationem præſtandam. Reliquum deinceps purgatione ſæpius iterata educendum alias benigniore, ſi adhuc humor ſit crudus, & rebellis; alias vehementiori, ſi ſpes ſit illum poſſe hoc pacto deturbari ſaluis viribus ægrotantis. Idem dicas de vſu alterantium internorum & externorum, vt theriacæ, ſeri, lactis, limaturæ chalybis, iuleporum, balnei, & ſimilium, quæ ex locis communibus repetantur.

Quod ad topica attinet ratione ſcyrrhi mammarum patet opus hîc eſſe emollitione & attenuatione cum ipſa cauſa coniuncta tumoris ſic dura & craſſa. Attamen in vſu iſtorum cautè agendum; ex attenuantibus enim, & calefacientibus periculum eſt, ne tenuior pars humoris exhalet, & reſoluatur, reliquum autem lapidis inſtar indureſcat, & ita confirmetur, vt deinceps nullam admittere poſſit curationem. Ex emollientibus

verò

verò & humectantibus nimium timendum, ne materia putrilaginem concipiat, & in cancroſum tumorem degeneret, præcipuè quando ſubſunt quædam notæ mixti humoris, aut inflammationem per interualla concipere ſolent. Itaque alternis vicibus, vt docet Galenus, modo emollientibus, modo attenuantibus vtendum, vel medicamentis mixtis, & vtramque facultatem ſimul obtinentibus. A practicis noſtris commendatur primùm inunctio ex oleo lilior. & amygdalar. dulcium ad emolliendum cum pauco roſacio ad roborandum, & camomel. ad reſoluendum, ita vt poſt inunctionem tegatur locus prædictus lana ſuccida, vel ſtupis canabinis bene pexis. Validior reddi poteſt iſta inunctio, ſi addas vnguenti resumptiui aliquantulum, & Dialth. pinguedinem Gall. medull. crudi vituli, aut cerui cum pauco croco, & ſimil. Idem præſtabit pulticula ex farinis hordei & fabarum, in hydromel. decoct. vel Cataplaſma ex rad. althææ, liliorum, & enulæ campanæ cum foliis maluarum, parietar. & ſummit. fæniculi decoctis in aqua & vino albo, deinde contuſis, addendo farinæ, ſeminis lini & fœnugræ. añ. ℥ ij. olei roſacei parum. Aliquando emplaſtra iſtas durities mammarum diſſipabunt, quia continuò agunt, & ſine vlla moleſtia, vt emplaſtr. diachil, mag. de mucilag. fil. Zachar. de ranis & ſimil. fideliter diſpenſata, & oleo hyperi. inſtar cerati emollitæ ne partē iſtam duritie premant, vel ſuo pondere grauent. In confirmatis & rebellibus ſcyrrhis laudat Galenus
fumi

fumigationes ex aceto ſuper lapidem pyritem, vel molarem candentem affuſo ad incidendum, & penetrandum. Sed mammis non conuenit aceti vſus, nec ipſi vtero propter ſummam partis laxitatem, & acriorem ſenſum. Ideò loco aceti poterit infundi vinum album tenuiſſimum vel decoctum, illud iam ſuperius dictum ad cataplaſma, vtatur hoc ſuffimigio manè & ſerò per triduum: deinde locus affectus tegatur gummi ammoniaco, & dellio pauco vino albo diſſoluatur, aut aqua vitæ. Iſta ergo remedia in morbo tam longo & pertinaci non ſunt continuò vſurpanda, ſed potiùs per interualla; vt dentur quędam naturæ induciæ, & pars ipſa recreetur. Quòd ſi poſt annum integrum, aut circiter, adhibitis tam vniuerſalibus, quàm particularibus remediis accuratè nihil profeciſſe videamur; neque ſcyrrhus in aliam tumoris ſpeciem conuerſus fuerit, vt phlegmonem abſceſſum, aut cancrum, tum eſt confirmatus, & veluti immedicabilis relinquendus.

Iam igitur ad cancroſum tumorem tranſeamus, vbi primum Hippocrati ſaisfecerimus; qui Aphor. 18. ſect. 6. conceptis verbis cancros occultos curare prohibet; quia curati citiùs pereunt ægri: non curati diutiùs viuunt. per occultos autem intellexit Galeno interprete, vel eos; qui non ſunt vlcerati; ſub ſpecie ſcilicet tumoris remanentis; vel qui ſunt in inferioribus partibus corporis, vt vulua, ano, palato. &c. In quibus non admittunt liberam manuum tractationem. quibus addere poſſumus illos qui radices; & venas

nas ſuas, in quibus augentur, non oſtendunt
oculis, ſed habent verſus inferiores ſitas. Itaque
cùm per illud, curare, vera & perfecta curatio
it audienda, quam in tam ferino affectu vren-
do, aut ſecando facere debemus certiſſimum eſt
ſtos cancros occultos non eſſe manu tractandos,
quando non eſt ſpes eos cum ſuis omnino venis
igricantibus extirpari poſſe, & deinde ad cica-
tricem perduci, quod in paucis admodum con-
ingere ſolet. Meliùs itaque tunc vel non illos at-
ingere, vel cura tantùm prophilactica eorum
ncremẽtum, & exacerbationem impedire, quem-
modum gloriatur Galenus ſe in multis præ-
titiſſe fœminis, in quarum mammis vel aderat,
el impendebat cancroſus tumor, repetita fre-
uenter purgatione, & phlebotomia circa veris
t autumni tempus, prouocationibus menſtruo-
um fluxuum, hæmorrohoid. & ſimil. vel ſi iam
umor iſte cancroſus in inſignem molem accreue-
it, curam pallegoricam ſiue palliaturam moliri,
ua ſolemus ſymptoma illius mitigare, & dolo-
em, inflammationem, & exulcerationem te-
endere.

Prophilacticam ergo, quæ reſpicit tantùm cau-
is antecedentes ſufficiat annotaſſe ex ſupradi-
tis: quod ad curatiuam verò attinet, quæ am-
utatione perficitur per ſectionem, & vſtionem,
arò admitti ſolet ab huiuſmodi fœminis cancro
mammarum laborantibus, quandiu eſt ſimplex
umor, neque adhuc in vlcus degenerauit, quia
ubitant ſemper de illius eſſentia, & malunt in-
nita alia experiri remedia, quàm ferro, aut igni
ſeſe

ſeſe committere. Neque etiam temere, vt diximus, videtur vſurpanda iſta operatio, niſi admodum ſuperficialis ſit tumor iſte, & venas habeat exteriores, quæ ſimul cum illo amputari poſſint: deinde ſanguis ille atrabilarius exprimi diligenter, aliàs enim recrudeſcere ſolet vehementiùs, vel vlcus teterrimum excitare, à quo tamen mors non ſine medici infamia ſubſequitur. Solemus itaque plurimùm remedia tantùm recreantia, & ſymptomatum vim lenientia vſurpare. Inter quæ plumbum & ſolani ſuccus principatum obtinent. Verſatur autem ſuccus iſte ad ſolis radios cum piſtillo plumbeo in mortario plumbeo, donec linimenti conſiſtentiam acquirat, eoque illinitur pars affecta ſæpius in die, vel aliquando lauatur decocto, vel aqua portula. & pimpinel. quæ peculiarem ad cancroſos tumores vim obtinere creditur. Ad idem vna aut altera lamina plumbi inſtar papyri tenuis, & varijs foraminibus plena, quæ vncta eodem linimento, vel aqua ſupra partem affectam viciſſim geſtatur, & conuenienti faſcia retinetur. Sunt qui audent iſtam laminam plumbi interius confricare hydrargyro, non ſine ſucceſſu, vt aſſerunt, quia hæc refrigerat & reſoluit inſenſibiliter. Mira ſunt, quæ vndique à practicis iactantur, vt oleum de viperis, & earum axungia, vnguentum ex bufone, pinguedo ranarum, puluis cancror. fluuiatil. cum ouo integro conquaſſatus, mixtus, & frequenter illitus in eiuſmodi tumoribus efferueſcentibus, ardorem & dolorem ſedabis fæliciter ex cataplaſmate pomorum in aqua roſacea coctorum, ad putak vel

oleo

oleo roſa.aqua nymphæa loto, & oleo de vitellis ſimul mixtis cum albumine, & pauca caphura. Sed quia iſte tumor, dum minor eſt negligitur, tum autem maior & vehementior citò hiſtoriam ſuam peragit, & in vlcus magnum degenerat, quo furente vita per aliquot annos durare poteſt, ideo reliquam curationem ad proprium vlceris caput remittimus.

De inflammatione Mammarum.

Sectio IV.

DVplex eſt iſta mammarum inflammatio, de qua nunc agendum eſt nobis. Vna quidem, quæ ſequitur tumores præter naturam phlegmono. & Eryſipela. in illis genitos, ſub quibus etiam phlogoſis ſimplex contineri poteſt: alia verò contingit à lacte in eis corrupto, & putreſcente, vt ſolet frequenter in prægnantibus circa quintum menſem: aut in illis, quæ nuper pepererunt. Primæ quidem materia, generatio, progreſſus, & curatio partium differt ab eiuſmodi tumoribus, qui fiunt in aliis partibus ex appulſu humoris ſanguinei, aut bilioſi. Alia verò eſt peculiaris huic parti, magiſque frequens, vt docet experientia. Phlegmonoſus itáque tumor, nunc enim omittimus Eryſipelat. & ſimplicem phlogoſin, quia rariores ſunt in mammis, & facilè ex iſtius deſcriptione cognoſci & curari poterunt. Dignoſcitur, inquam, in mammis, vt

&

& in aliis partibus ex colore, dolore inſigni, rubore ſaturato, pulſu & renixu, qui ſequitur repletionem & eleuationem partis non diffuſam, & ita extuſam, vt ea, quæ proficiſcitur ex lacte corrupto, ſed contractam, & quaſi faſtigiatam ad alterum latus mammæ. vnde fit, vt in illo loco maior pulſatio ex compreſſis arteriis ſentiatur, quàm ex inflammatione, quæ contingit ob lac corruptum, quod in latioribus mammarum ſpatiis continetur. Dolor quidem & calor in vtroque inſignis, vti febrem ſæpius accerſat, ſibi comitē cum aliis ſymptomatis vulgaribus, ſiti, delirio, vigiliis, & ſimil. Sed in phlegmonoſo tumore dolor, & calor, non afficiunt totam mammam, niſi fortaſſis per ſympathiam, cùm in lacte corrupto ſentiantur vſque in inferiora, & ipſius mammillæ centro inhæreant: vel hinc inde diſperſi ſentiantur. Sic rubor multò intenſior in phlegmone, quæ ſequitur ſanguinis effuſionem, qui calore ſuo partem illam inficit: in lacte autem corrupto fit tantùm propter vapores ex tenuioribus lactis partibus eleuatos ad ſuperficiem mammæ, eamque inflammantes. ſic liceat igitur duos iſtos affectus inter ſe diſtinguere.

Cauſæ verò phlegmonoſi tumoris, tam externę, quàm internæ ſunt quæcunque ſanguinem copioſiorem, aut ferueſcentem in mammis attrahere, vel ad eas mittere poſſunt, vt plethora vniuerſalis, calor partis, nimius dolor ex compreſſione in illis excitatus, ſuppreſſæ vacuationes potiſſimùm vterinæ, vehementior exercitatio partium ſuperiorum, & ſimil. Lac autem corrum

rumpitur in mammis aliquando, à cauſa externa, quæcunque vim illi inferre poteſt contundendo, vel comprimendo, aut ob nimiam eius copiam, vnde obſtructio & putrefactio; vel ob qualitaem alienam, propter quam in grumos, & coagulum conuertitur; ibique diutius ob craſſitiem retentum incaleſcit tandémq; putredinem concipit. In vtroque affectu accidere poſſunt abſceſſus, vlcera diuturniora, fiſtulæ, aliquando indurationes ſcyrrhoſæ, vel etiam gangrena, & tandem mors propter communicationē teterrimorum vaporum, & qualitatis malignæ vicino cordi, vel cerebro, vt habetur apud Hippocratem aph. 40. ſect. 5.

Incumbendum itaq; iſtorum affectuum curationi diligenter potiſſimùm in puerperis lactantibus, quæ tunc temporis mammas habent multò laxiores, & humoribus refertas, vnde etiam grauius, quàm in aliis, malum exiſtere ſolet. Conſtituta itaque imprimis recta victus ratione tenui ſcilicet, & exquiſita, vt ſolet in morbis acutis febri continuæ coniunctis, videndum, vtrum ſit locus Phlebotomiæ ex brachiorum venis, aut malleoli, vel purgationum ad totius plethoram, vel cacochymiam corrigendam, reuulſioneſque perficiendas, præcipuè quando ſuppreſſio vteri, aut hæmorrhoid. diutius ſuppreſſa fuerit. Quod eodem modo ſtatuendum de vſu cucurbitularum, frictionum ligatiuarum, Clyſterum, lotionum, & ſimil. quæ auertere poſſint confluxum humoris à parte affecta; in lacte enim corrupto ea præcipua habenda cura,

ne deinceps alius, ſi fieri poſſit in mammis generetur,& iſtius contagione corrumpatur.

His ita conſtitutis ſupererit ipſe affectus, ſeu cauſa cōiuncta. In principio itaque Phlegmones mammarum,vtimur quidem repellētibus domeſticis,& leuioribus,vt impetus & feruor iſtius ſanguinis quodāmodo refrenetur:moderatus tamen, ne iſta materia nimium congelatiua in mammis, aut in thoracem vel pulmones refluat,vbi pleuritidem,aut peripleumoniā excitare poſſit.Imperabimus igitur fotum, exempli gratia,ex oxycrato dilutiore,aut aqua plantag.& roſar. ſiue acet. vel etiam oleo roſa. omphacio prius loto cum aqua portulacæ. Iſtis repellentibus quædam reſoluētia admiſceri poterunt: quale eſt decoctum florum camomel.& melilot.paretur etiam ſequens cataplaſma.Acc.folior.ſola. & plāta.an.p.j.decoquantur in ſucco caulium addendo far.fabar. & hord. an.℥.ß.mellis communis ℥.j.olei roſa. par.fiat & applicatio tepida ſæpius mutetur per duas vel circiter horas. Quodſi non ſit ſpes repulſionis materiæ, aut perfectæ reſolutionis meliùs erit incumbere citò ſuppurationi, vt materia iſta concocta, & ſegregata,deinde per apertam vomicam ſenſibiliter educatur. Ad maturandum itaque,fari.triticū hydrel. inſtar cataplaſmatis apponitur; cui parum frumēti addi poteſt:aut ſequens cataplaſma imperetur. Acc.rad.alth.lilior.an.℥.ij.rad. bryon.& cucum.an.℥.v. ſummita.mal.m.j. ſeminis lini,& fœnug. an.ʒ. vj. fiat decoctum ad putrilaginem : deinde contuſis & colatis adde far. cord.℥.iij.myrrh.& croci an.ʒ.v. vitelli ouorum

numero vj.olei amygdal.dul.℥.ij. fiat cataplaſma, quod ter aut quater in die applicetur. Apud Auicennam in iſtis affectibus commendatur farina oryzæ cum melicrato decocto, vel mica panis albiſſimi, cum lacte caprillo, croco, & vitellis ouorũ leniter coctis inſtar cataplaſmatis. Quod ſi materia ſit craſſior & rebellior, vt in inflãmatione ſpuria propter permixtionem humorum aliorum cum ſanguine, poterit præſcribi, vt ſequitur.

Acc. cepar. albar. & rad. alth. añ. ℥. ij. folior. apij. fœnicu. ſemen. & lapa. acu. añ. m. j. ſeminis lini, & fœnugr. añ. ℥. iij. caricar. pingu. par. vj. fiat decoctum in aqua & vino albo, quibus contuſis, & cribratis adde farinæ trit. & fabar. añ. ℥ij. axung. por. fiat vt ſupra. Quandiu igitur fiet ſuppuratio, dolor & calor augebuntur, parſque in faſtigium & veluti mucronem eleuabitur cum pulſatione inſigni: facto autem pure omnia iſta miteſcent: ideóque omiſſis præcedentibus remediis erit cogitandum de educendo pure per apertam cutem. Quòd ſi illud natura ſponte præſtare nequeat, iuuanda erit quàm primum vel oppoſito pauco fermento cum ſale, vitello oui vnius, ſupra locum molliorem, & decliuiorem, id eſt, expurgationi materiæ aptiorem: vel ſi hoc non ſufficit, admoueatur cauſticum, vt ſolent noſtri Chirurgi, aut aperiatur ſcalpelli mucrone, ſi materia iſta poſita ſit in ſuperficie partis. Vbi verò profundius latet vrendum ferro candente, quod in his affectibus mammarum, quamuis mulierculis terrorem inferat, principatum tamen obtinet, quia minorem

dolorem infert, exugit humiditatem ſuperfluam, roborat, & corrigit laxitatem partis, aperta vomica ſuccedit vlcus; deinceps detergendum, ſiccandum, & ſigillandum, vt ſequenti capite dicemus. Hoc prius annotatò, quod vbi iſta inflammatio mammarum pendet à lacte coagulato iam putreſcente omni prius arte incumbendum illius diſſolutioni, ſi fieri poſſit, addendo ſuprad. fol. menthæ recentis, opij, fænicu. cum oxymel. quia ſic diſſolutum lac in ſeroſam ſubſtantiam condertitur, & ſua ſponte per mammillam effluit, ceſſatque & minuitur hic affectus: ſin verò res ſit ita deplorata, vt iam parti affixum & conglobatum nullo modo euacuari per loca conſueta poſſit, aut retrocedere verſus maiora vaſa, tunc paucis refrigerantibus adhibitis ad ſedationem ardoris nimij, de maturatione erit citò cogitandum, & eius eductione per affectam cutem, quoniam, ſi diutius ibi moretur, ſummam noxam cordi & vicinis partibus inferre ſolet. Hinc igitur ad vlcera mammarum veniamus.

De Vlceribus mammarum

Sectio V.

VLcus in mammis, vt in reliqui corporis partibus, primarium eſſe poteſt, vel ſecundarium. Primarium vocant, quod ab eroſione ſuccorum acrium in partem aliquam defluentium ſine

ſine alio affectu præuio contingit: Secundarium verò, quod vulneri, contuſioni, vel etiam externorum ſepticorum, & cauſticorum admotione, diabroſi, aut cuiuis tumori in abſceſſum degeneranti ſuccedit. Rurſum eiuſmodi vlcus aut eſt ſimplex, & boni moris, vel complicatum cum aliqua cauſa antecedente malignitatis participe, aut aliquo alio morbo ſimul perſiſtente, vel ſymptomatis ferocioribus: vnde phlegmonoſum, cancroſum, fiſtuloſum, virulentum, dolorificum, & cacoëthes dici conſueuit. Videamus igitur, quomodo iſta ſolutio continui cum ſanie & pure coniuncta curari poſſit, quoniam de eius natura, cauſis & ſignis in doctrina vniuerſali ſatis abundè dictum eſt. Cùm ergo tota curandi ratio poſita ſit in cauſarum internarum externarumque remotione, coniunctorum, & ſymptomatum ſublatione, vlcerisque peculiari deterſione, & exiccatione, ideo poſt conſtitutam conuenientem Diætam, quæ præſentem cacochymiam, aut plethoram emendet, poſt vacuationes & deriuationes artificioſas cauſarum antecedentium, inter quas, ſi vlcus ſit rebelle & iam inueteratum, vacuatio illa, quæ ſudoribus per viginti aut plures dies excitatis ex decocto guaiacino, aut ſalſæ parillæ perficitur, principatum obtinet; quia valde exiccat, & malignas luis venereæ qualitates extinguit, veniendum erit ad ipſius vlceris conſiderationem, quod ſi ſit ſimplex & ordinarium, ordinaria etiam ſanandi lege curabitur. Hoc prius obſeruato, quod etiam prius notabamus, vlcus ſaltem inſigne vix

curari poſſe, ſi fœmina ſit puerpera, aut lactans, niſi prius lac exhauriatur: & auertatur à mammis, aliàs enim ſordibus & inquinamentis ſcatens nullam commodam deterſionem ſuſcipere poteſt. Iſtud igitur paulatim, & accuratè procurandum, ne aliquid deterius accidat. Poſteà, quoniam iſtis vlceribus, vt plurimùm dolor ob partis exquiſitum ſenſum, & quia ſuccedunt ſæpius ſuppuratis tumorib. cauſtico, vel ferro apertis, ideo remediis procuranda erit eorum deterſio, quæ ſimul vi quadam anodyna ſint prædita, ad id vſitatum chirurgis, vt pultem componant ex melle ad detergendum, vino rubro & auſtero ad roborandum, & vitellis ouorum ad dolorem leniendum ſimul mixtis & leuiter coctis. Idque obſeruant, quandiu dolor adeſt, vt nullam, aut exiguam earundam in vlcus immittant, ne quidquam exaſperet, aut fluxionem irritet: vbi verò dolor iam eſt imminutus ad exhauriendas commodiùs ſordes, vtuntur canula plumbea, aut argentea breuiore, per quam vlceris excrementa continuò effluunt. Neq; eſt etiam parui momenti mammas ita affectas, quia non patiuntur aliud genus ligaturæ, faſcia aptè compoſita, & ad oppoſitum ceruicis latus ſuſpenſa, ne ſuo pondere & dolore fluxionem accerſant. Idem dicas de brachio eiuſdem lateris, quod inuolutum, & fultum geſtare debet. In progreſſu autem ad detergẽdum iſtud vlcus, nihil eſt accommodatius, quàm aqua illa cancrorum, ſeu catapultarum, ex eo enim prædicta pars foueri poteſt bis aut ter in die: atque etiam iniectiones fieri in ſinum vlceris, ſi opus

ſi opus fuerit, deinde pars folio caulis, aut betæ ſic pertegetur quandiu erit opus deterſione. Deinde emplaſt. diapal. aut de minio diſſoluto oleo hyperic. aut lentiſcino inſtar cerati mollioris, quando erit exiccanduum, & roborandum. Quidam fælici ſucceſſu loco prædicti decocti parant aliud ex rad. Zeduar. & Rhapontici in vino albo decoctis, cui addunt ſacchari tertiam partem, quibus mundatum ſufficienter vlcus occludi poterit. quibus adſtringentibus, inter quæ valde probatur vinum illud nigrum & ſtipticum ab Auicenna appellatum, in quo Gallæ fol. Rhois. nuces cupr. agrimo. & lentiſ. incoxerint cum pauco alumine. quòd ſi propter diuturnitatem huiuſmodi vlceris, vt ſolet, callus quidam & durities contracta fuerit, ita vt fiſtulam minetur, proſpiciendum erit illi maturè, antequam omnino confirmetur, dilatando orificium illius, & abſumendo iſtum callum iniecto puluere mercur. oleo vitrioli, aut ſimilibus cathereticis corrodentibus, vt ſic detracta illa duritie, & renouato vlcere ad curam ordinariam reuocetur, quæ fuſius repeti debent ex doctrina vniuerſali fiſtularum. Verùm ſupereſt adhuc vlcus illud mammarum ferinum, nomodes, & cancroſum, quod ſuccedit vel aliis vlceribus malè curatis, vel tumoribus ex atra bile progenitis; quando in abſceſſum convertuntur, ſeſeque ſtatim intuenti præbent ſanie quadam horrenda & fætida, labiis inverſis, colore liuido, venis tumidioribus & nigrican-

tibus vndiquaque ſparſis. In iſtius ergo curatione patet nihil eſſe certius ad ſalutem ægrotanti conciliandam, quàm ſi ablatio integra inſtituatur eiuſmodi partis exulceratæ ferro vel medicamentis, ne ſcilicet vicinæ, potiſſimùm cor, hac labe inficiantur, & ſubita ſyncope è medio tollantur. Eſt igitur opus chirurgi opera ſolertiſſima; qui præparato prius corpore, & humoribus vacuatis lentè, munitiſque & roboratis membris vicinis, auferat partem iſtam cum circumiectis radicibus, ne amplius repullulet, ſiue hoc præſtet incidendo, vt dicebamus, ſiue vrendo, inter quæ arſenicum hic commendatur à practicis, quemadmodum in abſumendis ſcrophulis poſt ablationem, eſcarræ deciſionem ſignum erit futuræ ſanationis, quando caro florens, & non liuida apparet cum pure albo & æquali, ad cuius deterſionem ſequitur exiccatio, & ſigillatio perfecta. Quo peracto, ne poſſit deinceps hic affectus in mamma recidiuiam facere, aut alibi, impendenda erit omni arte generatio humoris atrocis, illiuſque vacuatio procuranda, vtpote exquiſito victu, phlebotomia ex locis conuenientibus ſæpius repetita, ſi menſtrua periodus deficiat eius prouocatione, aut hæmorrho. fluxu. ſi natura illud exigere videatur, ſolemnique vacuatione bis in anno repetita ex melanago. circa principium veris, & autumni finem, vt docet Galenus lo. cit. Quodſi propter naturę iſtius affectus, quia partis affectę, aut ægrotantis vires languidæ & tumidiores, non detur locus huic operationi, tunc incumbendum

temẽ

remediis illis, quæ humoris ferocitatem refrænent, & ſedent, quod practici per curam palliationis audent, cuius opera aliquando mors retardari poteſt. Ad id igitur præſtandum præter vniuerſalia propoſita accommodandum eſt linimentum, quod ſuccis, olei, adipe, & aliis pinguibus inflammationi obnoxiis paratur ex metallis quibuſdam cum ſucco aliquo permixtis. verbi gratia.

℞. ceruſ. & letharg. ſubtil. puluer. añ. ℥ij. plumbi vſti & loti, trit. præpar. añ. ℥j. Ciner. cancror. fluuiat. ℈ij. caph. ℈ʃ. ſucci ſolani & plantag. añ. ℥ij ducantur & agitentur diu in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo ad ſolis radios, donec craſſitiem conuenientem adeptæ fuerint; illinatur frequenter pars affecta hoc vnguento cum penna aut baculo teneriore lentiſci, ſi poſſit, fac laminam plumbeam tenuiſſimam, multis foraminibus peruiam, argento viuo, aut aqua aluminoſa illitam, miræ erit ad refrænandum iſtud vlcus virulentiæ. Chirurgi valde laudant in hoc affectu crocum ſummarti. Sed videndum vtrum ſit bene præparatum & dulce, aliàs propter empyreuma irritare poſſet materiam iſtam venenatam & ferocem. Sicut etiam à qui ad leuandum dolorem & eliciendas ſordes iſtius vlceris (quantum enim adſit periculi, dum excrementa iſta graue olentia retinentur, docet Hiſtoria mulierum illarum Abderitarum apud Hippocr. 5. Epid.) admouent, inquam, in feroci vlcere carnem recentem, & tumorem veruecis, & ſimil: vnde vulgus vocat iſtam diſpoſitionem, Lupum;

quaſi vlcus iſtud ſpagedemorum velut animal quoddam vorax veſcatur iſtis cibis, ſed iſta remedia quamuis anodyna, quia facile corrumpuntur, & inquinantur, vlceribus ſæpe augeri ſolent. Meliùs eſt igitur lacte recenti & lepido frequenter partem iſtam fouere ad dolorem mulcendum; vel admouere illud cataplaſma celebratum, quod fit ex mica panis cum lacte infuſo, & decocta. Ad idem proderunt euulſiones ex ſeminibus frigidis, vel cucurbitæ melonum, lactu. & papau. albi cum aqua ſolan. vel roſac. comparat. quibus pars vlcerata aſpergatur ſingulis horis. Imò aliquando cogimur ob maiorem inflammationem, & doloris vehementiam ſuperiori linimento parum aprit. addere, vel ſupertege iſtam partem foliis hyoſcyamy, & mandragor. quæ omnia prudens medicus pro varia morbi, & ægrotantis circunſtantia moderabitur. Quod enim ſpectat ad amuleta, vt ſmaragdum, ſapphyrum & ſimil. quæ proprietates occultæ feruntur, huic affectui prodeſſe parui momenti eſſe iudico. Non eſt tamen negligendum in diuturniore affectu, quod à *Practicis* commendatur; ad oppugnandos humores venenoſos, ſi ægrotans ſumat per viginti aut circiter dies manè trochiſcor. de vipera, & pulu. cancror. fluuiatil. añ. ℈j. cum pauca conſerua nymph. aut borrag. ſuprabibendo poſtea aquæ ſcrophular. vel ſcoriouet. ℥ ij. eodem modo vſus confect. alter. denyaxut. & theria. fideliter diſpenſatæ tam per os ſumptæ, quàm exteriùs admotæ, illis accommoda eſſe poterunt. Denique pro huius capitis

ptis complemento illud adhuc adiungemus, frequentiſſimum eſſe ſymptoma, & maximè iſtis fœminis moleſtum, quando mammarum papillæ finduntur, & exulcerantur, idque ſæpius contingit, dum in vtero geſtant circa vltimos menſes vel dum lactationi incumbunt, fiunt enim Rhagad. fiſſuræ, & vlcuſcula, quia tunc temporis ſeroſitates quædam acriores ex mammis exſudare ſolent, & circa papillas retineri. Ad iſtud igitur cõmendatur imprimis vnguentum illud de plumbo iam propoſitum, vel vnguentum de tiexia frequens illitum, ea tamen cautione, vt antequam puero mamma exhibeatur prius abluantur papillæ vino albo, aut aqua roſacea, vel vrina ipſius pueruli. Sunt qui componunt laminam plumbi tenuiſſimam inſtar papyri, illamque prædictæ parti adhibet irroratam interiùs aqua aluminoſa, aut inunctam aliis remediis iam dictis, ſicque invnctam papillam exhibeat puerulo, quãdo dentire incipit (aut certè alias moleſtior eis exiſtit) nè exulceret iſtam papillam. Quodſi grauiora ſint iſta vlcera, quàm vt prædictis remediis curari poſſint, ſed indies augeantur, cogitur tunc nutrix omnino ablactationem relinquere, vt vlcerum iſtorum curationi incumbat per detergentia; & exiccantia commodata, & jam à nobis propoſita. Supertegetur autem pars illa commodiſſimè lamina ceræ nouæ cum oleo myrtino invncta, proderit etiam oleum de cera frequenter illitum ad dolorem demulcendum. Sequentia ſunt etiam in frequenti vſu:

Acc: trit. præpa. ℥ j. alum. tenuiſſ. puluer.

℥ ſ. caphur. ℈ j. incorporentur cum oleo roſaceo inſtar linimenti, ſi inflammatio adſit. vel Acc: pomat. commu. ℥ iij. in qua diſſolue maſtich. gallar. virid. gummi tragacant. puluer. añ. ʒ j. ſeminis hyoſcyami ℈ j. ſalis grana iiij. vtatur, vt dictum eſt. vel Acc: mucilag. ſerum cydon. & pſyll. cum aqua ſolan. extract. ℥ ij. trit. parat. ceruſ. & lethharg. tenuiſſimè pulueratorum añ. ʒ ſ. vitrioli albi g. iij. agitetur diu in mortario plumbeo ad linimenti formam applicetur, vt ſuprà. Iam ad lactis vitia tranſeamus.

De vitiis, quæ lacti contingunt, & eorum correctione.

Capvt IV.

Lactis optimi, & ad fœtus nutritionem accommodati, conditiones ſupra propoſuimus ſecundùm ipſius ſubſtantiam, quantitatem, & qualitatem, quibus ex aduerſo poſitis totidem erunt morboſæ, & ad finem propoſitum aſſequendum accommodæ, ac proinde opera medici corrigendæ, & ad meliorem ſtatum reducendæ, quod nos tribus ſectionibus præſtare conabimur, quarum primà ratione quantitatis deficientis agemus de reparando lactis defectu in nutrice: ſecunda, ratione quantitatis excedentis dicemus, quomodo lactis redundantia, quæ cùm ipſi nutrici, tum ipſi puello educando incommo-

da eſſe poteſt, ad mediocritatem reduci debeat: tertia denique agemus de lacte deprauato, ſeu vitiis, quæ contingere poſſunt ſecundùm eius ſubſtantiam & qualitatem, quibus complectemur lactis tenuitatem, & craſſitiem nimiam, colores, odores, & ſapores alienos, vt meliùs in ipſo progreſſu patebit. Incipiamus ergo à lacte imminuto.

Non ſolùm debet nutrix mammam alumno ſuo porrigere ad lac ſugendum, ſed etiam iuſtam eius quantitatem exhibere, qua non ſolùm nutriri, verùm etiam augeri poſſit continenter, & vires eundo ſibi comparare: ac proinde quoties iuſta eius quantitas deeſt lactanti extra impragnationem, & toto tempore, quo adeſſe debet ex naturæ inſtituto, quod triennio, aut ſaltem biennio poſt partum deſcribebamus, tunc oritur affectus præter naturam, quem reducere poſſumus ad ſymptoma excremēti vtilis imminuti in muliere educando fætui dicata. Quamuis enim ſint quædam mulieres puerperæ, vt annotauit Hippocrates, quæ naturaliter carent lacte ob varias cauſas, quæ à nobis poſtea proponentur, illud tamen præter naturæ inſtitutum eſt exiſtimandum, quæ non ſolùm ſobolis procreationi, ſed etiam eius educationi fœminas deſtinauit. Iſte igitur affectus ſiue ſymptoma exoritur à variis diſpoſitionibus, quæ reſpiciunt lactis cauſam materialem & efficientem: materialem, nempe ipſum ſanguinem ex quo lac generari debet. Etenim ſubſtantia ſanguinis craſſior, & viſcidior multo humore, aut pituitoſo, aut melan-

melancholico perfuſa vix poteſt in mammas penetrare, aut ibi in lac conuerti, quod ſatis ſit fœtui educando. Idem dicas de ſanguinis quantitate, admodum diminuta propter vitia totius corporis, vt febres continuas, & hecticas, vel partis alicuius principalis, aut concoctioni dicatæ diſcraſiam, aut etiam propter cauſas externas, vt ieiunia, curas, mœrores, vigilias, immenſos labores, libidinem nimiam, vacuationesque immodicas tum ipſius vteri, tum aliorum excrementorum immoderationes, quia omnis vacuatio reſoluit admodum totum corpus, & humores reuellit in aliena loca. vnde multas vidimus ſucculentas nutrices, quibus tamen ob alui fluxum immoderatiorem, aut ſudores ſuperuenientes ita fuit lac imminutum, vt relinquerent pueri nutricationem. Eodem modo ſecundùm qualitatem, ſanguis ſiquidem intemperatus ſecundùm caliditatem, humiditatem, ſiccitatem, & frigiditatem non ſolùm lac deprauatum reddit, vt ſuo loco dicemus, ſed etiam aliquando nimis, quàm par ſit, vel quia humor ille ſecundùm qualitatem peccans non tam ſuauiter & auidè à mammis attrahitur; vel etiam, quia difficilè concoquitur, nec facilè poteſt in lactis ſubſtantiam conuerti. His adde vitia, quæ reſpicere poſſunt efficientem lactis cauſam, vt pote facultatem illam galactopoëticam mammis peculiariter inſitam, & ob earum idioſyncraſiâ pendentem, tum caloris natiui à corde potiſſimù influxum, tanquam cauſam vniuerſalem, quorũ defectu ab ipſis incunabulis credibile eſt Hipp. voluiſſe quaſdam mulieres, quamuis ſæpe parientes,

omni

omnino lacte deſtitui naturaliter, id eſt, naturali, & inſito vitio: in aliis verò accidétaliter ab imbecillitate ſcilicet mammarum, aut obſtructione vaſorum ad eas pertinentium ex variis morbis contractas; vel etiam cauſis externis, & malo regimine, vt pote in eis, quæ venuſtati, & elegantiæ ſtudentes, aut dum lactationis moleſtias fugiunt varia admouent mammis remedia refrigerantia admodum, & adſtringentia circa quintum imprægnationis menſem, quo ſolet vt plurimum lac in grauidis apparere; vel etiam poſt puerperiū: ſic.n. eneruant omnino vim illam attractricem mā̄marum; aut vaſa deferentia ita conſtringunt, vt nihil deinceps, aut parum ſucci iſtius alibilis poſſit in illa irrumpere. Eſt etiam aduertendum puerulos imbecilliores & minùs validos ad lac ſugendum aliquando per accidens cauſam eſſe, vt lac in mā̄mis nutricum imminuatur, quemadmodum etiā vlcuſcula à nobis commemorata, quæ in papillis oboriuntur, propter quæ nutrices, ne dolorem patiantur, non audent ſua vbera liberè infantibus committere. Atque hæc de cauſis.

Quod ad Diagnoſin ſpectat iſtius affectus; quatenus eſt ſymptoma deficientis materiæ, vt illis facilè innoteſcit tam ex parte nutricis, cui mammæ non turgent tantùm, ſed ſolito apparent flaccidiores, neque aliquid effatu dignum mulgendo emittere poſſunt: quàm ipſius infantis, qui in dies macilentior euadit, frequentiùs vagiendo potiſſimùm noctu, ita vt exhibito etiam vbere non poſſit placari à ſuo ploratu, neque deiici copiosè, vt ſolebat, neque ſtragulas permingi, ita

affectus, vel in quibus inanitio eſt leuis & accidentaria tentari debet illius reſtitutio per ſequentem therapiam.

Prius tamen dicendum paucis ex Galeno.5. de facultat.ſimpl.medicament. cap.20. quæ ſint galactapoëtica, & quot modis lac ipſum producere valeant. Lac igitur generantia, vel ipſius materiam producendam reſpiciunt, vt ſcilicet optimus ſanguis & copioſus generetur, ex quo deinde lac fit, & hæc ſunt propriè alimenta euchyma,& eupepta,quæ faciunt ad laudabilem nutricis alimoniam: alia verò reſpiciunt ſanguinem iam genitum, & ipſa vaſa per quæ ad mammas defertur, ſed vt vaſa aperiantur commodè, & obſtructionibus,ſi quæ adſint,liberētur,ſanguis autem modicè attenuetur, & verſus mammas propellatur. & iſta ſunt ſub genere medicamentorum calefacientium modicùm,& attenuantium, non autem exiccantium, quo nomine differunt potiſſimùm ab eis, quæ menſes & vrinas mouent, quoniam iſta maioribus viribus prædita eſſe debent, vt ſuum munus præſtare valeant,quia neque vterus, neque renes tantam vim habent attrahendi ſanguinem ad menſtruas purgationes, aut ſerum ad vrinam conficiendam,quantam habent mammæ ad ſugendam materiam illam gratioſam lacti generando idoneam. hinc Galenus aliquando eadem eſſe vult duretica menſes mouentia, & lac promouentia, ſi genus medicamētorum ſpectes, non tamen ſi varias eorum qualitates,nam fœniculum, verbi gratia, & ſimul ad lac generandum virentia vſurpari debent, nec tantam adhuc ſic-

citatem adepta ſunt, quæ huic rei impedimentum afferre valeat, cùm in vrinæ, aut menſtruorum prouocatione potiùs ſicca vſurpemus, vt maiore vi attenuandi & calefaciendi polleāt. Rurſum notandum eſt, vtraque iſta galacto poëtica tā alimenti quàm medicamenti ſpecie comprehenſa præter qualitates vulgares & notas poſſe habere aliquam proprietatem, & vires magis occultas ad lac producendum, vt in ſequentibus dicemus; quemadmodum quæ menſes mouent, multa vterum peculiariter reſpiciunt. quamuis enim, inquit Gal. omnia aperientia menſes quodammodo excitare valeant, hoc tamen commodè arthemiſ. vel matura faciunt propter reſpectum & familiaritatem, quam habent cum vtero. Hîc etiam rurſus animaduertendum, quod ad alimenta galactopoëtica, ea quidem, quæ ſunt optimi & laudabilis ſucci, principatum ad lactis generationem obtinere, quia tota ſua ſubſtātia & qualitate optimo ſanguini generando ſunt idonea: ſecundariò tamen eſſe quædam alimenta, quę temperando, & reducendo ad mediocritatem totius corporis intemperies nimias, illud idem efficiunt; vnde lactuca inter omnia olera ex Dioſcoride idonea ad ſanguinem optimum, & lac generandū, quia feruorem hepatis in ſanguinis & bilioſis corporibus refrænat. Quod eodem modo intelligi poteſt de ſemine papaueris albi ab Auicenna commendato. Itaque illud, quod habetur apud Gal. lib. cit. valde calfacientia & refrigerantia alimenta nō eſſe apta ad lactis generationem, intelligendum de iis, quæ principaliter illud agunt, non autem de

illis,

illis, quæ per accidens. Hiſce omnibus lactis generationem promouentibus addi poſſunt adhuc alia, quæ ſi non propriè, ſaltem generaliter galactopoëtica dici poſſunt, vt pote, quæ calfaciendo & aperiendo exteriùs ipſam mammarum ſubſtantiam, vel partes vicinas attrahunt ſanguinem verſus illas, vt ſunt frictiones ſcapularum, cucurbitulæ mammis admotæ, fomenta aut cataplaſmata eiſdem viribus prædita, quæ à nobis poſtea fuſiùs proponentur. Quibus ita præmiſſis videndum nunc in propoſita nutrice, cui lac deficit, omnino vel valde eſt imminutum, quæ illius reuocandi ratio ſit inſtituenda. primum itaque perluſtratis omnibus cauſis tam internis, quàm externis, quæ lactis generationem impedire poſſunt, illarum mutatio in melioreͤ ſtatum erit procuranda: ſic aëris, quo fruitur, in clementia omnis, quantum fieri poterit, vitanda, ſi ſit tenello & delicatiori corpore: gaudent robuſtiores aëre frigidiore, qualis eſſe ſolet hyeme, vel in montibus, vbi paſcua omnia lętiora, & maiorem lactis copiam in pecoribus obſeruamus: vitet etiam animi curas, mærores, iram, & amoris igniculos, vnde in vxoratis, vt ſuperiùs annotabamus, & libidinoſis melius eſt concedere ordinarium concubitum, quàm ſi furiis iſtis venereis agitentur, ita tamen, vt ſi grauidæ euaſerint ſtatim cognita imprægnatione abdicentur ablactatione, ne vtrique infanti noceant: vacuationes omnes & vigiliæ ſint admodum moderatę; ita exercitationes citra omnem defatigationem, ſupernatum tamen corporis partium, præcipuè

brachiorum, agitationes illis prodeſſe poſſunt ad attrahendum ſanguinem verſus mammas, vnde ſolemus nutricibus robuſtioribus, ne nimio otio marceſcant, conſulere, vt molam aliquam leuiorem verſent, tundant, pinſant, panem conficiant, & ſimilia præſtent, quæ alacriores eas reddant, & ſimul partes mammis vicinas calefaciant, & dilatent. nunquam autem frictiones totius corporis nutricibus adhibeantur, vel inferiorum partium, quia humores ad inferiora deriuant, menſtruorum fluxum excitare valent; multò minùs cucurbitulæ admouendæ præcipuè cum ſcarificatu propter eandem rationem, videmus enim multas ſuffocationi vterinæ obnoxias, quibus ob frequentiùs admotas pubi aut coxæ cucurbitulas lac fuit valde imminutum. Alimentum deinde, ſubſtantia, quantitas & qualitas conueniens præſcribendum, quorum vidimus ſuperius ex Galeni ſententia reſumptiuum ex alimentis euchymis, & eupeptis conſtituiſſe. Attamen huic ſententiæ repugnare videtur experientia: Etenim vaccæ, & reliqua pecora macilenta plurimum lactis profundere ſolent; & ipſæ nutrices, quæ ex montibus Seuenarum in hanc vrbem confluunt, vbi primùm lautiori victu vti incipiunt, ſolent quidem pingueſcere, ac lac imminuitur, ita vt cogamur eas denuo victui cõſueto tradere, vt emacerentur. Ad id Reſpondeo, certiſſimum eſſe ad lactis generationem non requiri totius corporis aut humorum inſignem plethoram, vel pinguedinis molem, quia ſanguinis craſſioris copia poteſt ſibi ipſi impedimentum

præ-

præpedire ad mammas, & obſtructiones parere: quemadmodum adeps nimiùm conſtringit vaſa, & impedit radios caloris natiui; qui totum corpus & mammas illuſtrare debet, ita vt hac in parte mediocritatis regula ſeruanda ſit, vt ſcilicet nutrices quamuis macilentæ, ſi ſufficientem lactis quantitatem producant, in eo ſtatu præcipuè, ſi naturalis fuerit, contineantur: neque tamen vberioribus, aut delicatioribus cibis nutriantur, niſi fortè aliqua intemperies ſit corrigenda, quia ſignum eſt naturam ſufficientem ſanguinis copiam producere, quam lacti generando, non impinguando eorum corpori dicauit: in aliis verò, in quibus lac non fit propter defectum ſanguinis & corporis inſignem evacuationem & præter naturam, non eſt dubium, quin illa reſtituenda ſit optimis, & conuenientibus alimentis iuſta quantitate ſumptis, quæ materiam lacti generando ſuppeditent. Sit igitur potus non frigidus, cui lac minutum eſt, vinum tenue album, vel flauum, quod ad concoctionem alimenti, & ad eius diſtributionem faciat modicè lymphatum, ne humores reddat feruidiores. craſſa enim, turbida, dulcia, fumoſa, & nimiùm recentia fugegere debet, ne obſtructiones, & flatus generent. Sunt tamen qui aquæ potum in nutricibus magis probent, quia experientia etiam docuit, hydropotas mulieres, & eas, quæ degunt in regionibus, vbi nullus vini prouentus, lacte magis abundare: quod verum eſſe exiſtimamus in eiuſmodi fæminis aquæ potioni aſſuetis, aut quibus totius corporis aut hepatis feruor temperandus;

vt iam ſupra annotabamus: in aliis autem ſecus ſe habet, quia aqua non tantum habet ſymbolum ad ſanguinis generationem, quàm vinum, & poteſt maiorem illi craſſitiem inducere, aut obſtructiones parere. Sit igitur vini vſus, qualis dictus eſt, id eſt, mediocris. Quidam laudant in iſtis nutricibus potum ex ptiſana, ſeu decocto hordei & trit.paſſul. & ſeminis coriand.cum pauco cinnam.aut ex hydromelite, vel narſia paratum, quod etiam in aſſuetis concedi poteſt: in aliis autem metus eſt, ne inſolita iſta potione corpora earum turbentur, flatus etiam concitentur, aut etiam vterus agitetur, vnde maior noxa, quàm commodum oriretur, propter quam eandem rationem vix audemus nutricibus iſtis concedere caricas, paſſulas, ſapam, ſaccharum, mel & ſimilia dulcia, aut ex illis condita, quamuis accommodatiſſima ad corporum refectionem potiſſimùm in illis, quæ vterinæ ſunt affectioni obnoxiæ, in valde macilentis tamen aliquando concedi poterunt, quemadmodum eis ſolemus præſcribere vſum balnei tepidi, & galactopoëtici: quemadmodum in hecticis, & marcore conſumptis: vel ſi ipſius lactis puri & crudi vſum reſpuant, ſolemus illis parare pulticulas manè ſumendas cum lacte recenti, & farina hordei aut tritici decocto, addendo ſacch. & vitellos ouorum. Idem dicas de amygdala. hordeat. ſemelia.panatellis cum iuſculo caporum gelat. oryza, & ſimilibus impinguantibus & reficientibus, quæ pro vario nutricum iſtarum temperamento, & conſuetudine præſcribi poterunt: Quinimo ...tyrum in illis, quæ ipſi ſunt aſſuetæ, erit aptiſ-

ſimum ad lactis reparationem, vt & caſeus recens & pinguis, inter ruſticos maximè vulgatum eſt. Pultes parentur ex butyro, cum farina fabar. cum butyro vel caſeo pingui. Ad idem laudant caſtaneas molles, vel cum pauco fœniculo & ſale decoctas, quemadmodum vbera vaccina pinguiora valdè cocta &; parata cum decocto dulci addendo parum cinnam. & Zinzib. panes etiam, vel placentulæ ex milij farina confectæ adhibentur. Pro delicatioribus verò iuſcula conſummata & collatitia, ſuccus carnis, vitelli ouorum recentium, placentulæ ex contuſa carne perdicum, caporum, & amygdal. & ſacch. aut condimentum illud, quod vulgo album appellant ſupra elixæ gallinæ carnes aſperſum. Laudantur etiam piſtachia nuclei pini, & ex eis confectum pignola. Quemadmodum paſtinaca aſſa ſub cineribus, & eruca in iuſculis cum pauca borrag. decocta. imprimis autem vtantur pane recenti, & bene fermentato, cui addi poteſt parum ſeminis aniſi, fœniculi, aut coriandri: cibi denique omnes ita temperentur conuenienter, & ſale condiantur, vt ad appetitum irritandum ſint aptiſſimi; non autem ad exurendum & exiccandum, quo nomine authores ſalſa & piperata reformidant in macilentis. Alij verò præſcribunt eis, quas impinguandas ſuſceperunt, quod non eſt omittendum in iſtis nutricibus rite alendis, quòd ſi non optimè appetant, & bene coquant, nulla is certa quantitas, aut hora ad ſumendos cibos mperetur, ſed ſinantur genio ſuo indulgere: quemadmodum enim ſingulis momentis cogun.

tur ſubſtantiam illam lacteam effundere ad alimoniam infantis, ſic etiam crebrò illam inſtaurare debent: in aliis verò, quæ ventriculo imbecilliore ſunt præditæ, iuſta ſeruetur quantitas,& temporis proportio,quæ vi concoquentis caloris reſpondeat. Atque hæc de victu.

Quod ad remedia verò ſpectat,cùm dixerimus non ſolùm inanitionem & defectum laudabilis ſucci,ſed etiam aliquando minimam plethoram, aut cacochymiam huic vitio originem ſuppeditare poſſe:.

Quæritur primò,vtrùm venæ ſectio, & purgatio in hoc caſu ſint vſurpandæ. Iſta remedia reſpuunt ferè omnes in eiuſmodi nutricibus lactis penuria laborantibus, quia timent ne ex eorum vſu lac omnino deficiat,vt enim repletioni inanitio, ſic inanitioni repletio conſentanea videtur. tamen ſæpius à nobis fuit obſeruatum per morbos acutos iſtarum fœminarum lactantium iterata ſæpe venæ ſectione, & purgatione, vt moris eſt, lac tamen finito morbo rediiſſe. Itaque prudens medicus ex omnium cauſarum, & circumſtantiarum animaduerſione iſta remedia etiam extra febrem, ſi opus ſit, vſurpare poterit, quamuis parciorem hanc, vt nos rurſum dicemus cap. de lact.deprauato. quod ſecundùm varia vitia à ſuis excrementis expurgari debet, ſiue exuperet, ſiue deficiat.Iſta autem regula iam à nobis ex Galeno propoſita ſemper in lactis defectu obſeruetur, vt ſcilicet medicamenta, ſiue alterantur, ſiue purgantur, eligantur,quæ nulla, aut exigua exiccandi vi ſuit præditæ.

Fiant

Fiant igitur decocta ex foliis virentibus aut radic.fœnic.apij.naſturt. berul. extiſi. & popu. in iure cancrorum rubror. addendo modicum ſalis ad ſaporem conciliandum huic decocti colati, ℥.iiij.exhibeãtur tepidè manè & ſerò,vel ſi ſit delicatior mulier mittatur per mammam Hipp. cum pauco ſaccharo & cinnam. vtatur pro potu ordinario. Si puluis magis arrideat parari poterit ex ſemine cyami,fœniculi, & naſturt.cum pauco ſaccharo. Alij verò conficiunt puluer.& lumbri. terra proripientibus vino albo,aut aqua fœniculi lotis, deinde in olla combuſtis, quem ad lac producendum mirabili proprietate produnt, dentur huius vel illius puluer.ʒ.j.vel ij. cum pauco vino albo per ſex aut ſeptem dies horis matutinis. Eſt quidam lapis, vulgò Galactites, de quo Gal. 1. ſimpl.& Dioſcorid.lib 5. qui geſtatur inſtar amuleti,aut potatur cum pauco iuſculo ad ℈. ij. Ad hanc rem conferre credit Plinius, lapidem mellitum, qui galactiti valde eſt affinis, vtrumque in Hetruria reperiri ſcribit. Amatus centur. 4. ſuarum curationũ miris ad hoc laudibus effert. puluer.piſciculi illius,quem hippocampum vocãt ad ʒ.dimid.pondus cum vino albo intro. Dum vtimur iſtis remediis fricandæ erunt ſuperiores corporis partes horis matutinis, admouendæ cucurbitulæ circa venas axillares,& fouẽdæ ipſæ mammæ aqua tepida, vel in qua camomeli flores, & ſummitates fœniculi bullierint. Imo etiam leuia ſinapis.diopa. aut cataplaſmata ex fermento & farina orob. cum hydromel. conflatum mammis ipſis per horæ quadrantem adhiberi poterit ad

vaſa eorum aperienda,& ſanguinem alliciendum, quæ omnia erunt parcè, & quaſi per interualla vſurpanda. Videamus quid illorum opera profectum fuerit. Nam poſtquam victu conuenienter inſtituto, & hiſce remediis ſine fructu vſæ fuerint,deſiſtendum omnino, & illis conſulendum, vt à lactatione abſtineant, neque fruſtra corpus ſuum, aut infantuli excrucient; quod in extenuatis potiſſimùm valet; & ex quibus affectus iſte pendet ex naturali quadam conſtitutione. Atque hæc de lactis defectu dicta ſint,ad eius redundantiam veniamus.

De *Lactis redundantia.*

FAcilis erit huius affectus explicatio velut contrarij ex contrario, ac proinde illius tractationem paucis abſoluemus. Lactis enim redundantia, ſpargaloſis apud Græcos dicta, nihil aliud eſt, quàm nimia mammarum repletio ab exuperante lactis copia, ad quam ſequitur nigrans illarum tumor, & tuſio, & metu aliquando compreſſionis, vel corruptionis ipſius lactis. Vnde patet iſtam lactis redundantiam non ſolùm matri ob dolorem, pondus, tuſionem, & varios alios caſus, qui ſuperuenire poſſunt in omni plethora tam vniuerſali, quàm particulari, ſed etiam infanti eſſe noxiam, quia nequit tam commodè mammam ſugere, aut lactis impetum ex ea fluentis ſuſtinere:nec non proprij lactis corruptionem, quæ ſæpe in tanta multitudine contingit ab obſtructionibus partis, & præſpiratione impedita. Iſte igitur affectus oritur ſtatim à puerperis ob impetum ſanguinis

confert

confertim profluentis, ab vtero ad mammas, vel attrahitur per vaſa ampla, & bene expedita copioſiùs, cuius etiam incommoda arcere docuimus; vel fit poſt aliquot menſes, quotieſcunque ſanguinis quantitas exuberans ob copiam alimenti, & caloris natiui bonitatem in partibus coctioni dicatis mittitur ad mammas vel attrahitur per vaſa ampla & expedita copioſiùs quàm par ſit deficientibus tum menſtruis, & vacuationibus aſſuetis, quæ ſanguinem exhaurire, aut aliò euocare poſſunt: Ita vt iſta lactis redundantia ab omnino contrariis cauſis pendeat, quas dicebamus conuenire ad lactis penuriam efficiendam, ita vt non ſit opus illis recenſendis diutius immorari. Affectus etiam ipſe viſui & tactui expoſitus per ſe, & prima fronte agnoſcitur: cauſarum deinde ſeries internarum & externarum erit ex ſenſu rerum naturalium, non naturalium, & præter naturam repetenda, vt illis deinceps medeamur, quia metus eſt ex iſta lactis redundantia aliquando periculum creetur aut inflammationis corruptela concipiendo febres, & ſimiles morbos acutos. Vbi quædam lactis portio per ſe ex mammis effluit, aut mulgetur, aut ab infante ſugi poteſt commodè, tunc minus adeſt periculum, niſi fortè compreſſionis aut contuſionis, vel aliis cauſis externis afficiantur, quod ſæpe contingit. Vbi igitur propoſitum eſt lactis exuperantiam, quæ naturæ limites exceſſit, imminuere, ſciendum eſt ex Gal. locis ſup. cit. ea, quæ lac imminuunt, vel lactis ſubſtan-

tiam

tiam deſtruere, vel naturam illius repellere, vel aliò reuocare, quæ eius ſubſtantiam deſpuunt. Hoc rurſus dupliciter præſtant, vel quia ſanguinis generationem impediunt, aut quia occulta quadam qualitate lac ipſum corrumpunt, vt volunt de ſemin. cyani, rutæ mixtis tam ſumptis, quàm admotis. Quæ verò ſanguinis generationem impediunt, illa potiſſimùm in victus ratione poſita ſunt, vt ſunt alimenta paucæ nutritionis & exiguæ quantitatis, quantum huiuſmodi mulierculàrum natura ferre poterit. Panis ergo craſſior & furfuraceus, olera & fructus oxalidos, aquæ potio, & ſimil. præſcribi poterũt: Olygotropa, quæ præſcribi ſolent ad emaciandos pingues: Item, vigiliæ ſolito maiores potiſſimùm matutinis horis: animi pathemata, circa domeſticos ſollicitudines, vacuationes conſuetæ liberaturis, quibus addi poſſunt frictiones duriores totius corporis, ſæpius repetitæ exercitationes interiorum partium, & aliquando vincula arctiora, & cucurbitulæ cum multa flamma femoribus admotæ valde proderunt. Si ſit ingens plethora totius corporis ſecetur primùm vena medians vtriuſque brachij vel illius, quod erit è regione mammæ magis affectæ: deinde vt menſes ſoliti prouocentur, aperire poterunt poſt aliquot dies venæ malleoli, aut poplitis interni. Si nihil à mammis iſtis tumentibus effluat, ita vt videatur inflammatio, aut corruptio in lacte, debent ſugi à perita quadam muliere, vel admoto illo inſtrumento ſuperiùs à nobis commemorato, vt quædam ſeroſæ illius materiæ educantur;

ur; non autem à puerulo, ne imperitè comprinendo, aut auidiùs ſugendo aliquid mali illis nferat. Quodſi non ſit tantum pondus diſtenentis, nihil omnino lactis ſugere melius erit, ne ıatura attractioni nouæ incumbat, ſi ſit aliqua acochymiæ ſuſpicio, aut metus incrementi irumpentis in mammas. Non erit etiam negligenda purgatio ex catarcticis commodatis pro aria humoris peccantis natura. Quibus præitis, repellentia mammis & axillis, vbi ſunt aſa illa lac deferentia, admoueri poterunt, vt nguentum roſac. oleo myrtino diſſolutum, boıs armena, cum aceto vel ſucco plantag. in liniıentum redacta. Sunt qui ſpongias oxycrato ıadefactas audent componere, & faſciis ligatas iutius ibi continere. Noſtrates fœminæ vtunır frequenter cataplaſmate ex farina lentium, ſeminis cyami cum oleo roſaceo, partim ad pellendum, partim ad digerendum: alij attraınt muſcilag. ſem. pſyll. cum aceto roſa. quam pergunt puluer. granor. myrti cum pauco aluine, quemadmodum terram Cimoliam oleo yrtino diſſolutam admouent. Sed non eſt diuıs in vſu iſtorum adſtringentium, & refrigentium perſeuerandum, quia metus eſt, ne lac mammis coagulent, aut vaſa & poros nimium ›ſtruendo putredinem tandem inducant; ideo tius erit ad exiccantia & digerentia venire, ıibus reliquiæ iſtius lactis redundantis poſt euaationes vniuerſales, & reuulſiones ſæpius retitas diſſipentur. Quidam non infœlici ſucceſad hunc lactis prouentum minuendum, præcipuè

puè in pituitoſis vſurparunt. decoctum gaiaci. ſalſ. par. ſudorif. per plures dies: alij verò dureticis quibuſdam virtutibus iſtam materiam ad vrinæ vias reuocare tentarunt, topicis autem iſtis vtuntur. Acc: fœnic. apij. petroſ. & maluar. cum toto & melilo. fol. menth. & ſummit. lauri añ. p. j. decoquantur in aqua ferrata, addendo ſub finem parum vini albi. hoc decocto foueantur mammę cum philtris bene expreſſis bis, aut ter in die. Ex reſidentia verò huius decocti cum farina fabarũ & oximelit. paretur cataplaſma eiſdem mammis finito fotu admouendum, quo tempore mammæ leuiter exugi poterunt. Si opus eſſe videatur ad lactis portionem leuiter educendam circa declinationem morbi, parari poterit tale emplaſticum, vel ceratum. Acc: Terebinth. op. aqua roſat. ſæpius lotæ añ. ℥ iiij. ſem. lini & crimni puluer. añ, ʒ ij. puluer. Ireos florent. ʒ j. croci. ℈ j. alicuius ceræ nouæ quantum ſufficit, fiat ceratum molle, quod extendatur ſuper linteolum, & aptetur in formam mammæ affectæ. Quidam ſucco menthæ bis aut ter in die fœliciter perfundunt. Auicenna exiſtimat cancros fluuiatiles coctos in aqua roſac. & aceto, vel eorum puluer. cum ſucco menth. impoſitum ex proprietate lactis redundantiam imminuere: alii laudant folia ricini & trita, & mammis impoſita. Crocus autem, & crimnum inſtar amuleti collo appenſa, ita vt inter duas mammas iaceant, idem præſtare creduntur. Atque hæc de propoſito affectu ſufficiant.

De lacte deprauato.

SVpereſt igitur, vt de lacte deprauato agamus, , nempe de vitiis, quæ lacti ſecundùm ſubſtantiam & qualitates contingere poſſunt. Secundùm ſubſtantiam enim, vel potiùs conſiſtentiam, quæ in lacte mediocris eſſe debet, oritur duplex vitium, quando ſcilicet tenuius euadit quàm par ſit, & minùs fluidum, vel minùs craſſum, & alendo fœtui ineptum: ſecundùm verò qualitates primas ſimplices, & ſine materia, aut cum materiæ permixtione. Vnde oriuntur qualitates ſecundæ præter naturam, nempe color, odor extraneus, propter quas lac vitium illud contraxiſſe exiſtimatur.

Incipiamus igitur à vitiis ſecundùm conſiſtentiam, quotieſcunque lac fit tenuius, & minus fluidum propter exuperantem ſeris copiam ex humiditate aliena, toties certum eſt ſanguinem nimis eſſe dilutum, & crudum ob errores in victu commiſſos, vel imminutas corporis coctiones, aut certè, quia mammæ minùs feliciter coquunt, & aſſimilant propter varias intemperies in eis contractas, potiſſimùm verò humidam frigidámq; ſolas, vel combinatas, quæ omnia ex ſignis à nobis ſupra propoſitis cap. de lact. ept. dignoſc. ſatis manifeſta fiunt. Neque alia eſt prognoſis, quàm quòd ex illius vſu infantes in ingnes diacheas incurrere ſolent totiúſque corporis emaciationem. Itaque in hoc affectu victus inſtituendus, qui luxuriantem iſtam frigiditatem,

atque

atque etiam humiditatem, ſi ita contingit, corrigere valeat. Vtantur ergo cibis calefacientibus, & ſiccantibus, vt pote pane bis cocto & aniſato, carnibus aſſis, paſſulis, & amygdalis toſtis, condimentis aromatum, idque parca manu: vitent olera, piſces, legumina, fructus oxalidos, caſeum & omnia lacticinia: ab offis & iuſculis abſtineant, niſi ſint cum iure carnium parata: potus ſit exiguus ex vino generoſo, & odorifero modicè lymphato, vel ſi vini vſus timeatur, vtantur aqua, in qua cinamom. aut coriand. ſem. leuiter bullierint: vel etiam ſecundario ligni gaiacini, vel ſalſæ parillæ decocto. Quodſi iſtis non ſatis commodè corrigatur iſtud vitium, inſtituatur aliqua purgatio conueniens, deinde excitentur ſudores per aliquot dies in ſtupha ſicca, ſeu laconico, ſi videatur, vt ſuperfluæ humiditates lacti coniunctæ exiccentur.

De Lactis craſſitie.

HVic contraria eſt, vt diximus, lactis craſſities, quæ ſi ſanitatis latitudinem excedat, & morboſa euadat, ſolet magna afferre pericula doloris ſcilicet, tuſionis, inflammationis & putredinis, quando in grumos, & globulos, ſiue in Chyroſin, id eſt, caſeationem degenerat, qui affectus in qualitate excrementorum mutata poſiti ea tantùm ratione differunt. Dioſcor. lib. 2. vocat mammas iſtas Chontreontas, quaſi dicas cartilaginoſas & recentes.

Primò igitur dubitari ſolet, quomodo lac in pro

proprio ſuo loco conſeruationis,& generationis,vt vocant,ita affici poſſit,vt alienam omnino, & aliquando deleteriam naturam adipiſcatur:deinde,quî fieri poſſit,vt lac in mammis viuentium,quæ perpetuo tepore perfuſæ exiſtunt,ob proprium temperamentum & cordis viciniam in caſei ſpeciem conuertatur,quem ſcimus à frigore externo concreſcere.

Ad Primum igitur reſpondemus, mammas quidem proprium eſſe lactis locum, vbi generari & conſeruari debet:Quemadmodũ ſanguis in venis, cum omnia ſunt bene & naturaliter diſpoſita: vbi verò cauſæ præter naturam acceſſerint ex parte contenti vel continentis,quæ ſtatim loci naturam labefactant,tunc vitio & corruptela redundantiæ nimiæ,vel craſſitiei illius caloris influxum impediunt,& eum quaſi ſuffocant:ex parte verò mammarum,continentis nempe,quando calidiores,aut frigidiores iuſto euadunt,non eſt mirum,ſi mollis iſta, & facilè alterabilis ſubſtantia præter naturam concreſcat, à calore quidem, dum partes eius tenuiores humidioresque diſſipantur: à frigore autem quando vniuerſa eius ſubſtantia condenſatur & induratur.frigiditas autem iſta mammarum non eſt actualis,id eſt,quæ ſenſu tactus talis iudicetur ſimpliciter:ſed calor ita remiſſus,qui non amplius obeundis naturalibus functionibus ſit idoneus, aut humoribus in iuſta conſiſtentia ſeruandis, & patet de pinguedine, natura & generatione apud Gal.& de ſanguine extrauaſato,qui ob caloris natiui inopiam grumeſcit in cauitate vaſorum:eodem modo coagulum fit ex refrigeratione in ventriculis ani-

mantium iuniorum, vt hædorum, lepuſculorum, quando ſolo lacte nutriuntur, quia concreſcit lactis portio, quæ coctionem ſubire nequiuit, quamuis deinde acrem, & quaſi vrentem naturam acquirat ex quadam putredine introducta ab extraneo calore: Eodem modo pueri vbi ventriculum habuerint calidiorem aut frigidiorē ſolent emittere magnam lactis caſeati, & grumoſi copiam. Sic Gal. 3. de aliment. facult. cap. de oxygalact. ſcribit lac inſpiſſari vſu vaſis aqua frigida pleni.

Quod ad ſigna itaque diagnoſtica iſtorum affectuum, ſatis ſunt nota ex eis, quæ ſupra dicebamus, vtrum verò ſequantur redundantiam lactis, vel eius craſſitiem: item vim caloris aut frigoris, cognoſcendum ab ipſo excreto nempe lacte, & affectibus, qui in mammis apparent. Nam inflammatio maior, aut minor, aut illius abſentia oſtendunt naturam humoris in mammis concreti, cauſarumque, quæ illum pepererunt: Vnde etiam prognoſtica exurgunt: prout enim putredo & febris coniunguntur, ſic etiam maiora pericula ſignificantur in hoc affectu: frequentiſſimum eſt, vt pars iſta exulceretur, marcoremque corporis inferat, niſi maturè proſpectum fuerit.

Curandi itaque ratio ita inſtituenda, vt ſi lactis redundantia grumos efficiat, vſurpentur tam victus ratio, quàm remedia ſuperiori capite à nobis propoſita: ſi craſſities cum caliditate eius præcipua ſit cauſa, victus attenuans & temperatus præſcribatur, calefaciens verò, ſi frigiditas ipſi coniuncta ſit. Quod ad remedia, imprimis proſpiciendum eſt, ne humores in mammas deinceps confluant,

frictio

:ictionibus aſperis, ligaturis dolorificis inferiorum artium, & cucurbitulis cum multa flamma admois: Imò etiam Phlebotomia, ſi caſus videatur graior, aut febri cōiuncta: intemperies totius corporis nſignior corrigenda erit conſuetis remediis alteantibus, vt res ipſa ſuadebit: deinde accedendum d cauſam coniunctam, quæ ſi concreuiſſe videatur à frigore, propinanda erunt, & admouenda quæ caefaciunt, & attenuare valeant, vtpote: Acc: rad. fænicu. & ſummitat. eiuſdem añ m. ß. foliōr. menth. p. 1. cicerum rub. p. ß. sem. ap. fiat decoctum in aqua hordei ad ℔. 1. clarificetur & arometizatur pauco cinam. pro tribus doſibus manè exhibēdis, quæ ſæpius iterari poterunt, ſi opus videatur. Acc. rad. rub. maior. & fœnic. añ. ℥ j. ſem. apij & rut. añ ʒ ij. flor. meliſo. & ſtechad. & ſummit. menth. añ. p. 1. contuſa decôquantur in aqua fontis addendo ſub finem parum aceti, vel vini albi tenuis. hoc decocto foueātur māmæ frequenter in die: deinde illinantur ſequenti vnguento. Acc. vnguēti reſumpt. ℥ iij. Cinam. ſem. erui, & fænug. añ. ʒ j. croci & Ireos floren. puluer. añ ℈ j. fiat linimentum, quo vtatur poſt fotum addendo aquæ vitæ parum vnctionis tempore.

Paulus, & Aëtius vtuntur muria calente pro fotu, aut aceto, in quo folia dicta bullierint, cum ſpongiis deinde illinunt, & glandes contritas cum foliis rutæ in formam linimenti cum melle reducunt: alij verò commendant coagulum leporinum diſſolutum cum pauco aceto, & butyro permixtum ad mammas iſtas illinendas. Quòd ſi affectus iſte caliditati cōiunctus videatur, vtendū quidem erit attenuantibus, & incidentibus, ſed quæ minori caliditate prædita ſunt vt.

Acc.folior.lactu.& ſummit.fænic.añ.m.j.ſem. melon.& petroſel.añ.ʒ.ij.flor.cichorij. borrag. & ſummit.menth.añ.p.j.fiat decoctum ad ℔.j.addendo colatur.ſyrup acetoſit.ſumpt. & de cinamom. añ. ℥ ij. fiat iulepus pro tribus,aut quatuor doſibus,vel ſi iulepos recuſent,iſta bulliant cum iuſculo pulli.vtatur eodem modo exterius admouendum oxycrat.tepidũ cum linteolo,cui parum ſucci apis ſit additum : vel furfur decoquatur in aceto addendo parum ſeminis rutæ,itaque incluſæ ſacculo mammis tepidè admoueantur.Quidam in maiori inflammatione ſumunt folia ſolani halicacab. et crocum aceto diſſolutũ in eundem vſum,vel etiam folia papauer. albi cum melle cocta.Magis vſitatum eſt,vt oleo tepente foueantur,in quo ſucci apij parum ſit diſſolatum, vel anagallid.flore purpureo.Tãdem ſi iſtis diu vſurpatis & per interualla repetitis nihil perficiatur,tam in affectu frigido,quàm calido,neque lac ſurſum retrocedere,aut per papillas mammarum effluere valeat:iamque dolores & febres intendantur, veniendum erit ad ſuppurantia,eodẽ modo,qui fuit à nobis propoſitus cap.de Inflammat.Mammar.

De alienis qualitatibus lactis,Colore, Odore,& Sapore.

Iam igitur pauca addamus de qualitatibus lactis immutatis ſecundùm colorem,odorem , & ſaporem.Iſtud enim vitiũ frequentiſſimum eſt , quotieſcunque nutrices vel malo regimine vtantur,vel ſint intemperatæ ex ſua natura,aut ex accidenti.Etenim nulla eſt in nobis ſubſtantia,quæ faciliùs natura,aut qualitatum omnium impreſſionem ſuſcipere poſ-
ſit,

ſit,quàm lac,vt annotauit Gal. 3. de aliment. facult. cap. 15. vnde etiam Hippocr. Capra,inquit,& mulier elaterium,aut tithymalum comedentes lac habent purgatorium, vt quotidiana experientia docet in ipſo butyro,quod odorem & ſaporem inſignem, & multis ingratum acquirit,dum vaccæ circa vernum tempus alliariis veſcuntur: ſic nutrices, ſi quando vehementi animi pathemate torqueantur, libidine agitentur nimiùm, ſe exercuerint,aut vigilarint: ſi porrum,cæpe,braſſicam,frixa ſalſa,aut piperata comederint,vel vinum merum copioſum potarint,ſtatim iſtas noxas lacti imprimere, ex cuius vſu tot deinde vlcera,excoriationes, & inflammationes in pueris iſtos lactantibus quotidie obſeruamus. In illis igitur nutricibus, in quibus lac præter naturam reddetur ſecundùm qualitates primas,vel ſecundas, ſiquidem illud pendeat à malo victus regimine,certum eſt, quòd ſola Diætæ ratio illi contraria, & à nobis ſuperius fusè tradita ſufficiet ad lactis integritatem reſtituendam. Quodſi illa alteratio lactis pendeat,à propria, & naturali nutricis intemperie, vt ſolet in ruffis,& bilioſis,aut etiam valde calidis, & melancholicis,tunc melius eſt nutricem omnino mutare,& infantem ſalubriori conſtitutione præditæ tradere,ne fruſtra in naturali iſto, & hectico vitio laboremus Sin verò pendeat ab intemperie tantùm accidentali, vt pote humorum excrementitiorum collectione propter varias cauſas externas & internas iam à nobis commemoratas, quæ morbos in illis imminentes preſagiunt, tunc ſi non ſufficiat regimen bene inſtitutum ad iſtas intemperies delendas,cogitandum erit de purgatione conuenien-

ti,qua excrementa iſta commodè vacuentur, eaque mediocris, quia infirmior nihil proficit, & turbat tantùm earum corpora, validior nimiùm exagitat, & ſæpe lactis defectum inducit.

Notandum etiam,quòd illo die, quo purgantur nutrices,nō debent exhibere ſua vbera infantibus, tum quia metus,ne valde debilitentur ex purgatione ſimul,& lactatione,tum etiam quòd, vt dicebamus,lac ſuſcipit facilè vim catharticam, & puerulo communicat,niſi fortaſſe eodem modo puerum purgare cupiamus.

Parentur ergo opiatæ laxantes,pilulæ vſuales,cū ſyrupis magiſtralibus dictis,prout magis ex vſu eſſe videbitur,& pro vario cacochymię dominatu, quibus bis,aut ſemel in menſe vtantur donec,iſta excrementorum eluuies ſufficienter exhauſta videatur & lac in priorem ſuam naturam reſtitutum ſecundùm qualitates dictas. Quòd ſi vitium iſtud non ſit ita graue,ſufficiet inſtituto cōuenienti regimine,vt biliofæ, v. g. ſumant Rhabarb. infuſum cum ſyrup. roſat ſolut. pituitoſæ, agar. trochiſc. cum electar. lenit. in formam boli. Melancholicæ decoctum ſennæ, aut epez. & ſimil, quæ non ſunt hîc fusiùs proſequenda, quoniam ex communibus remediorum formulis facilè deſumi poterunt.

Iam igitur huic de affectibus mulierum tractationi finem imponamus.

Finis Libri Tertij, de affectibus ſeu Tractatus de Morbis Mulierum.

PERMIS

PERMISSION.

IE conſens l'Impreſſion du preſent Liure, & auſſi de *Varandæus de morbis ventriculi, & de Veges Pax Methodicorum cum Spagiricis*, auec deffences requiſes, Faict à Lyon le 28. Iuin 1619.

D'AVEYNE, Procureur du Roy.

VEu le conſentement du Procureur du Roy, ie permets audict Sieur Barthelemy Vincent, d'imprimer leſdicts Liures, auec deffences requiſes.

SEVE, Lieutenant General.

Deüement ſignifié ladicte permiſſion du Seneſchal, à tous les Libraires & Imprimeurs de Lyon, le 12. Septembre 1619.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAR priuilege & mandement de S. M. à tous Preuoſts des terres de ſon obeiſſance, & à tous ſes amez iuſticiers & officiers, & à chacun d'eux ainſi qu'il appartiendra, il eſt permis à BARTHELEMY VINCENT marchand Libraire à Lyon, d'Imprimer, vendre & debiter les liures intitulez *Varandæus de morbis mulierum, Varandæus de morbis ventriculi, & Veges Pax methodicorum ſeu Galenicorum cum Spagyricis*, durant le temps eſt eſpace de neuf ans, à commencer du iour & datte de ladicte impreſſion paracheuee, auec deffences à toutes perſonnes de quelque eſtat, vacation & condition qu'ils puiſſent eſtre, d'en vendre n'y debiter, n'y d'en eſtre ſaiſi d'vn ou pluſieurs exemplaires, autres que de ceux imprimez par ledict Vincent, à peine de confiſcation des exemplaires, & autres peines portees par iceluy. Donné à Paris les iour, mois & an y contenu. Signé & deüement ſcellé du grand ſeel de cire jaulne.

Acheué d'Imprimer ce 14. Septembre 1619.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

PAX FIDISSIMA, ET PROBATISSIMA METHODICORVM, SEV GALENICORVM CVM SPAGYRICIS.

De Medicinæ pura veritate.

Nobili PETRO DE VEGE, Sabaudo, Doctore Dolano, Conciliatore, & Sereniſſimi Ducis Sabaudiæ in arce & vrbe Montis Æmiliani Medico ordinario.

ic acceſſit Gemmida de Epilepſia, Podagra, Hydrop. & & Lepra curatione, cum medicamentorum deſcriptione.

Ex quibus facillimè Methodicus doctor Spagyricus fiat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI,
Sumptibus BARTHOLOMÆI VINCENTII.
M. DC. XIX.
Cum Priuilegiis.

ERENISSIMO VICTORI AMEDEO, SVBALPINORVM Principi, Sereniſſimi & inuictiſſimi CAROLI EMANVELIS Sabaudiæ Ducis filio.

GRAVISSIMVS *eſt conflictus (Princeps Sereniſsime) ſpagyricorum cum methodicis medicis, vtrique aciei præ-iuntur viri grauiſsimi. Ius belli nullum eſt, dunt tamen non qui certant, ſed procul ab ercitu remoti, Pontifices, Imperatores, Reges, uces, Principes & viri optimi quique. Pro-gnaculum, itaque tutiſsimum ad ſalutem ve-am defendendam, pacem hanc exiſtimaui; am ſi gratam habuerit, animum addet ad aiora Sereniſsimus.*

PETRO DE VEGE alumno ſuo.

DE

DE IGNORANTIA HVMANA IN OPERIBVS NATVRÆ.

CHAP. I.

RES fieri externo ſenſu quidem obſeruamus, modum quo fiant ignoramus; Hippocrates enim noſter, *lib. de natur. pueri*, volucrem ex oui luteo naſci, nutriri ex albumine ſentit: Ariſtoteles verò naſci ex albumine, nutriri ex luteo. Quis in hac controuerſia ſententiam ſuam ferre audeat? An qui totum ex toto, & partes ex partibus? Arborem diuerſum alimentum pro inſiti oculi nutritione, diuerſa ex terra ſugere ex terra exiſtimauit idem Hippocrates. Quid ſi diuerſi generis quamplurimi inſerantur, an diuerſi generis ex terra proliciet alimentum arbor, vt eo alatur, augeatur oculus vnuſquiſque iuxta genus ſuum? An non hoc eſt iudicium tribuere plantis? An rectius ſentiet qui per tranſinutationem alimenti in oculum nutritionem fieri affirmabit. Illius inquam, quo nutritur arbor, vi & robore à D. O. M. inſito, quo vnumquodque non modo generat ſibi ſimile, verumetiam ſe ipſum alit, tranſmutans alimentum in ſe, vt idem alimentum in terra, diuerſiſſimis ſufficiat oculis, vt fœnum idem equo, boui, ceruo, capræ, aſino. Si diuerſiſſimi cibi eidem præſtant alimentum indiuiduo, quid ni vnum diuerſis? Exiſtimat Hippocrat. *lib. de diat.* ſemen animatum, dicens, irrepit anima hominis in hominem, ignis & aquæ temperamentum habens. Negat Fernelius *lib. de abdit.* Sed quidni ex homine decidere poſſit ſemen animatum illico in vterum ſuſceptum, animam vehens ſenſitiuam, vt ex arbore oculus anima perſiſtente

vegetatiua. Quis hominum ad naturæ penetralia, eouſque vnquam perductus eſt, vt vel coniecerit vim & modum quo magnes trahit ferrum, rhabarbarum bilem? An ſufficiat commemorare totius ſubſtantiæ ſimilitudinem, cum rhabarbarum amarum, & manna dulcis eundem trahant & educant humorem. Cum, inquam colocynthini bilem vtramque & pituitam euacuare ſenſu obſeruemus, nec tamen medicamentum vllum poſſit omni humori ſubſtantiam ſimilem habere. Qua vi in hos tres humores incumbet? Si generalem adferas, quænam illa eſt? nunquid à totius ſubſtantiæ ſimilitudine diſcedis attonitus, & in modo operandi naturæ ignarus? Quoties Fernelius Galenum reprehendit in modo operandi naturæ, vt taceã modum corruptionis & generationis in quo diſſentiunt rurſus Hippocrates & Ariſtoteles, hoc ſentiente corruptionem vnius eſſe generationem alterius, Hippocrate vero contra dicente *l.* 1. *de diæt.* nullum omnino corpus perire, neque fieri quod prius non erat. Idem Hermes Triſmegiſtus *in Pymand.* Vide Proclum lib. de anima & dæmone.

De ignorantia Medicorum, in operibus medicinæ.

CAP. II.

NON ſolum in operibus naturæ diſſentiunt viri grauiſſimi, ſed etiam in operibus medicinę, alias peritiſſimi (ex ignorantia diſcordiam, vt ex ſcientia & veritatis intuitu concordiam naſci cedo) Tanta eſt enim repugnantia ſpagyricorum & methodicorum, vt profiteatur Seuerinus Danus *in Idea*, nihil habere nos methodicos commune cum Spagyricis, præter venæ ſectionem, Neque ſolum à methodicis diſſentiunt Spagyrici, ſed & methodici à methodicis. Imo idem à ſeipſo (vt turrim Babel hanc artem non inepte dixeris) docente Hippocrate *l. de natura hominis*, quandoque, febres omnes à bile, quandoque ab omni humore fieri. Fernelius

lius libr. de abdit. rerum cauſis, tanquam Colopho-
nem operibus ſuis addit. Verum,illi accidit quod in ve-
ri prouerbia apud gallos dici ſolet, *il a eſpanché ſon huile la porte*. Titulus de abditis rerum cauſis eius teſtatur
craſſiſſimam ignorantiam. Idem Fernel. Naturam videre
non poſſe confitetur, cuius tamen definitionem ponere
auſus fuit, *l. de ſpiritu & calido innato c.* 7. Idem rurſus ge-
nus febrium conſtituit ſecũdum genus humorũ,in abditis
rerum cauſis autẽ à ſua ipſius ſententia diſcedẽs incogni-
tam febriũ eſſentiam cõfitetur,neq; has ſolis euacuantibus
& immutantibus in lepis, apozematibus, ſyrupis curari
niſi propria & ſelecta his remedia accedãt.Hinc Seuerinus
Danus non contentus facilitate Dioſcoridis & Galeni,
ultra quærit in medicamentis principia, vt quod illorum
propria ſit facultatis ſedes, perſpectum ſit, ſal, ſulphur,
& Mercurium, à methodicis ideo repudiata, quoniam à
tam multis ſæculis maximo dedecore ei ignorata, vt venia
ſpagyricis videatur merito danda, tam craſſam eorum ig-
norantiam deridentibus, ſi tamen modeſtius cum ipſis e-
giſſent. Ex tam graui procerum diſcordia, ne tanta cla-
des in genus humanum incidat, vt ægri cui ſalutem ſuam
committere debeant, ſpagyrico, an methodico, quid de
vtriuſque medicinæ veritate ſentiam (ſi tamen vtramque
dicere licet, cum ſit vna eademque) methodici & ſpagyrici
Doctores, vos quoque infirmi ſi vobis hoc dignum fuerit
in capitibus ſequentibus audite.

De medicinæ veritate.

CAP. III.

CVm nullam aut per exiguã opem feramus methodi-
ci Epilepſię,quæ prę tẽporis lõgitudine ac vltra vige-
ſimum quintum annum radices fixas in anatomia humana
egit, Artritidi inualeſcenti lepræ,ac hydropi, porcis & ca-
pris optima quæque medicamina noſtra dicauit Seueri-
nus medicamina agere (contra Galenum) per primas ſe-
cundaſue qualitates negauit, artis noſtræ optimæ, optime

cōſtitutas leges ſubuertere conatus eſt,nullis interim medicamentis ad horum morborum curationem in medium prolatis. Vna ſola ex Hippocrate deſumpta ſanationis vniuerſalis deſcriptione rectè exhibita, & vi agendi ſpiritibus medicamentorum attributa. Tanta eſt Paracelſi in nos crudelitas,vt illius ſolo nomine audito, offendantur pharmacopæorum & medicorum noſtrorum aures: Cuius libri omnes,ſi igni conſecrarentur, pium opus fore exiſtimem, quod optima quæque (detur quod ſibi cognita) gloriæ cupidus, ſalutis humanæ vt videtur inuidus, ſibi tribuens, licet à methodicis medicis accepta, tenebris obduxerit, dictionibus & vocabulis barbaris à nemine mortalium intellectis vſus. Æquior Alexander à Suchthen. *libro de vita longa.* qui in leuioribus noſtra merito probanda approbat, grauiorum curationem auro potabili philoſophorum tribuit, tanquam omnis mirabilitatis ſubiecto, innatum calidum augente, primigenium humidum reparante,totã humanam naturam corroborante & confirmante, illiuſque præparationem verbis breuibus quidem, intelligenti apertis. Hippocratis noſtri ritu tradit,non neglectis noſtris legibus tam rectè ſanctéq; ſtabilitis,*vt citra* has, etiam vniuerſalis medicina non niſi Empyricè exhiberi poſſit. Quis enim ſtultus vt in plethora, ſinocho, ardente febre, pleuritide,&c. Sanguinis miſſionem,in cacochimia legitimam purgationem prætermiſerit? Ratum ſit igitur non niſi maximo ægrorum diſpendio artem noſtram methodicam à ſpagyrica ſeparandam, nec ſpagyricam omnino tanquam à methodica differentem reiiciendam. Sed ex vtraque veram ac perfectam conſtitui medicinæ ſcientiam;citra harum vnitatem & connexum, errorem; in coniunctione certitudinem atque medicinæ veritatem.

Quid ſit curationis author.

CAP. IV.

LARGA & ambigua loquẽdi ratione vſum Hippocratẽ aſſerit Seuerinus Danus *in Idea*, dicentem naturã curatricem morborum,totam curationem medicamentorum ſpiriti-

piritibus ſpagyricorum modo præparatis, exaltatis, à vinculis terreis ſeparatis, ab aqua vana repurgatis tribuere. Contra hunc ſentit Suchthenius, inquiens, corporalis Balſamus vita eſt, medicina præſeruans à putrefactione, ne corrumpatur, id eſt, ægrotet. Et ſi in morbum inciderit, etiam eſt medicina quæ ipſum ſanat. Si in maſſa corporis morbus hoſpitium habet, ſufficientem medicinam habent Auicenna & Galenus. At ſi in Balſamo, nequaquã, nulla enim alia re purgari poteſt quam Balſamo, maioris mundi Mercurium vniuerſalem, ſeu ſpiritum vitæ intellige: Ob id vitam mundi corpus fieri oportuit, & dicitur eſſentia quinta in metallis, ſed non aliter quam ſemen quod excreſcere debet in fructum qui aurum eſt. Quod quidem aurum vita eſt microcoſmi, vim, & efficaciã habens clarificandi & purgandi hoc noſtrum balſamum, quod attingi non poteſt à laxatiuis ideóque medicis manent incurabiles lepra, epilepſia, podagra & hydrops. Ecce quam rectè ſentiat Alexander, curationem attribuens animæ & vitæ corporis humani, id eſt naturæ à medicamenti ſpiritu clarificatæ adiutæ (iuxta Hippocratem dicentem anima perficit omnes corporis actiones) & hanc eandem auro potabili tanquam alimento, copiam ſpirituum ſuppeditante. Id eſt caloris innati, & ſubſtantiæ ethereæ; id eſt vitæ ſeu naturæ humanæ vegetatiuæ & ſenſitiuæ. Nihil diſſentiens ab Hippocrate affirmanti ac docenti, Quod medicina id quod moleſtat tollit, & id à quo homo ægrotat auferens, ſanum facit, idem ſua ſponte natura facit. Paulò poſt auri præparationem docente quo anima noſtra vegetatiua reparetur, ſeu illo ad quatuor grauiſſimorum morborum curationem vtatur præparato, in ſua aqua ignea ac temperata ſoluto, digeſto, prius à fæculentia terrea repurgato vino. *vide Fernel. l. 7. de hominis procreat. c. 5. & Hermet. c. 7.* Rationalis autem anima à D. O. M. vegetatiua & ſenſitiua ſuperior, illis ſuper infuſa, in his quæ ſuæ ſalutis ac proximi, ac Dei creatoris ſui occupata nullo eget medicamento, nec alimento vt ſit perpetua. Ecce quanta concordantia vniuerſalis medicinæ à fæculentia terræ & aquæ vanæ liberæ, cum Balſamo noſtro: quo à medicamento vniuerſali corroborato, facilè etiam ſummorum

illorum, potentiſſimorum monarcharũ copiæ diſſipantur, & caſtra ſubuertuntur, illæſa naturæ humanæ anatomia. Sit igitur in confeſſo,nec totam curationem humanæ naturæ, nec totam aſtralium medicamentorum ſpiritibus aſcribendam,ſed vtriſque. Medicamentorum inquam ſpiritibus,non ſolum vt inſtrumentis, ſed etiam vt adiuuanti ac efficienti cauſæ.

De Curatione vniuerſali.

CAP. V.

VT Ariſtoteles quæ toto orbe diffuſa continentur ad ſumma ſua genera, ſic morbos omnes Seuerinus, Danus *in idea*,ad quatuor tanquam potentiſſimos Monarchas reduxit, Epilepſiam, podagram, hydropem, lepram. Non longè in hoc ab Hippocrate recedens dicente, morborum omnium vnus & idem modus eſt, locus differentiam facit,quare videntur quidem morbi nil ſimile habere inter ſe,propter diuerſitatem ſcilicet locorum: cum ſit tamen vna morborum omnium & ſpecies & cauſa quoque eadem.Horum quamuis crudelium ac pertinacium inimicorum caſtra & copiæ omnes ſub vnius potentioris Imperio (qui ſpiritus vitæ eſt cum auro viuo non mortuo) eſſe aſſerit illorum copias & conſilia diſſipante, humanam naturam conſeruante ſanationem vniuerſalem & perfectam. Inquiens Ablationem impuritatum vel radicum morbidarum mixtione non neceſſaria in humana natura inſitarum, quæ balſamo naturali remediorum humanæ naturæ conſentaneo perficitnr reſoluente, conſumente, diſſipante impuritatum ſeminarias tincturas, corroborante verò,conſolidante & cuſtodiente innatum microcoſmi balſamum. Hanc Empirici præceptorum & legum artis noſtræ methodicæ & ſpagyricæ imperiti, pœna non horariis afficiendi,floribus albis antimonij non correctis ad gra.quatuor vel quinque, aut eiuſdem regulo, aut præcipitati mercurij puluere,tentant. Ob id vniuerſalem curationem dicentes, quod ex vniuerſo corpore etiam ex habitu

bitu, pituitam, bilem vtramque, & hydropicorum aquas, vomitu moleſtiſſimo, alui deiectione violentiſſima, tanta virium & naturæ humanæ, iactura, vt frequenter animam vna cum humoribus educant: in quadratis ruſticorum corporibus licèt morbum venereum, & vlcera maligna, curaſſe ſe frequenter glorientur, tamen quam longè ab vniuerſali illa ſanatione ſint remoti, palam eſt illis qui reliquum vitæ ab aſſumpto poculo in perpetuis cruciatibus degunt. Cum ſit creatum nihil quo magis conſeruentur, & redeant vires quam vniuerſali illo medicamento, quod aurum eſt obriſum, nō quidem mercatorum: ſed noſtrum in aqua matre ſua digeſtum, ſeu paruus puluis de quo fit aurum (*Eſdras lib. 4. cap. 8.*) humanæ naturæ tam conſentaneum vt illo aſſumpto tanta ſuauitas in gutture ſuperſit quanta dici vix poteſt: ſed ab aſſumente ſolum admirari. Arnaldus Villanouanus: *lib. de reuiueſcentia acquir. cap. 2.* ait corpus humanum ſyncerare & innouare, complexioni humanæ eſſe conueniens, calorem naturalem confortare, & cordis ſubſtantiam. Et ſuæ puritatis impreſſione; omnē deiicere impuritatem ab eo, & tueri illud, & clarificare ſpirituum ſubſtantiam, & ſanguinem mouere ad cutim. *& cap. 3. lib. eodem.* Perla eſt quidem temperata, temperans & confortans calorem naturalem, ſed illud cui non eſt par eſt ſal de minera, & ſapientes aſſimilauerunt ipſum temperatum ſanæ adoleſcentiæ. Geber dicit quod eſt medicina lætificans & iuuentutem conſeruans. Maiora promittit in roſarij *lib. 2. c* dicens. Sic etiam vim habet omnem ſanandi infirmitatem tam in calidis quam frigidis affectibus, & ſi ægritudo fuerit duodecim dierum, curatur vno die; ſi vnius anni, duodecim diebus. Si autem curatur vno menſe, inquit Hermes Triſmegiſtus. *cap.* 7. Aurum pretioſiſſimus lapis eſt carens maculis, temperatus quoque &c. Fermentnm vniuerſale cuncta rectificans temperata compoſitione, *cap.* 4. Et rurſum ſol meus & radij mei ſunt in me intimi, Luna verò propria meum lumen eſt, omne lumē ſuperans, & bona mea omnibus bonis meliora ſunt, gaudium, lætitiam, gloriam, delitias intelligentibus largior, &c. Ac idem Hermes, *cap.* 4. Ego coronor & diademate ornor, & cordibus lætitiam ingero, & ego vin-

ctus viuis & pectori meæ matris & ſubſtantiæ eius, continere, & quieſcere meam ſubſtantiam facio,&c. Hanc medicinam animo conſequi iuniores,nedum ſeniores medici etiam doctiſſimi non poſſunt, nulla ratione fieri poſſe exiſtimantes,vt vnum idemque medicamentum,ſeu in auro obriſo ſimpliciſſimum,ſeu in paruo puluere de quo apud Eſdram fit aurum, vnum quidem ſed ex duobus compoſitum (filio ſcilicet & matre) in tam diuerſis valeat affectibus. Verum ſi hoc in theriaca fiat, inferiori gradu tamen,vt ſup. vt in quam diuerſiſſimis conducat affectibus, ex variis ſimplicibus compoſita temperie maxime differentibus,quidni in auro à natura ex elementis quatuor & vitæ ſpiritu compoſito,in perfectionem maiorem exaltato,per decoctionem in ſua aqua ignea; ac in intimis ſuæ matris viſceribus maturiore reddito? Nunquid aloë educit quemcumque trium humorum, & calorem etiam ſenum fouet, auget, corroborat? Quam diuerſas facultates remotiſſimas vni ſimplicium tribuit Dioſcorides? In propulſanda peſte & hydrope, nulla generis affinitate coniunctis morbis commendatur vnicornu temperatiſſimum. Nunquid Ætius, *cap.* 97. *tract.* 4. *ſerm.* 1. teſtatur ſalem theriacum vtile medicamentum, non ſolum ad podagram,hydropem, lepram, & peſtem, ſed ad omnem morbum;aurumque per ignis familiaritatem fieri melius? Ex his conſtat aurum noſtrum non ſolum corporis,ſed etiam animi medicamentum eſſe vniuerſale, nec humanum,ſed plane diuinum,ideoque in omnibus morbis vſurpandum, ſed in diuinis potiſſimum.

De vtriuſque auri præparatione pro vniuerſali ſanatione.

CAP. VI.

Diuinus Hippocrates medicorum methodicorum & princeps & parens, dum fuit in viuis, artis medicæ perfectionem celauit (quam plurimis interim non ficte traditis ac nobis relictis) tamen ſalutis humanæ amator, obſeruans

obſeruans,& affectus & eorum cauſas, quandoque medicos latere quamuis doctiſſimos, vt ob id propria non poſſint remedia præſcribere,& vt poſſint, hæc frequenter infirmiora eſſe quam morbum, probis medicis quibus ægrorum ſanitas magis ſit cordi quam lucrum,in auro non ſolum hanc vim inditā ad omnes morbos, ſed eius etiam præparationem docet,verbis paucis,*lib.1.de diæta.* Iuriſiurandi ſui memor veriſſimis tamen & apertis dicens: Aurum operantes tundunt, lauant, igne molli liquant, forti autem non conflatur, & vbi elaborauerunt, vtuntur ad ad omnia. Eorum arguens errorem,qui ipſum in folia explicatum tenuiſſima, ſeu in ſcrobem, confectionem Alkermes, & electuario de gemmis miſcent, aut alio quouis modo exhibent, vt in terræ viſceribus à natura productum fixum,durum,crudum. Si enim vni igne nil deperit auro, ſi huic fornax nihil detrahit ſeptupla, qua ratione calor noſter inſitûs,temperatus,in ipſum aget? An ventriculus qui edulij fortitudine læditur, concoquet, in chilum,ſanguinem, ſpiritus conuertet, vt ſit corpori noſtro alimentum aut medicamentum? Præſtantiorem tradit Hippocrates præparationem, naturæ noſtræ conuenientiorem,vt ſit alimento & medicamento. *Vide Paracelſ. tractatu de peſte.* Quis enim pater medicus, filio ægro, poſtulanti panem,alimentum aut medicamentum, porrigat aurum immaturum,fæcibus adhuc onuſtum?Hanc ſi conſequaris,puluerem exhibebis, vel oleum crocei coloris vel rubei (ignis enim gradus varius variat colorem) vt ceram fuſibilem: vt ſaccharum reſolubilem, per vas retortum, leuiſſimo calore cum vini ſpiritu, in vas retortum aſcendentem celerrime, atque deſcendentem, ℞ ſup. doſi exigua ad gr.ij delectabilem. Scio ſpagyricos quoſdam nobis methodicis inſultantes, non ex auro obrizo (vt verbis gallicis vtor *de ducas.*) aurum potabile facere,ſed ex auri ſemine ſolo quod tranſit in puluerē paruū de quo fit aurum,quem puluerem electis comparat Eſdras, *lib. 4. cap. 8.* & reliquum terræ condemnatis, verùm cum hippocratica fiat prædicta ratione, tundendo,lauando, igne molli liquando, nihil eſt in hac vniuerſali ſanatione quod methodici à ſpagyricis mutuentur, nec medicamen-

ti genus (cuius vis docet quantitatem exiguam) nec vtendi rationem, cum dicat Hippocrates, quod vbi elaborauerunt vtuntur ad omnia, id eſt ad omnem morbum, ſcilicet legibus methodicis obſeruatis in venæ ſectione & purgatione, vniuerſali, & particulari; atque ipſum propriis & ac affectui at parti dicatis remediis coniungendo, nec ſanationis vniuerſalis definitionem ſeu deſcriptionem: cum doceat hippocrates; medicinam nihil aliud eſſe niſi oblationem & appoſitionem id eſt ſuperflui eductionem, purgationem, & humoris vitalis, ſeu balſami microcoſmi appoſitionem, corroborationem, conſeruationem, ſi quam gloriam meretur Seuerinus (vt profecto meretur & gratias immortales) in huius ſanationis vniuerſalis Hippocraticæ explicatione meretur. In hoc rurſus laus, illi eximia debita, quod vnico medicamento, eoque ſimplici ablationem & appoſitionem fieri expertus, poſteris nobis tradidit, cum vt hoc attingant methodicorum noſtri ſeculi primi, cinamomum, ſpicam, multaque id genus alia purgantibus medicamentis (quibus nulla cum corporis noſtri partibus affinitas intercedit, imo odio penitus inſito tacitiſque diſcordiis plurimum inter ſe diſſident) adiungant. In leuioribus affectibus hæc quidem vtilia, in epilepſia, podagra, hydrope, lepra, infirma. Hoc medicamentum ab Hippocrate, *lib. de vita longa*, acceptum ſibi tribuit Paracelſus, & auri præparationem verbis immutatis tradit dicens. Reſolue obriſum eius corroſiuo dum fiant idem, poſtea hæc reſolutio per putrefactionem remouenda, ſic inhumatione peracta gignitur aurum potabile. Ac rurſus reduc Mercurium in eleuationem tantiſper dum in fixum cryſtallum abeat; deinde in reſolutionem & coagulationem digere, & cum auro coniunge, vt fermentũ eius hoc fiat, proinde iuxta Hermetis doctrinam age vſque in finem lapidis, cuius doſis gra. 1. & *libro de tinctura phyſicorum*, huius doſim exiguam; operationem potentiſſimam profitetur. Albertus magnus vero tradidit his verbis: cum vidit alchimia nullo modo meliori fieri Alixer citimum quam per ſulphur; in ſulphure autem vidit vnctuoſitatem vſtiuam metalla denigrantem, ſuper quæ liliquefacta proiicitur, præcepit lauari acutis loturis, & ſublimari,

blimari, ac decoqui tamdiu donec ab eo decocto aqua non citrina egrediatur,eique tantum ſubtile vnctuoſum maneat,quod ſuſtinet ignem,& non crematur ab eo! Præparationem auri vim tradidit Arnaldus Villanoua in roſario,& illius meminit, vbi dicit natura vniuerſalis cũ paucis principiis operatur mirabilia, medio ingenioſo paucā ſunt neceſſaria. Et ſanationis vniuerſalis, huiuſque medicamenti vniuerſalis meminit *folio* 263. *Operis ſui* dicens, Emothoici ſola vniuerſalia contemplantur; Qui enim plura ſingularia ad vniuerſale reduxerit melior habetur. Imo bene definit quidam dicens, Medicina ſcientia eſt quæ neſcitur: An non hoc eſt quod ait Hippocrates,delinquũt ferè omnes,ſed ſunt in doctiſſimis qui parum delinquũt.Nunquid hoc eſt profiteri etiam doctiſſimis quandoque incognitum morbum, illiuſque cauſam,& propterea in curatione quandoque adeſſe incertitudinem, eoque fieri vt ſit opus medicamento vniuerſali in quamlibet morbi curabilis cauſam agente,conſumente. Quis igitur ab Hermete,Hippocrate,Arnaldo Villanouano, & Ætio Methodicis & Spagyricis approbatum medicamentum vniuerſale, & ſanationem vniuerſalem aſpernetur, ad quemuis affectum, in quouis morbi tempore, & ætate,vt minimum quoad fieri poteſt,in affectibus potiſſimum incognitis & medicamentis particularibus, fortioribus, delinquamus,aut citius, tutius iucundiuſque curemus? In morbis vero ſanabilibus, ac tutis & cognitis leuioribus qui alias exitiales euaderent, recte conſtitutas leges noſtras vbique gentium approbatas repudiare, quis Spagyricorum mente ſanus audeat? Cum Hippocrates huius vniuerſalis medicamenti peritus, cuique propria præſcripſerit,non contentus vniuerſali.Hinc liquet quanta ſit huius ſeu artis ſeu ſcientiæ difficultas; tanta profecto vt plerique etiam experitiſſimi ſibi diffidentes, à praxi abſtineant.Solis diis genitis officium ægris præſtare licet. Lanionem ad hanc admittunt vniuerſitatem cum ad doctatus gloriam (non ſic Lugdunæi prudentiores doctores,ab artis exercitio imperitos arcentes) adhuc non doctum euehunt, grammaticorum ordinem peruertentes, apud quos præcedit poſitiuus comparatiuum & ſuperlatiuum.

Velim

metis Hippocrates Arnaldi Villonouani,& Aëtij authoritate prudentiores facti, non modo tanquam neceſſariam ad faciliorem morborum curationem amplectimur,ſed trium principiorum, ſalis,ſulphuris & mercurij ſeparationem, extractionem approbamus.Cum hæc vtriuſque auri præparatio perfecta, ſine horum trium principiorum ſeparatione, depuratione fieri non poſſe teſtatur veritas & experientia. Si enim ad vniuerſale ex auro medicinam aſpiras, Mercurium vniuerſalem ſulphuri ſuo ac ſali vnitum per digeſtionē & cohobationē recte ratam habeas neceſſe eſt: ſi vero ad particularem,particularem mercurium accipere debes. Vterque autem ex terra eleuatur,vnde & aqua vana ſeparatur, & eleuatur. Hermes aſcendit à terra in cœlum, & iterum deſcendit in terram, in tabula ſmarag. Terra enim grauis aſcendit in partes alembici ſuperiores in forma mercurij, mercurius autem plane æthereus finita circulatione atque decoctione quieſcit, & figitur tanquam terra, hiſce ſulphur commiſcetur, vnitur, ex tribus fit natura vna, quæ prius ſub diuerſis hypoſtaſibus & formis ac naturis apparebant. Fit inquam mercurius & ſulphur ſal ſeu terra puriſſima fuſibilis vt cera. Tum eſt vis totius integra,vnde Hermes ibidem vis eius integra eſt ſi verſa fuerit in terram, hoc eſt ſi non amplius aſcendat ſub idea mercurij ſulphuriſue, ſed terræ inſtar ſubſideat fixa. Hinc terræ ſeu auro mundo comparatur platea ciuitatis ſanctæ. Apocalipſ. 21. & apud Eſdram electi. Alterum autem ex terra erutum mundum non eſt.Nos quoque ſpagyrici ſæpius errauimus, medicinæ ſcientiam methodicam condemnantes,repudianteſque tanquam à noſtra diſtinctam, cum ſit vtraque vna eademque ab Hippocrate,& Arnaldo Villanouano vere ſancteque tradita? Hanc ab Hermete & Gebro ad nos tanquam per manus defluxiſſe rati. Permiſit Hippocrates multa inuenire, ideoque dextram (Heluetiorum more) coniungentes dextræ promittimus, ſi quid in arte ſpagyrica quam noſtram exiſtimabamus immenſi pelagi nauigatione detegamus,in commune collaturos. Nos quoque methodici idem,fide eadem & æterna iurantes effecturos promittimus.

De tribus Spargyricorum principiis.

CAP. IX.

MErcurium vocant ſpagyrici aquam ex corpore ſeparatam, ſulphur oleum, ſal materiam quandam depuratam, quæ loci frigido humido liqueſcit, & reſoluitur, ſalis marini quo vtimur inſtar, contra quam in medicina noſtra vniuerſali, atque metallorum corporum quædam a vt roſa & aurum abundant mercurio, quædam ſulphure, vt ſuccinum, quædam ſale, vt perla, rubinus, granatum. Eorumque corporum quorundam vis potiſſima in mercurio, quorundam in ſulphure, quorundam in ſale, vt roſæ & auri; Succini, perlæ, rubini, granati; prærogatiua quadam auri, in ſale & mercurio ac ſulphure potentiſſima; curari enim dicitur illius mercurio lepra, ſale verò caducus & ex quibuſdam putrefactis elicitur ſulphur, & ſine putrefactione ex aliis; aniſi quidem & fœniculi, ſaluiæ, roſmarini & ſimilium per aſcenſum à vehiculo euectum; ſuccini per vas retortum commodius quam per deſcenſum: ſingulorum verò exactas ſeparationes docet experientia, *vide Paracel. lib. de vita longa.* Decipiunt vero librorum pars maxima, eorum qui tranſcribunt ſibi prorſus incognita, quam ſcribāt, doceantue prius à ſe ſeparata, præparata. Hinc fit vt tenebræ à tenebris illuminatæ, tenebrarum nomen retineant, & commentaria, textu obſcuriora fiant, eorum odio maximo qui ſumptibus maximis & labore multo, paratu facilia diſcūt. Eorumque pars maxima, aut fruſtra, aut fructu exiguo, eorum inuidia qui celant, aut ſibi incognita docent & fallunt. Quales Dariotus, & farinæ huius Aporta, & pſeudo ſpagyrici omnes.

CVIVS

CVIVSLIBET REI FACVLCVLTATEM SAMMAM À D. O. M. *collocatam inueniendi modus certiſſimus & facillimus in gratiam Doctorum methodicorum, medicinæ ſtudioſorum ac pharmacopæorum.*

CRVCES ægrorum, cruces maximæ ſunt medicorum. Pœnituit permultos me quoque frequentiſſime quod in medicinæ ſcientia tantum temporis in quatuor vniuerſitatibus collocaſſem, Louanij, Baſileæ, Friburgi, Briſcouiæ, ac Dolæ ſumptus maximos feciſſem, artem hanc abiiciendam millies decreueram, ob id ſcilicet quod ægrorum voto ſatisfacere, etiam recte præſcribens non poſſem. Dioſcoridem & Galenum accuſabam, quoniam herbis, floribus, radicibus reliquiſque medicamentis non eas ineſſe vires exiſtimabam, quas illis ineſſe, ipſi tradebant ac docebant. Re enim probabam nec calculum conteri & expelli, nec epilepſiam, podagram, hydropem, lepram curari, morbos inferioris ordinis permultos non ſanari per medicamenta illa, quibus tamen vires maximas aſcribebant. Verum Hermetis Triſmegiſti, Arnaldi Villanouani, Seuerini Dani lectione prudentior factus, in recẽtiorum doctorum & vniuerſitatum inertiam, imperitiam culpam merito reiiciendam exiſtimaui. Quòd ſcientes virtutem diſperſam minorem eſſe ſe ipſa collecta, cuiuſque ſimplicis virtutẽ, vt à natura productam, crudam indigeſtam per totam herbam, radices, flores diſperſam, ac diffuſam, ita reliquerunt, non exaltarunt, medicinæ nos ſtudioſos non recte inſtituerunt, nec cuiuſque facultatis ſitum & domicilium demonſtrauerunt; ignorantes ipſi quænam ſit virtutis herbarum reliquorumque medicamentorum ſedes & hoſpitium in his maximis & palpabili-

bus tenebris ac difficultatibus : acuminis ingenij Fernelij lumen maximum effulſit, glaciem fregit, ſequuntur pauciſſimi, nil mirum ſi conquerantur ægri, male audiant medici, potiones magnas, non ſatis digeſtas parum efficaces præſcribentes. Ideo vt me doctiores ad id muneris ſuſcipiendum non modo excitem, ſed precibus cogam, vt medicinæ ſtudioſos hac in re iuuem, ægris optatum ſolatium adferam, medicinæ gloriam acquiram maiorem, caput hoc decimum cum gemmula, paruæ meæ paci editionis primæ ad iungendum putaui ex præcedenti capite nono tanquam ex fonte profluens quo ſolo (ne lectorem morer) hic vtar pro exemplo ad mentis meæ conceptus explicationem. Quorũdam ſimplicium facultatem dixi in ſale ſitam, quorundam in ſulphure, quorundã in mercurio tota vis ſuauiſſima, maxime odorifera in cinamomi ſulphure, minor longe in cinamomo integro, in ſuccino vt à natura coagulato nullus aut minimus ſenſu obſeruatur, odor vel facultas, ſed in eius oleo potentiſſima, nulla prorſus in illius aqua. Si quid in eo diureticũ eſt, id quære in ſale lapillorum pretioſorum, vim poſui in ſale, roſæ in aqua potiſſime hoc videre licet apud eximium virũ Cheurier, Pharmacopæum Lugdunæum celeberrimum, omni ſpagiricorum medicamentorum genere, & methodicorum pharmacopolim habentẽ inſtructiſſimam. Maiora docebo lector. In hac trium principiorum ſeparatione, præparatione exaltatione non ſolum medicamenti vis habetur maxima ob id quod quæ in toto erat prius diffuſa ; nunc in vno principiorum eſt collecta, verum etiam propterea quod cum eſſet prius in corpore craſſo tanquam ligata, fæcibus plurimis permixta, nunc poſt reſolutionem libera eſt, decocta ſpiritualis effecta. Ideo cum ſit aurum vulgare ad rem medicam ineptum plane, vim habet maximam in omnibus ſuis principiis, maximam inquam in mercurio, maximam in ſulphure, maximam in ſale calculum frangenti, epilepſiam curanti. Hæc principia præparata, exaltata, aſtralia ſunt corpora Seuerini vt recte quodlibet facultatis vehiculum ipſammet facultatem non male nominaueris, & quod prius corpus fuit nunc ſpiritus naturam & conditionem ſortitum eſt. Ideo ſi Dioſcoridis aut Galeni authoritate & conſilio

à te præſcriptum medicamentum domine doctor, à te preſcriptum, & à te exhibitum, pharmacopęe dilectiſſime, non iuuerit, aut quantum pollicentur Dioſcor. & Galen. quantum inquam optas vel infirmus, non præſtiterit, hanc trium principiorum ſeparationem aggredere, & quod inutile obſeruabis abiice, facultatis autem ſubiecto, à prædictis attributas omnes, tu quoque tribue, idipſum præſcribe. Sic facultatum omnium locum ſitum, Sedem ac domicilium deteges, atque optatum effectum conſequeris. bene vale.

GEMMVLA.

De vniuerſali medicina.

CHAP. I.

CVm decreuiſſem (vt in pace dixi) à praxi medicinæ Dioſcoridis & Galeni abſtinere propter medicamentorum infirmitatem ac doſes illas magnas infirmis ad horam quartam, quintam vel ſextam matutinam faſtidioſis, quo tempore ne quidem gratiſſimus placet beneualentibus potus cibúsve, proptetea etiam quod præſcripto meo non iuuarentur Epileptici, podagrici, hydropici, leproſi. augebat mæſtitiam quod ne vnum doctorum medicorum obſeruarem, qui doceret, quo medicamẽti genere aptanda illa ſeuerini ſanatio vniuerſalis perficeretur ne dum particularis: poſt plurimos annos ab illarũ lectione, fauore diuino incidit in manus meas Hermes Triſmegiſtus philoſophorũ pater. Hic primus tantã vim tribuens ixſiri quantum in cap. 4. & 7. obſeruare licet. Et cum ex iis quæ ſunt in rerũ natura nihil occurreret, in quo tãtæ vires ineſſent, vt per ipſum à Seuerino tradita abſoluerentur, perſuaſum fuit mihi Hermetis ixſir medicamentum eſſe vniuerſale quod tam ardenti deſiderio inquirebam. Nec tamen ex oculis meis catatacta ſeu vnguis, radiis ſolis ixſiris excutiebatur. Vniuerſalem ſanationem vniuetſali medicamento fieri debere iudicabam. Vide pacis cap. 5. ibi Hermetis verba referuntur. Cogitanti autem mihi quidnam in toto

mundo contineretur quod vniuerſale eſſet, offerebar ſeſe nihil rurſum;libellus quidam incogniti authoris omnium fere minimus, re maximus & aureus indicauit naturam vniuerſalem ſeu ſpiritum vitæ id ipſum eſſe quo Seuerini ſeu Hippocratis fiebat vniuerſalis ſanatio, ſpiritum dico qui dum irrepit in lactucæ principia; fit lactuca, dum in roſæ principia irrepit, fit roſa, dum in ſal, ſulphur, mercurium auri, aurum, in reliquorum metallorum principia ſimiliter, in arboribus & brutis idem. Spiritum dico qui etiam in homine, animæ rationalis eſt vehiculum,quo per concordiam trium corporis humani principiorũ in temperie debita permanentium, ipſo etiam permanente, anima in corpore humano retinetur, illo autem marceſcente, deficiente alimenti defectu, redit pia ad Deum creatorem ſuum, impia ſcelerum pondere & ſarcina tanquam onuſta & grauior facta proh dolor! deorſum deprimitũr ac ruit. Hoc medium quo anima cum corpore coniũgitur ſi Fernelio cognitum fuiſſet (*lib.de abd.cauſis*)non conqueſtus eſſet,non tantoperè mœſtus,quod naturam ad manum haberet,non tamẽ oculis quãtæ ſint illius vires & facultates vt ſup. perſpicere poſſet. Hic ſpiritus in ſeipſo & ab omnibus indiuiduis ſeparatus,nec ignis,nec aër,nec aqua, nec terra eſt, nec ſpecies ex illis aliqua quas in prędicamenta ſua retulit Ariſtoteles. Ideo nullo alio nomine appellari poſſe videtur quam quintæ eſſentiæ(præter hanc nulla)quæ prædicamento nullo contineri poteſt. Erit autem rationalis anima, eſſentia ſexta. Sub Cælo tu dialectice, tu phyſice, tu medice, nil quęre præterea. Si ab Hermetis luce ad Ariſtotelicum horeum deſcendere fas eſt, ſubnectit hæc eſſentia (nil mirum tota vis ſpiritibus tribuenda) Axioma docens formam eſſe quæ dat eſſe rei. Nam ſi lactucæ, roriſmarini, roſæ, auri, ferri, ſpiritus idem, quid inter hæc differentiam ponit, quid diuerſas ſpecies & genera conſtituit, præter trium principiorum prædictorum ſiue materiæ differentiam ſpecies ac genera diuerſiſſima. Pro articulo fidei eſt apud Euclidem, ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent erunt æqualia. Hoc ſpiritu tamen euerti luce meridiana clarius fiet qui antimonij libras duas in partes duas diuiſerit æquales ac alte

alteram, Igne per cryſtallumex ſole ſeducto combuſſerit. Hac parte accenſa,combuſta,imo copioſo vapore ac fumo eleuato ſummopere augetur vt libræ vni pulueris accenſi, aduſti à ſolis radiis, accedat ad vnciam vnam, vel ad vnciam ſemis. Si ex vtraque libra antimonij æqualia demas quæ remanent erunt inæqualia niſi concedas, aliunde acceſſiſſe vnciam illam vel vnciam dimidiam. Non ab igne dicere poſſis, leuis eſt enim, non ab aqua, ab antimonio potius quæ illi inerat elementalis eleuata fuit fumo & vapore,nec attigit vt neque à terra,nec ab aëre,introducta. Leuis enim etiam eſt, non ab aëre ſolo, inquam ſi veriſſimum id eſſe concedatur. quod vnumquodque iis augetur quibus conſtat. Minus ab aliqua elementatarum rerum ſpecie Nunquid igitur fateri cogimur ſpiritum hunc, vi magnetica attrahi, coagulari,atteſtāte Alexandro Suchthenio,vitam mundi corpus fieri oportere vt ipſam medicus exhibere poſſit,& dicitur eſſentia quinta in metallis. Hunc igitur ſpiritum coagulatum ſi reſolueris, reſolutum ſublimaueris ac in eo aqua ignea aurum viuum reſolueris, decoxeris medicinam vniuerſalem perficies. Hanc ſi adeo obtinere nequeas, ad particulares quæ tamen ad multas ſpecies extenduntur vt ſup. confugias neceſſe eſt.

De particulari medicina.

CAP. II.

VT vniuerſalis ſanatio vniuerſali medicina, ita particularis, particulari;vt vniuerſalis medicina eſt quæ nulli ſpecierum prædictarum numero comprehenditur, ſed vniuſcuiuſque materiæ coniungitur ad ſpeciei conſtitutionem vel indiuidui vt dici poſſit omnia eſſe quæ videmus, & nihil. Imo vero materia prima eſſe,de qua nihil in vniuerſitatibus auditur,longe diuerſa ab illa vana ficta de qua tam multa effutiuntur in ſcholis. Ita particularis medicina eſt quæ ſub certo genere vel ſpecie comprehenditur ſiue ſimplex ſiue compoſita. Non enim ab omni morborum ſanatione, vniuerſalis dicitur. Alias recte ſales

theriaci hoc titulo & honore eſſent afficiendi. Ad vniuerſales tamen proprietates proxime accedunt, non extant tamen maximo generis humani detrimento, nec illis inferius aurũ per vegetabile menſtruum diſſolutum, vtrumque naturæ humanæ familiare & conuenientiſſimũ. Cuiuſque ſpeciei ſummorum morborum, particularia medicamenta tradidit Paracelſus *lib. de vita longa.* quæ ſingulis Idæis Seuerini contingere & paci meæ annectere vtile. Imo vero neceſſarium indicaui, aliquibus interim in quolibet morbi ſummi curatione à me adiectis vt ſciant medici methodici, medicinæ ſtudioſi quanta præſtare poſſint, quanta ægri ab hac ſcientia expectare debeant.

Spagyrrca paracelſi curatio epilepſiæ.

CVrationis auſpicatio ex parte iuxta rationem phyſicam partim chirurgicam ſemper incipiatur. Quod attinet ad chirurgicam, eſt duplex ratio, prior ad præparandum emnuctorium caducum, poſterior ad eliciendum humorem epilepticum prior talis eſt aperi cranium idoñeis ad id inſtrumentis, deinde aurea vel argentea canna ſuo loco impoſita, conſolida, vitæ bonæ reſtitue, iam omnis morbus eiuſmodi emunctorio adornatus, in paroxiſmum abire nequit: poſteriorem ſic percipe, Reſolue membrum epilepſia correptum aut ſuperiorem partem membri, puto ligamenta arterias in circuitu, idque corroſiuo narcotico vſque ad oſſa. Deinde rurſus conſolida naſcuntur continuo ligamenta narcotica, arteriæ, denique caro ipſa quæ porro non ſinit morbum in paroxyſmum erumpi. Ad phyſicam curationem ℞ oleum vitrioli correctum & aurificatum, vel per flegma forma circulari temperatum, vel per oleum rubeum ſiue viride quod ſub colcothar deliteſcit vtrumque liberat à morbo caduco præter ætatem quam Hippocrates præſcribit. Iuncta pars memorialis Balſamo quod eſt de hæderis & fiat poſt paroxyſmũ ſimiliter, morbum pellit præterea innuctum occiput Balſamo Elenij, & ipſum in vehementiſſimo paroxyſmo, morbum

bum ex æquo ſanat, ſunt inſuper alia præclara remedia contra hunc morbum vt eſt arcanum ſanguinis, cæteraque membra.

Spagyrica paracelſi podagræ curatio.

PVrga per corallinũ quod eſt ex auri eſſentia, aperi vbi centrum podagræ deliteſcit, vbi fluxus deſierit per ſex hebdomadas cataplaſmate ex mumia inunge quod recentem podagram Curat. Eſt autem corallinum aurum per mercurium toties ſublimetum dum totum aurum aſcenderit.

Spagyrica paracelſi hydropis curatio.

DVo requiruntur ad curationem hydropicorum ſpecifica purgationis & ſpecifica humoris, Elice primo eſſentiam ex halandahal quæ fit ex ſpiritu vini vna cum compoſito. Deinde confunde cum aquila præcipitata. i. mercurio præcipitato: poſt adminiſtrata purgatione pro morbi ratione, tantiſper dum abeat origo morbi interdum etiam adminiſtrata eſſentia tartari, vitrioli, diacubebe ſub hæc adorna cataplaſma ex rebis. i. ſtercore columbarum in aceto roſaceo, & applica donec videas prorſus conſumptum morbum. Poſt hæc ſequitur ſummum ſpecificum, ſpiritus vitæ ex auro extractus quo etiam aliquandiu vti licebit energia namque, atque adeo vi naturæ ſanari vult hydrops.

Particularis Spagyrica paracelſi curatio lepræ.

ALba lepra curatur mercurio lunæ, rubea vero mercurio auri. *Mercurius auri eſt mercurius ex auro, & præcipitatus. Mercurius verò Lunæ eſt argentum vnum ex argento, ac idem præcipitatus, idem de mercurio auri.*

B 5

Vniuerſalis Methodica & Spagyrica, 4. ſummorum morborum curandorum ratio. a VEGÆO Auctore.

Ex cap.14 Ideæ Medicinæ SEVERINI DANI, *de curatione, Epilepſia, Podagra, Hydropis & Lepra.*

CAP. XIV.

MOrborum omnium impuritates, radices, & ſemina, in humanam anatomian, vel ab ortu vel poſtea alimentorum vſu implantantur. Primum & præcipuum curtionis vel ſanationis conſilium erit tales impuritatum mixtiones auferre. At v. diſſimilis eſt conditio harum mixtionum. Quædam enim ipſis radicibus humanæ naturæ proximis adhærent, & ſcientias coniunxerunt cum inuiſibilibus & primis principiis microcoſmi, naturalibus tamen. Tales igitur ſpeciei coniunguntur, & ſcientiarum ac prædeſtinationum mixtiones admittunt, ſenſibilibus actionibus non ſubiiciuntur, nec vlla artificum vel naturæ induſtria ſeparari poſſunt, ſed prædeſtinationem terminos immutabili neceſſitate conſtituunt. Ita quæcunque oriuntur, morti confeſtim obnoxia ſunt, neque medicina mortis & vitæ coniugium, ſeparationi deſtinatum, perpetuum efficere poteſt. Aliæ ſpecies accidunt, plures mixtiones ſuperueniunt, parentum culpa, propria intemperantia, & nouis ac noxiis elementorum reſolutionibus, quæ in ſæculi conſumptione ſingulæ ſuis temporibus aderant: Huiuſmodi mixtiones indiuiduorum ſunt, ſpeciei vel radici inſeparabiliter non cohærent, nec neceſſaria naturæ & natiuitatis ratione niſi temporis diuturnitate, coniugia inſeparabilia contraxerunt. Siue igitur hæreditario parentum ſemine ſiue alimentorum culpa, ſiue externarum impreſſionum iniuria, impuritates & radices morborum in humanam anatomiam introducantur, medecinam in natura habent, cuius beneficio ſeparari poſſunt, reſolui, aboleri illæſa & conſtante radice prima ſpecifica

cifica & pura naturæ humanæ. Leuioribus remediis auferuntur vltimarum, vel poſtremarum mixtionum impuritates, quæ alimentorum exiguo breuique delicto, vel temporum mutationibus conſuetis, implantantur. Potentiora v. requiruntur ad primas hæreditarias connatas impuritatum mixtiones tollendas. ***Quocirca nec podagra, nec hydropes, nec epilepſia, nec lepra inſanabiles ſunt, ſiue hæreditaria: ſiue alimentaria exiſtant ſiue leuiores, ſiue grauiores, ſiue incipientes, ſiue confirmata, niſi occulta prædeſtinationes mortalibus incomprehenſa inſanabiles euadant.*** Accidentia ſuperuenientia, & morbi ſecundarij, vel læſiones vt calculus adamantinus in veſica, bolus conſummatus in hepate vel liene tophi podagricorum lapideſcentes, remediorum ope vix reſoluentur; carnes quoque in vlceribus corruptæ, non reſtituntur, quia vitæ continuitatem amiſerunt: ſed hæc ſymptomata morborum; qui effectus, non impediunt quominus radices cauſæ principia, à quibus diuturna temporis decurſione proficiſcuntur, remediis tolli poſſint. Quicquid in natura radices habet, quicquid ſeminales tincturas tranſplantationum authores poſſidet: quicquid mixtione peregrinas prouincias occupauit, ſeparationi obnoxium eſt, & ſeparationes, prædeſtinationum abbreuiatores, durationum, magnitudinum, colorum, ſaporum, coagulationum tranſplantatores & deſtructores obtinent. Alioquin tranſplantatio, nomen inane erit ſine ſubiecta re. Sanatio vniuerſalis & perfecta, eſt oblatio impuritatum, vel radicum morbidarum, mixtione non neceſſaria, in humana anatomia inſitarum, quæ balſamo naturali, remediorum humanæ naturæ conſentaneo, perficitur, reſoluente, conſumente & diſſipante impuritatum ſeminatias tincturas, corrobante. v. conſolidante & cuſtodiente iunctum microſcomi balſamum. Particularis eſt, in qua non ſemper radices ipſæ vel ſeminalæ tincturæ morborum tollũtur, ſed ſæpius fructus, ſymptomata, paroxiſmi dolores mitigantur, prohibentur, ad exaltationes peruenire non permittuntur, excrementorum euacuationes inſtituuntur, & debilitatæ naturæ corroborationes adiunguntur. Tales Curationes, gradus habent altiores & inferiores, prout magis accedunt vel recedunt, ad proprietates

prietates & conditiones vniuerſalium curationum, ſiuntque genericæ ſubalternæ, ſpecificæ, indiuiduæ, ratione graduum & proprietatum. Tria enim hæc Morbi, Remedia, Sanatio, analogias habent conſentaneas & reciprocas, præcipué v. Remedium & curatio. Differentiæ proinde remediorum, curationum varietates pariunt, & morborum naturæ, exaltationes, loca, generationes, curationũ ac remediorũ ordines demonſtrant, & viciſſim, morbi hæreditarij, vbi ad exaltationes peruenerint, & alij quoque morbi conſummati, vt Epilepſiæ, Podagræ, Hydropes, Lepræ, curationem, vniuerſalem requirunt & remedia perfecta. Quæ v. Podagræ, Epilepſiæ, Lepræ, Hydropes, & vocum morborum affines, febres, Apoſtemata, Icteritia, καχεξία, Vlcera, ſcabies, tubercula, fluxiones, paralyſes Catharri, colicæ, cephaleæ nephritides nondum ad extremitates venerunt, minus vniuerſalib. remediis & curationibus ſæpe particularibus obtemperant. Optanda quidem eſſet vniuerſalis curandi ratio, ſed paucis conceſſa fuit, nihilominus particularis non eſt negligenda: ſæpe enim in morbis, etiam grauiſſimis vniuerſalis officio fungitur, impuritatum radicibus conſumptis, & balſami virtute confirmata: Demonſtrauimus antea, actiones omnes naturales à ſpiritibus, ſpiritualibúſq; tincturis proficiſci, in quibus, mechanicæ ſcientiæ trium principiorum vigent. Ita enim morbi implantantur, in mumias, elementa & anatomias partium microcoſmi ex vaporoſis tincturis alimentorum, in quibus impuritatum & morborum ſcientiæ ac prædeſtinationes latent. Ita digeſtionum temporibus fermentantur, augentur, ad generationes producuntur, quibus inſtantibus, reſolutiones vaporum & ſpirituum, paroxiſmos & ſimptomata omnia pariũt, ita remediorum actiones, ex ſpiritibus, vitalibúſque ſpirituum tincturis, procedunt, non ex corporibus, vel mortuis relollaceíſque qualitatibus, ſpiritus ſunt, qui reſoluunt, qui vomitiones, alui excretiones, vrinas, ſudores, inſenſiles tranſpirationes, menſtrua promouẽt, ſpiritus mundificant, ſanguinem & vitalia elemẽta clarificãt, ſpiritus conſolidant tonum & robur vitalĩ balſamo impertiuntur, ſpiritus ſomnum generant, fluxiones ſiſtunt, ſpiritus morborum diuerſoria ſoli ſciunt, & ſcientiam reſoluendi

ſoluendi,euacuandi, conſumendi, impuritates morboſas ſoli poſſident. Quæcunque ad curationem requiruntur, omnia in ſpirituum poteſtate conſtituuntur. Sunt a.ſpiritus aſtralia vel inuiſibilia corpora,accenſa,reſoluta, ſublimata, vel in actum reducta, proprietatibus trium principiorum inſignita,quibus actionum cauſas aſcribunt,& ſpirituum quadam arctura,coniugia cum corporibus contraxerunt,qui corporei quodammodo, craſſi, tardi euadunt. Quidam v.corporibus ſubtilioribus adhærent: Alij puri ſunt,alij mixti,alij ſalium proprietates magis referunt,alij ſulphurearum ſpecierum,alij mercurialium.Actiones quoque & impreſſiones ſpirituum diuerſæ contingunt, ſpirituum differentijs analogæ.Nam corporei,in partibus vicinis ſolummodò imprimunt, & ſaporum ac ſalium craſſiorem proprietatibus agunt. Hi in ventriculo & inteſtinis, impuritates ſulphureas, craſſas, vomitioni deſtinatas, vel alui excretioni,reſoluunt. Alij v. qui corporum craſſorum commercia non habent, colorum lucis & ſubtiliſſimorum ſaporum tincturas,impreſſiones,& actiones imitantur.Tales clarificant.conſumunt,mundificant, ſubtilium tincturarum & impuritatum reſolutiones moliuntur, & volatilitate,ac facili penetratione præditi cum ſint, vitalia elementa vniuerſi corporis fingunt, locíſque diſtãtibus facile actiones imprimunt. Poteſtates quoque horum ſpirituum differunt,nec omnes qui ſubtiliores ſunt,validioribus quoque ſpiritibus inſigniuntur; neque morbi omnes, qui in ſanguine,ſynonia,carnibus, viſceribus conſiſtunt grauiores ſunt iis, qui in ventriculo, inteſtinis, vel meſenterio fundantur:alioqui adhiberentur fruſtra ſpiritus vegetabilium in morbis ſanguinis,& remotarum partium, morborum quoque differentias & proprietates, præmittere conuenit,quas antea ex impuritatum diuerſis ſeminibus deduximus,inhærentium in balſamo vitali, & munia partium humani corporis,quæ ablui, reſolui, & conſumi debent, remediorum conſentaneis ſpiritibus. Declarauimus enim morbos ferè vniuerſos radices habere ſimiles, locis ſolùm differre,Adeóque morborum ſumma genera, primas radices,ad quas reliquæ tanquam ad fontes & principia reducuntur,non eſſe multas.Hic v.4. morborum omnium monarchas

narchas conſtituemus, impuritatum radicibus manifeſtè defferentes: Ad horum deinde familias morbos reliquos, obſcuriores inferiores, debiliores & imperfectos, magna curationis commoditate, reducemus. Quæcunque enim morborum ſemina in humana anatomia fructus & ſymptomata proferunt, affinitatem habent vel cum lepra, vel cum podagra, vel cum Epilepſia, vel cum Hydrope. Transplantationéſque morborum conſiderare vtile, conſpirant inter ſe omnium radicales impuritates & mixtiones, tranſplantaionum authores, facilè admittunt. Ita ſæpe conſpiciuntur Catharri podagrici, paralyſes leproſæ, apoſtemata, ictiritiæ, cachexiæ vlceribus proprietatibus inquinatæ, febres artheticæ, paralyticæ, catharroſæ, ad prædeſtinationes leproſas inclinatæ, ſiue morborum nouorum reſolutiones, ſiue tranſplantationem conſtituant fœcundas, ſiue euaneſcentes, vel ſubitò, vel tardè, vt morbi gallici, Sudoris Anglici, peſtis petechioſæ, prunellæ, dyſenteriæ, pleuritidis, & ſimilium. tincturæ epidemicæ, in radicibus antiquarum impuritatum implantatæ (cum iis enim confluunt) mirabili mixtione adulterinas morborum proferunt, ſymptomatum inſueta pernicie, vehemẽtia communitatis, & longè aliter tractandi morbi & tranſplantandi, quàm ſimplices & legitimis.

De Febribus.

SI febres ſimplices fuerint incomitatæ in primis anatomiis, & ventriculi, inteſtinorum meſenterijfundatæ, ſæpe ſuffecit ſola purgatio febrilis bis térue repetita, ratione tincturæ & gradus impuritatum; ſi verò altiores radices egerint, vel anatomiis potentioribus receptæ fuerint, impuritates febriles validiores, validioribus quoque purgationibus, reſolutionibus, ablutionibus & conſumptionibus opus eſt, quæ non ſolùm ſuperficiarias impuritates, per aluum exeuntes tollere poſſint, ſed & perſudores, conſumptiones, & inſenſiles tranſpirationes euacuari ſolitas: Repetitiones ordines & gradus remediorum oſtendere, impuritatum

ritatum tincturæ facile vel difficulter tractabiles mineræ quoque & loco impuritatum ſiue in potentioribus elementis,& principiis partium corporis humani, ſiue in debilioribus contineantur;& viciſſim remediorum ordines, exaltationes,& gradus,morborum elementa,gradus & impuritatum claſſes, ſine fallacia demonſtrabunt. Rurſus ſi comites habuerint vigilias, vel dolores, vel immoderatos calores,ſitim inexhauſtam, anodina & ſomnifera accerſemus,venę quoque ſectione interdum vtemur. Quod ſi anodina mundificatiua,diaphoretica, confortantia, & ſimilia remedia diuerſis facultatibus inſignata habere poſſimus (ſunt certè in poteſtate noſtra) febrium & apoſtematum pernicioſos comites, vna cum radicibus totos & ſubitò vtique tolleremus.

De Hydrope.

IN Hydrope & ſimilibus morbis, in quibus reſolutiones, & fructus impuritatum copioſi,in corporibus & cauitatibus continentur: primum euacuatio impuritatum inſtituenda eſt purgationibus.Hydropicis per aluum; vrinas, ſudores,interdum chirurgiæ miniſterio,ad radicum & impuritatum hydropicarum reſolutiones,conſumptiones, & ablationes,accedendum: hiſce indicationibus ſatisfacient proprietates illæ,quas ſupra diximus reſoluere & conſumere hydropicas tincturas. Ex mineralium familia tales vt plurimum petuntur,propter gradum,mineram, & exaltationem morbi,& ſine preparatione exhiberi non poſſunt ſequitur confortatio,& balſami innati conſolidatio. Quæ exterius adhibentur fomentationes,cataplaſmata vnctiones,prædictis indicationibus inſeruiunt.

De Podagra.

POdagricorum affectus ſi leuiores fuerint, neque radices & fontes habuerint in ſanguine, carnibus, vel ſynonia aliarum partium (quod paroxiſmorum ſignaturis, inſul

inſultu,& remediorum idoneorum vſu,diſcernitur) reſoluentibus , mitigantibus , & corroborantibus ſanabimus. Oſtendimus enim podagricos morbos, ex tincturis & ſpiritibus ſalium acutiſſimis,contagioſis, vel amaris & penetrabili auſteritate,inſignitis,originem ſuam habere. Differentias quoque podagræ,ex horum ſpirituum diuerſis proprietatibus,mixtionibus inter ſe,& cùm ſpiritibus ſulphureis ac mercurialibus rectè deſumi,ex quibus dolorum diuerſitates (vt ſaporum in lingua,& affectionum ſaporibus ſuperuenientium) calorum , colorum inflationum , & omnium ſymptomatum dependent. Quia igitur in omnibus ſpeciebus podagræ , tincturæ ſaliũ duras & ſiccas coagulationes moliuntur,quamuis ex reſolutione ſuarum radicum aſtrum receperint , & ad efferueſcentias aſcenderint, reſolui totique debent humectari , & ſudore madore , vel inſenſili tranſpiratione diſcuti : tamen vt in mitigatis vnà doloribus , caloribus & doloribus omnibus ſymptomatibus,violenta fluxione attractione ſopita , requies naturæ concedatur , & corroborata ſynonia , viciníſque partibus, tum inimicos hoſpites inpoſterum non facilè admittat. Tria hæc reſoluentia,mitigantia,& corroborantia,mixtionem admittunt,&vno eodémque balſamo abſolui poſſunt. Talia vnguenta ſc.& exaltata podagrica ſunt,& incipiẽtes podagræ,vel leuiores radicitus ſæpe ſuſtulerunt. In Confirmatis v.& difficiliotibus ſymptomatum & dolorum immanes cruciatus mirabiliter mitigarunt. Hæ Podagræ, Confirmatæ ſc.cum radices difficultet reſolubiles vel in ſanguine,vel in carnibus, vel in ipſa ſynonia poſuerunt, non ſolis externis balſamis reſoluentibus,mitigantibus & corroborantibus curari poſſunt.Plures requiruntur copiæ, potẽtiores legiones,priuſquam tum obſtinati hoſtis caſtra expugnari poſſint.Itaque purgationes podagricas adiungemus,mundificantia diaphoretica diuretica,per madores inſenſiles tranſpirationes , conſumptiones & perfectas ablationes , euacuantia Podagrica tamen & conſentanea accerſemus:huiuſmodi ſiue ex vegetabilium ſiue exanimalium ſiue mineralium œconomia aduocentur,præparationes & virtutum exaltationes requirunt. Radices enim Podagricæ,in anatomia humana longa circulatione , dige-

ſtione

ſtione; ad exaltationes & extremitates poteſtatum fixarúmque tincturarum authores peruenerunt, nec crudis ac indigeſtis medicamentorum ſpiritibus obtemperare volunt:neque eorum laudamus temeritates qui phantaſticis & imperfectis præparationibus,vitrificationibus,ſublimationibus,præcipitationibus vtentes, periculoſas purgationes, vel reſolutiones morborũ adminiſtrant. Verum directiones & ſymptomata venenatarũ proprietatũ,etiamnum relictarum teſtimonia perpetuò fugiẽda ſũnt. Licet mitigantibus validiſſimarum impuritatum reſolutiones, ablutiones, deſtructiones & conſumptiones perficere. Interdum quoque, in vehementiſſimis podagris, vbi dolorum comites vigiliæ,viriúmque reſolutiones adfuerint, anodina intrinſeca adminiſtrabimus,quæ tamen podagricis appropriata ſint.

De Epilepſia.

EPilepſia & ſimiles morbi qui paroxyſmorum vel ſymptomatum vehementia & pernicie infames ſunt, duplices habent indicationes particulares, quædam enim paroxyſmos præcipuè reſpiciunt,quædam v. radices ipſas. Sedatio ſpirituum efferueſcentium,conſtrictio, mitigatio, ligatio &c.paroxyſmos præcipuè reſpiciunt. Reſolutio a. tincturæ Epilepticæ,conſumptio,ablatio, ipſas radices, & hæ quoque indicationes admittunt faciles mixtiones, ac vno eodemque remedio omnia abſolui poſſunt.

De Vlceribus.

VLcera,puſtulæ,pruritus,mundificationes prius requirunt vel externas, vel internas, vel vtraſque:deinde confortationes & conſolidationes. In nonnullis mitigationes quoque manifeſtæ adiunguntur,in quibus dolorum carnificina ægrotum fatigat. Ita curationum leges, rectè inſtituuntur, indicationes in naturæ proprietatibus fun-

datæ debitè adhibentur, & omnibus ægrorum querelis fideli celeritate occurritur: & oraculum Hyppocratis inuiolatum cuſtoditur, dicentis, Contraria Contrariorum eſſe remedia, ablatione ſc. impuritatum morboſarum viriúmque & balſami innati refectione, non calefactione, refrigeratione, non abſterſione, inciſione, attenuatione, & ſimilibus relollaceis, & mortuis & externis qualitatum impreſſionibus, in quibus non ſunt Hyppocraticæ vel chærioniæ Paracelſi. Ita enim ipſe Hyppocrates expoſuit medicinæ officium lib. de flatibus, vbi ait fames eſt morbus. Quicquid enim hominem moleſtat, confeſtim morbi appellationem meretur. Pharmacum vhuius morbi, eſt quicquid famem ſedat qualia ſunt alimenta. Alimentis hic morbus ſanandus, ſic alimenta Hyppocrati remedia axis, habent enim proprietates & tincturas ſeminales.

***

FINIS.

PERMISSION.

IE conſens l'Impreſſion du preſent Liure, & auſſi de *Varandæus de morbis mulierum, & eiuſdem Varandæi de morbis ventriculi*, eſtre faicte par le Sieur Barthelemy Vincent marchand Libraire à Lyon, auec deffences requiſes, Faict à Lyon, le 28. Iuin 1619.

D'AVEYNE, Procureur du Roy.

VEu le conſentement du Procureur du Roy, ie permets audict Sieur Barthelemy Vincent, d'imprimer leſdicts Liures, auec deffences requiſes.

SEVE, Lieutenant General.

Deüement ſignifié ladicte permiſſion du Seneſchal, à tous les Libraires & Imprimeurs de Lyon, le 12. Septembre 1619.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAr priuilege & mandement de S. M. à tous Preuoſts des terres de ſon obeiſſance, & à tous ſes amez iuſticiers & officiers, & à chacun d'eux ainſi qu'il appartiendra, il eſt permis à BARTHELEMY VINCENT Marchand Libraire à Lyon, d'Imprimer vendre & debiter les liures intitulez *Veges Pax methodicorum ſeu Galenicorum cum Spagyricis; Varandæus de morbis mulierum, & idem Varandæus de morbis ventriculi*, durant le tẽps & eſpace de neuf ans, à commencer du iour & datte de ladicte impreſſion paracheuee, auec deffenſes à toutes perſonnes de quelque eſtat, vacation & condition qu'ils puiſſent eſtre, d'en vendre ny debiter, ny d'en eſtre ſaiſis d'vn ou pluſieurs exemplaires, autres que de ceux imprimez par ledict Vincent, à peine de confiſcation des exemplaires, & autres peines portees par iceluy. Donné à Paris les iour, mois & an y contenu. Signé & deüement ſeellé du grand ſeel de cire jaune.

Acheué d'Imprimer ce 14. Septembre 1619.